






1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE


FERT





ANNALES ANTVERPIENSES.

ANNALES
ANTVERPIENSES

AB URBE CONDITA AD ANNUM M.DCC.

COLLECTI EX IPSIUS CIVITATIS MONUMENTIS

PUBLICIS PRIVATISQUE LATINAE AC PATRIAE LINGUAE

IISQUE FERE MANU EXARATIS

AUCTORE

DANIELE PAPEBROCHIO S. I.

AD COD. MS. EX BIBL. REGIA QUAE VULGO BURGUNDICA VOCATUR

EDIDERUNT

F. H. MERTENS,

BIBLIOTHECARIUS CIVITATIS ANTVERPIAE

ET

ERN. BUSCHMANN,

PROF. HISTOR. IN ACAD. REG. ARTIUM ANTVERPIENSI.

TOMUS TERTIUS.

ANTVERPIAE,

E TYPOGRAPHIA J.-E. BUSCHMANN.

M.DCCC.XLVI.

ANNALES ANTVERPIENSES.

ANNUS CHRISTI M.D.LXI.

ARGUMENTUM.

I. Contractus de fabricanda cataracta Scindae in novis moenibus. II. De dimidia accisia, in Merxem et Dambrugge, Civitati solvenda. III. Immunitas ab accisia condonata ibi pro domibus recreationis.

ACTA PRIORA.

I. « Coram Consulibus et Scabinis conditum reperitur
» instrumentum die xxviii Ianuarii, subscribente Grapheo;
» inter consortes fundorum humiliorum ad Turninensem,
» Merxemiensem et Austrewelensem pagos pertinentium, sub
» iurisdictione Camerae a Ponte Molendinario, DE MEULENBRUGGE
» dictae, ex una: et hanc Civitatem, ex altera partibus; ad
» constructionem novae cataractae lapideae, pro abductione
» aquarum, ex Scinda fluvio praedictos fundos inundantium;
» quae aquae tunc eliquabantur per cataractas duas ligneas,
» positas extra Civitatem in aggere Scaldensi, loco qui *Crus*,
» HET BEEN, vocabatur. Addebatur autem, quod cataracta

» praedicta perfici debebat intra proximum annum, et mox » duae illae ligneae obstrui. Convenit etiam ut Civitas teneretur » ipsam novam in perpetuum conservare, ex arbitrio Dykgravii » et Scabinorum Camerae praefatae, qui istius novae cata» ractae clavim unam haberent; ipsi vero, ad tale opus, cum » consortibus semel solverent Civitati quater mille et quin» gentos florenos; duodecim quidem centenos mox parata » pecunia, et mille ducentos perfecto hoc opere, una cum » aliis mille sexcentis. »

De quingentis reliquis nihil additur, fortassis per transcribentis incuriam. Per huius autem cataractae fabricam cessavit memoria postici, eo loco positi, instar portae elevati sub nomine DEN KRUYPHOL, quod tamen nomen necdum plane a memoria et ore vulgi abiit, usu licet cessante.

II. Huic tractatui utcumque affinis est alius, cum Marchione Bergizomensi initus mense Aprilis, cuius mensis die quinto coepti, et die XXVI conclusi actus, summatim ab Edelherio referuntur ex Holoserico, a fol. 122 ad 132 v°, sub verbis DAMBRUGGE et MERXEM in hunc modum :

« Cum istis in locis Civitas praetenderet deberi sibi dimi» diam accisiam, virtute indulti a Rege obtenti, ad levandam » eam, in omnibus pagis ac locis, intra unam ab urbe leucam » sitis; idque cum consensu Toparcharum, ad quos dicti pagi » ac loca pertinent; convenit cum Civitate Marchio Bergizomii, » et in praedictam dimidiam consensit ea conditione :

« I. Ut ipse medietatem alteram quotannis reciperet, de» tractis pro parte sua impendiis et stipendiis ministrorum, » et quidquid alicui titulo immunitatis eatenus condonabatur. » Quod si post id Civitas aliquam personam vellet immunem » haberi, id de ipsius solum parte, non autem Marchionis » decederet, nisi hic quoque in id consenserit.

» II. Ut totam accisiam colligat Civitas, aut etiam elocet pro

» arbitrio suo, et ordinet executionique mandari faciat, ut
» visum fuerit.

» III. Civitatis officiales in utroque loco apprehendere pote-
» runt quoscumque malefactores, et quo voluerint, iudicandos
» abducere, qui modo eorumdem locorum inquilini non sint.

» IV. Si Marchionem contingat dictas suas Toparchias, una
» cum dimidiae accisiae iure vendere, tenebitur id Civitati
» indicare, ut ea possit iure proximitatis sic venditam ad se
» retrahere, pro viginti tribus millibus florenorum, aut eo
» pretio quo tunc venderetur; et Civitas, ultra medietatem
» accisiae Marchioni competentem, eidem solvet semel duo-
» decim millia florenorum; ita tamen ut conetur impetrare
» consensum inquilinorum, aut saltem cauponum istic popi-
» nas suas habentium. Actum V Aprilis. »

III. « Die XVI Aprilis, praedictus Marchio omnibus incolis
» utriusque loci pro domibus recreationis, cum sex iugeris
» terrae, quae ibi vel habent vel habere possent, pro se suaque
» familia, condonavit immunitatem ab accisia cuiuscumque
» potus ibidem a se suisque consumendi; eamdemque immuni-
» tatem concessit officialibus eorumdem, ita tamen ut nullum
» vinum aut cerevisiam vendant.

» Die XXVI eiusdem mensis, idem Marchio, coniunctis sibi
» praecipuis fundorum istic sitorum possessoribus eorumque
» officialibus, ius et potestatem habentibus, convenit super
» dimidia accisia, pro ea scilicet in perpetuum solvendo,
» ratione vini ac cerevisiae aliusve potus, in alterutro loco
» consumendi, quantum tunc Antverpiae solvebatur, ita ut ea
» accisia non possit futuris temporibus augeri; solvenda autem
» ea erit ab omnibus inquilinis, fundorum Dominis, et caupo-
» nibus, praeterquam a Pastore eiusque Sacellano et Sacrista :
» ita tamen ut his non liceat potum aliquem venalem habere,
» vel domi suae symposia colligere; et Civitas vicissim omnes

» immunes faciat, nemine excepto, ab omni impositione et » rogatione, in quam contingeret ipsam Civitatem quomodo- » cumque consentire.

» Item ut Marchio ac Civitas conentur impetrare ius levandi » plateatici, ad reparationem viarum, a Dámbrugge per Merxe- » mium tendentium, per leucam unam; a quo immunes erunt » inquilini et fundorum proprietarii. Ad has autem vias ster- » nendas, tam Marchio quam Civitas conferent semel mille du- » centos florenos; et facient ceteros quoque pagos, ad eiusmodi » opus obligatos, contribuere portionem quanta cuique con- » tinget: Civitas autem prohibere non poterit, quominus in ipsa » commorantes egrediantur ad potandum in praedictis pagis.

» Denique inquilini omnes, cuiuscumque opificii aut pro- » fessionis, fruentur omnibus privilegiis et praerogativis, » quibus Berchemienses aliique, dimidiam accisiam Civitati » solventes. »

RENOVATIO MAGISTRATUS.

XVI MAII, *postridie Ascensionis Dominicae*, *cum Pascha fuisset* VI *Aprilis.*

CONSULES. — Dom. Anton. van Straelen IV. — II Dom. Henr. van Berchem VI.

SCABINI. — Dom. Costinus van Halmale. — Dom. Nicolaus Rockox. — Dom. Ioannes vande Werve. — Dom. Iacob. vander Heyden. — Dom. Ioannes Wolsaert. — Dom. Melchior Schetz. — Cornelius de Vos. — Dom. Ioannes Wolsaert, † *suff.* — M. Iacobus Houtappel. — Martinus van Ranst. — Henr. van Etten. — Reynerus van Ursele. — Gerard. des Pommeraux. — M. Gislenus dele Cigne. — M. Paulus Schuermans. — Simon vande Werve. — M. Cornelius de Wyse. — Wilhelmus Schoyte. — Magister Ioannes de Pape.

ARGUMENTUM.

I. Regis, Parisios ad nuptias tendentis, statuta quaedam: inde reversi discessus cum sponsa in Hispaniam. II. Lovaniensis Universitas consulta de aequitate modi novos Episcopatus dotandi, eum comprobat. III. Rex, commendata Religionis cura, in Hispaniam solvit. IV. Rhetoricorum certamina. V. Canalis Bruxellensis dedicatio, unde Antverpienses praemium referunt. VI. Aucta stipendia Magistratui.

ACTA POSTERIORA.

I. PAX aeterna Belgio parta videbatur per nuptias Regis PHILIPPI cum ISABELLA, Henrici Franciae Regis filia; ad quas dum Parisios Rex proficiscitur, Audomaropoli transiens, triplex hic Urbi nostrae signavit rescriptum, in maiori Papyraceo relatum, fol, 131 v°. « Primum, quo declarabat proscriptiones » et correctiones decernendas a Scabinis ad requisitionem » Marcgravii; exilia tamen non ultra libertatem Antverpien- » sem extendenda, et citra praeiudicium eius Privilegii, quod » Antverpiensibus Dux Ioannes concessit anno M.CCC.XXXV. » Alterum, quod civis Antverpiensis, alibi captus et in iudi- » cium adductus, propter crimen commissum priusquam civis » fieret, non possit, titulo Civitatis postea acquisito, a Senatu » reclamari. Tertium, ut qui Civilitati suae absolute renuntiave- » rit, stare debeat iudicio eius loci in quo commoratur, » neque possit remitti Antverpiam. Quod si contingat super » ea re quaestionem moveri a Civitate Antverpiensi, causa de- » feretur ad Consilium Brabantiae decidenda. »

Porro celebratis in Gallia quam festivissime nuptiis, iisdemque infausto Henrici casu funestatis, rediit in Flandriam PHILIPPUS, haud parum sollicitus, propter turbas ab invalescente magis magisque haeresi Belgio metuendas.

II. Interea, quae iam a biennio coeperat murmuratio contra dismembrationem bonorum coenobialium, Romae a

duobus Pontificibus constitutam, gliscebat magis, « spargebaturque passim (inquit Havensius) Abbatiarum incorporationes et cum Episcopatibus uniones pugnare cum Iucundo Introitu (uti vocant) Principis, et cum iuramento per eum praestito inaugurationis tempore; nec solum a Proceribus, sed etiam a viris Ecclesiasticis, potissimum iis quorum Abbatiae erant incorporandae. Fuit ergo haec tota difficultas delata ad Facultatem Theologicam, et ad utramque Facultatem Iuris in Universitate Lovaniensi. Itaque Theologi et Iurisperiti, eas tres Facultates repraesentantes, omnibus perpensis et examinatis, IV Iunii huius M.D.LXI, unanimiter resolverunt, praetactas incorporationes et uniones cum Episcopatibus nec iuri nec iuramento, tempore inaugurationis praestito, repugnare ullatenus; sed eas, ut et erectionem novorum Episcopatuum, praegnantibus productis rationibus, tutati sunt. Prout haec omnia late deducuntur « in Consilio Iuris, cuius copia penes Reverendissimum Dominum Sonnium post mortem reperta est; ut et copia Consilii septem illustrissimorum Dominorum Cardinalium, quos Paulus IV Pontifex delegaverat, ut libellum ex parte Catholicae Maiestatis, de erectione novorum Episcopatuum exhibituri diligenter examinarent discuterentque. »

« Haec ita quidem Lovanienses deciderunt, inquit Havensius; at vero illi qui, de religione suspecti, novas res moliebantur, non destiterunt querimonias apud Serenissimam Regis Belgarum Gubernatricem deponere, eamque pressius urgere, in annum usque sexagesimum secundum, uti pro eis intercedere dignaretur, ne tam severa edicta contra haereticos executioni mandarentur. »

III. Nihil ista moverunt Regem, etiam eo praesente moveri coepta, quominus confestim proficisceretur in Hispaniam, eo absente haud parum turbatam. Itaque convocatis Gandavi comitiis,

constitutae a se (ut dixi) Gubernatrici Ducissae Parmensi et singulis Provinciarum Praefectis mandavit, Religionem Romanam sartam tectamque curent, et delinquentes ex legum praescripto coerceant. Solutis exinde Comitiis, Gandavo in Zelandiam Rex concessit, et, die XXVII Augusti, sublatis velis, e portu Flisssingae solvit. Prius tamen (incertum quo mense et loco) Maiestas sua donavit Civitati Croneburgicam turrim, in usum carceris publici convertendam : quod tamen successum non habuit quoad usum istum; credo quia longius ea turris abest a Curia, et Pistorum turris, eidem proxima, pro minorum criminum reis commodius usurpatur. Non invenio tamen quando hic usus coeperit; maiori carcere iam pridem intra Burgum vetus iuxta portam restaurato, cum insignibus Caroli V.

IV. « Rethorica Violarum Camera provocationem generalem, quam LANTIUWEEL appellabant, indixerat pro mense » Augusto huius anni ; comparueruntque circumiectae civi- » tates magna cum pompa die III aut IV mensis praedicti. Pro- » blema, in quo exercerentur ingenia, erat : *Quid hominem* » *maxime excitet ad bonas artes sectandas :* propositaque prae- » mia varia. Primis tamen diebus solum quatuor Camerae » adfuerunt; ex quibus Mechlinienses supremum praemium » pulchrioris ingressus, Silvaeducenses dramatis ingeniosioris » retulerunt, Lovanienses vero problematis optime soluti lau- » dem. Die autem XXIV advenerunt etiam Bruxellenses, Lyrani, » Turnholtani et Berchemenses, super problemate huiusmodi, » *Ecquod manuale opus utilissimum sit, et factu honestissimum,* » *minoris tamen aestimatum?* Huius soluti praemium retulit » Turnholtanae Ericae flos, et dramatis praestantioris, flos » Cyaneus Bruxellensis. Totus autem mensis transiit in ludis » et spectaculis, de quibus varii etiam libri impressi pro- » dierunt. »

V. Die XII Octobris, absoluta canalis Bruxellensis fossione,

immissa in eum aqua fuit, impensaque in id operis numerabantur octies centum millia florenorum. « Venerunt autem » naves omnis generis, sed Antverpienses praemium meruerunt » magnificentioris introïtus navalis, argenteum navigium cum » ama vini Rhenani. Instruxerant enim tredecim maiores » naves cum pluribus cymbis, quarum epibatae, pretiose vestiti, tubis ac tympanis omnigenaeque musices instrumentis » aerem implebant. In istius autem canalis fossione reperta » sunt grandia elephanti ossa, etiam nunc in Curia Bruxellensi » spectanda : quem qui marinum iudicabant, inde etiam » volebant consequi totam hanc regionem olim Oceano ob- » tectam fuisse ; latebant autem admodum profunde sub » terra.

VI. » XIV Octobris, Ducissa Parmensis, nomine Maiestatis » suae, singulis Consulibus indulsit annue percipere octingentos » florenos, Scabinis vero dietim stuferos viginti praeter alios » quinque eodem mense definitos pro comparitionibus extraor- » dinariis, » prout notavit Secretarius De Moy. Denique, hoc anno, asserit Valkenisse, « a Civitate oppigneratos pagos : *Turninum* » pro tribus millibus florenorum ; *Wilrikum* pro mille trecentis, » *Wilmerdonkum* et *Austrewelam*, cum Dykgraviatu seu Prae- » fectura aggerum, pro bis mille septingentis. »

A. C. M.D.LXII.

ARGUMENTUM.

I. Sororum Alardiarum fundatio pia. II. Legati Civitatis in Hispaniam contra Episcopi denominati inductionem. III. P. Iacobus Laynez Antverpiae concionatur, primosque Iesuitas inducit.

ACTA PRIORA.

I. « Die xxvii Ianuarii, Catharina et Dympna Alards, sorores, » fundaverunt, in via a Sagittariorum ibi quondam hortis dicta » DE SCHUTTERS-HOF-STRAET, octodecim mulierculis domum » annuumque proventum statuentes; bonorumque omnium » suorum testamento haeredes scripserunt Dominos Eleemo- » synarios. »

Ita ex ipsa fundatione habere se asserit Valkenisse, cui certius crediderim quam Scribanio, notanti annum M.D.LXXXV, quando, haeresi dominante, obsessa a Farnesio Civitas aegre famem tolerabat : quare suspicor, non Scribanii, sed typothetarum errore, numerum istum obrepsisse, et scriptum quidem anno praetitulato testamentum fuisse, fundationem vero opere ipso completam anno M.D.LXV.

II. Ut ut est, hoc anno Antverpienses (ut scribit Michael Aitzingerus, in suo Leone Belgico, pag. 36), « ubi viderunt » novos in Flandria, Ypris ac Brugis, in Artesia ad S. Audo- » marum, item Namurci, et in Zelandia Middelburgi, tandem » etiam Mechliniae in media Brabantia, ac postea Buscoduci » Episcopos introductos atque receptos fuisse (quamquam » eorum ultimus consecratus numquam fuit), ipsi quoque, » ne in urbem suam Episcopum recipere cogerentur, pri- » mum apud Parmensem Ducissam, vices Regis gerentem, » instituerunt xxiii Ianuarii, xxiii Martii et v Maii. Cumque ab » hac non impetrarent quod petebant, miserunt Ammanum, » Urselum et Wesenbekium ad Regem ipsum; qui quidem Rex, » ut ante Praelatorum Tongerloae et Affligemii legatis Tserclaes » et Nys respondit xxvii Februarii et xviii Martii, non ad » libitum; ita hos ab xi Iunii die, qua illos audierat, detinuit » usque ad vi diem mensis Augusti; nec quidquam illis huc- » usque concessit. Unde et post Praelatos et urbes, tandem

» Nobiles etiam miserunt Baronem Montigny, in eum potis-
» simum finem, ut Episcopis illis novis atque Cardinali
» Granvellano sese opponerent; » quod ita fecerunt ut ex iis quos Rex proposuerat et Pontifex approbaverat (quod hoc primum anno factum est) nemo fuerit ordinatus, praeter Atrebatensem, Granvellano cedenti substitutum, Middelburgensem, Silvaeducensem, Ruremondensem ac Namurcensem, ceteri numquam ad infulas pervenerunt, ac nominatim noster Philippus Nigri, rebus per rebellionem subortam turbatissimis, quoad, eo mortuo reductaque ad Regis obedientiam Civitate, *Franciscus Sonnius* creatus Silvae Ducis est.

III. Interea « cum *R. P. Iacobus Laynez,* Iesuita Hispanus, et
» unus ex decem primis S. Ignatii fundatoris sociis, missus
» a summo Pontifice in Galliam, venisset Antverpiam, sese
» in amicitiam Hispanorum mercatorum insinuavit: quorum
» primarii eum, exceptum in domum Philippi d'Almaraz,
» Canonici, frequenter invisebant, ii praesertim qui Ignatium
» Lutetia venientem exceperant, suisque eleemosynis eius
» studia foverant. Nunc autem eius sanctitatis fama ac sociorum
» moti, cum horum etiam nonnulli fructum inciperent capere
» ex ipsius *P. Laynez* ingenio zeloso et efficaci ad tractandos
» hominum animos, eumdem rogaverunt, ut, priusquam disce-
» deret, ad se pro concione de Deo rebusque divinis verba
» faceret; carebant enim tum temporis concionatore suo.
» Acquievit autem Pater libens eorum tam pio desiderio, et,
» Deo bene iuvante, sic fecit satis, ut ea Natio nullum deinceps
» voluerit Ecclesiasten, qui Societatis Iesu non esset; frustra-
» que contendens, ut apud se Laynez maneret (nam aliud in
» mandatis habebat), polliceri fecit effecturum se, ut alius
» quispiam Religionis nostrae concionator sibi mitteretur. Mis-
» sus ergo mox est P. Payz, qui tribus annis summa cum
» laude et animarum fructu eis servivit. »

Atque hoc est initium Societatis Iesu Antverpiae, ex eius domestica historia acceptum: unde plura posthac decerpemus, beneficia Civitatis in nos, nostraque in ipsam vicissim obsequia, his Annalibus digna.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

FERIA IV *post Dominicam* V *a Paschate acto* XXIX *Martii.*

CONSULES VII *Maii.* — Dom. Lancelottus van Ursel XIII. — II. Dom. Nicolaus Rockox V.

SCABINI. — Dom. Henr. van Berchem. — Dom. Antonius van Straelen. — Dom. Iac. vander Heyden. — Dom. Conradus del Vaille. — Dom. Melch. Groenenborch. — Martinus van Ranst. — Henricus van Etten. — Ioannes van Halen. — M. Ioannes vander Meeren. — Gerardus de Pommeraux. — Paulus Schuermans. — Ioannes de Herde. — M. Corn. de Wyse. — M. Ioannes de Pape. — Ioann. vander Noot. — M. Ioannes Rubbens. — Simon l'Hermite.

ARGUMENTUM.

I. Moritur Abbas Gregorius, ob res Monasterii in consanguineos sparsas ab administratione suspensus, accepto Vicario, cuius superest monumentum. II. Nova cataracta vi intumescentis Scaldis perrupta, cum grandi in pratis damno. Forum frumenti per Zelandiam advecti transfertur in novam Civitatem. Forum quoque Pomarium mutatur. III-IV. Septem Effusionum Sanguinis Dominici pia fundatio, pro totidem mulierculis, sicut anno M.D.X fundata fuerat alia, Septem Fratrum dicta. V. Moritur Philippus Nigri Bruxellis, primus Antverpiensium designatus Episcopus. Deflagrat domus Fabrorum murariorum.

ACTA POSTERIORA.

1. DIE V Iunii, obiit S. Michaelis Abbas XXXIII, GREGORIUS

TIBERII DE HAGHIS, ut habet Coenobiographia, vesperi inter nonam et decimam; de cuius actis nihil invenio, nisi quod libellus, pro monasterio oblatus, ei adscribat quod *Aulam, in qua Princeps versatur, domui Abbatiali adiunxit.* Opportune profecto, si id fecit ante annum M.D.XLIX, priusquam eo diverteret Imperator cum principe filio, Brabantiae Duce inaugurando, et duabus sororibus Reginis. His enim omnibus simul excipiendis (si tamen unum omnes hospitium habuerunt) non potuerunt non esse angustae aedes Abbatiales tunc temporis. Amplius quo commendetur, nihil reperio: nam epitaphium nullum habuit, fortassis nec meruit; qui extremos vitae annos sic egit, ut propter male administrata monasterii bona, et inter fratres carnales distracta, debuerit administrationem Vicario sibi substituto cedere. Calamitatis huius argumentum praebet lapis, *Waltero*, Abbati VI (ut opinor) instratus olim, extritoque huius epitaphio, et pedo abbatiali, memoriam retinens Vicarii alicuius ante latus chori boreale sepulti, cum hoc novo epitaphio : *Monumentum Guilielmi Verstegen, ab Oisterwyk, Sacerdotis ac Canonici, nec non Vicarii huius Monasterii, qui obiit* M.D.LXIX, *die* XXVII *Septembris.* Quia tamen, post obitum Gregorii, vacavit Abbatia, totis septem mensibus et diebus viginti, potuit quidem *Guilielmus* iste pro isto dumtaxat tempore fuisse constitutus Vicarius ; sed merito suspicor, ex visitatione anno M.D.LVIII instituta a Parcensi et Tongerloensi Abbatibus, *ob grave quoddam negotium, eorum arbitrio discutiendum et terminandum;* suspicor, inquam, institutionem Vicarii istius factam esse propter grandes querelas Religiosorum contra regimen sui Abbatis, per quod maxima dispendia passum esse Monasterium, habet seniorum traditio. Abbatis tamen titulum semper mansisse *Gregorio*, liquet ex quadam ecclesiae Andreanae fenestra, cui inscriptum : *Abbas S. Michaelis Gregorius me fecit anno* M.D.LXI; *refecit eius successor Macarius*

Simeomo, anno M.D.LXXI. Fuit autem Gregorii qualecumque regimen, a I Februarii anni M.D.XXXVIII ad hunc V Iunii, annorum XXIV, mensium IV, et totidem dierum.

II. « Eiusdem mensis die XII, adeo excrevit ab Oceano » aestus, ut plurima animalia, quae pascebantur in herbida » alluvionum viriditate (SCHORREN vulgo dicta), perfracta una » Civitatis novae cataracta, mergerentur omnia ibidem in » pratis deprehensa. Deductis deinde aquis, die XX eiusdem » mensis, Anna Ianssens a Deesberg ibidem construendum » locavit Molendinum Aquaticum; et die XXVI mandatum est, » ut Zelandi soliti frumenta sua vendere in arenaria, vulgo » 'T ZANT, inter navale S. Ioannis et portam S. Mariae, » transirent ad eamdem novam Civitatem; unde factus ibi » canalis etiam nomen accepit et vocatur DE GRAENVLIET. » Eodem etiam translatum octiduo post fuit Forum pomarium, » aliorumque arboreorum fructuum, quod antea exercebatur » in ripa vulgo DEN OEVER. » Ita Caukerkius.

III. Scribanius notat, pag. 114, « quod hoc anno M.D.LXII, » *Michael vander Heyden,* in via quae, secus Begginagium ad » portam Rubeam ducens, Rubra dicitur, septem mulieribus » domum coemit, dedit, dotavit; nomen inscripsit *Septem* » *profusiones sanguinis*, itaque voluit inscriptioni respondere » numerum. » Ipsas autem septem effusiones dixerim factas in Circumcisione, Agonia, Flagellatione, Coronatione, Crucifixione, Perfossione lateris, ac denique istarum omnium continuatione per Sacrificium Missae. Inscriptio hodie nulla legitur, sed supra portam cernuntur in candido saxo, ad utrumque angeli in medio stantis latus, scuta duo, virile unum, muliebre alterum, supra quadratam basim, cui si quid olim inscriptum fuit, calx inducta obliteraverit.

IV. Utinam eadem, qua inscriptio calce, etiam abolitae litterae non essent, haud dubie olim inscriptae rotulo, inter

praefati angeli manus super ambo scuta decurrenti! Interim considerare licet virile scutum, ei simile quo familia VANDER HEYDEN utitur, duarum argentearum stellarum in campo nigro, tertiae stellae locum, seu quartam scuti partem occupante flore mespili nigri, in campo argenteo (pro quo flore in lapide cernitur species quaedam pilei Ducalis), quo scuto designatur *Iacobus vander Heyden*, anno M.D.LXVI Consul; qui potuit fundatoris praenotati frater aut proximus consanguineus fuisse. De muliebri scuto quid dicam, dum nullos colores lapis exprimit? Habet Baro Le Roy, Lib. I, Cap. XXVIII, acturus de Magistratu urbis Antverpiensis, tabulam, sibi ab Andrea Eugenio Valkenisse, Secretario, subministratam, qua continentur insignia Praetorum, ab anno M.C.XXX; Ammanorum, ab anno M.CCCC.LXV, Consulum, ab anno M.D; omnia usque ad annum M.DC.LXXVIII, ubi unicus apparet eiusmodi Leo, isque niger in campo aureo, designans familiam *Sanderi*, ex eaque Praetorem *Ioannem Sanders*, pro anno M.CCCC.XXXIV.

Eodem quo supra, loco, notat praefatus Scribanius, similem aliam fundationem *Septem Fratrum*, IN DE BOEKSTEDE (a *libris* an ab *hircis* sic nominato vico, nescio; nam utrique BOEKEN appellantur), qua *ab annis*, tunc cum scriberet, *pluribus quam centum*, adeoque ante annum M.D.X, « *Henricus Loomans* domum » legavit viris septem senio et egestate pressis, subsidiariumque » vitae trahendae annuum censum addidit. » *Pulchra*, inquit Scribanius, *aemulatio: oriantur plures!* et plures mox addit suo singulas anno referendas.

V. Denique e vivis hoc anno excessit Bruxellis PHILIPPUS NIGRI, primus designatus ac confirmatus Episcopus Antverpiensis; prius tamen quam consecraretur defunctus, incertum quo die, necdum invento ullo eius ea in urbe monumento. Interim legimus apud Baronem Le Roy cognomentum ei fuisse *de Campo, qui patria Bononiensis et ibi utriusque iuris Doctor*

creatus, in Belgio Velleris aurei Cancellarius et ad D. Gudulae Decanus, haud dubie in ecclesiae choro etiam fuit sepultus. Post hunc annis omnino octo cessatum est, antequam nominaretur pro eo alius.

« Interim I Decembris, hora XII noctis, in Foro maiori fun-» ditus deflagravit domus, quae ibi magnifica stabat, Fabrorum » murariorum, DE METSERS, vicinis tamen omnibus salvis, » teste Caukerkio.

A. C. M.D.LXIII.

—

ARGUMENTUM.

I. Ad fabricam novae Curiae assumitur pecunia. II-V. Capella Kilensis consecratur. VI. Veteranus carnifex ob propria scelera capite plectitur. VII-VIII. Obitus et elogium Lazari Tucher atque familiae Coqueliae, unde ei uxor. IX. Ioanni van Berchem, Mechliniae nato ex matre, ob pestem profuga, ius naturalitatis negatum a Communitate nostra.

ACTA PRIORA.

I. « DIE III Ianuarii, consensit Rex, ut ultra centum millia » florenorum, impensa fabricae novae Curiae, posset impen-» dere Civitas centum millia librarum Artesiensium, eumque » in finem se ipsam sumpta ad foenus pecunia gravare. » Ita in I vol. Privil., fol. 223, legisse Edelherius et Caukerkius testantur. Valkenisse allegat fol. 252 eiusdem codicis, et summam expensam definit sexcentis millibus florenorum.

II. Die XXVI Ianuarii, primus Cameracensis Archiepiscopus, fidem fecit consecratae ipso eodem die, se praesente, per Suffraganeum suum, Capellae Kilanae. Ipsius instrumenti verba haec sunt :

« MAXIMILIANUS A BERGHIS, Dei et Apostolicae Sedis gratia
» Archiepiscopus et Dux Cameracensis, Sacri imperii Prin-
» ceps, Comes Cameracesii etc. universis et singulis Sanctae
« Matris Ecclesiae fidelibus, praesentibus et futuris, salutem
» in Domino sempiternam.

» Sanctorum meritis inclyta coelorum gaudia Christi fideles
» assequi, minime dubitamus, qui eorum patrocinia per
» congruae devotionis obsequia promerentur : ille namque
» veneratur in iis, quorum gloria ipse est, et retributio prae-
» miorum. Diem itaque messionis extremae oportet nos bonis
» operibus praevenire, et aeternorum intuitu seminare in
» terris quod, reddente Domino cum multiplicato fructu, recol-
» ligi volumus in coelis, firmam fidem fiduciamque tenentes,
» quod qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in
» benedictionibus, de benedictionibus et metet vitam aeternam.

» Universitati itaque vestrae, praesentium tenore, notum
» facimus atque certificamus, quod Reverendus in Christo Pater
» et Dominus Martinus, eadem gratia Episcopus Chalcedonen-
» sis, noster in pontificalibus Vicarius et Suffraganeus, die da-
» tae praesentium, ad humilem supplicationem, diligentemque
» instantiam dilectorum filiorum inhabitatorum confinii seu
» loci, dicti vulgariter OP 'T KIEL, siti extra portam sed intra
» limites parochialis Ecclesiae S. Georgii, oppidi Antver-
» piensis nostrae Dioecesis, de nostris licentia et permissu,
» novam Capellam (quam et ipsi supplicantes, qui in copioso
» numero existunt, piis Christi fidelium eleemosynis ad hoc
» erogatis, sic satis eleganter construi facere inceperunt et ad
» certam altitudinem perduxerunt cum summo altari eiusdem
» capellae, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Beatissimae
» Virginis Mariae suae Genitricis, omniumque Sanctorum et
» Sanctarum, et praecipue in honore et sub invocatione
» Sanctorum Catharinae, Sebastiani et Antonii, eidem R. Patri

» specialiter nominatorum, una cum coemeterio eidem Capel-
» lae circumiacente, nec non fonte baptismali, inibi de nostris
» consensu et auctoritate, pro prolibus ipsorum inhabitatorum,
» tempore nocturno, aut alias necessitate id exigente, bapti-
» zandis posito, cum orationibus, litaniis, unctionibus et
» benedictionibus, ac caeteris caeremoniis et solemnitatibus, in
» talibus fieri solitis et consuetis, rite benedixit, et in Dei
» nomine dedicavit et consecravit.

III. » Et ut ipsi Christi fideles ad Capellam seu Altare
» praetactum eo libentius causa orationis et devotionis con-
» fluant, quo ex hoc coelestis dono gratiae uberius senserint se
» refectos, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fideli-
» bus, vere poenitentibus, contritis et confessis, qui dictam
» Capellam seu Altare, diebus suorum Patronorum, nec non
» quatuor principalibus anni festivitatibus, humiliter et devote
» visitaverint, quibus et quoties id fecerint, atque ad ipsius
» Capellae et Altaris reparationem, luminarium, ornamen-
» torum et calicum manutentionem et fulcimentum, manus
» porrexerint adiutrices, de omnipotentis Dei misericordia,
» BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate, gloriosissi-
» maeque Virginis Mariae et omnium Sanctorum et Sanctarum
» meritis et intercessione confisi, quadraginta indulgentiarum
» dies (quas etiam Nos auctoritate nostra pontificia et ordina-
» ria approbamus, gratificamus et confirmamus per praesentes),
» perpetuis futuris temporibus duraturas, de iniunctis eis
» poenitentiis, misericorditer in Domino relaxandum duxit,
» et relaxavit. Mandamus praeterea Capellano seu Deservitori
» Missarum in dicta Capella, omnibusque ac singulis Curatis
» subditis nostris, quatenus ad hoc requisiti, indulgentias
» praetactas populo suo respective publicent, et ad eius
» notitiam deducant et deduci faciant. In cuius rei fidem et
» testimonium sigillum nostrum praesentibus litteris duximus

» apponendum. Datum et actum in supradicta Capella, anno » Domini M.D.LXII, more scribendi gallicano, altera die Con- » versionis S. Pauli, XXVI mensis Ianuarii.

IV. His non contenti praedicti inhabitatores pagi praenominati, eidem Archiepiscopo suggesserunt, « quod pro uberiori divini cultus augmento, diem Dedicationis in eadem » Capella, cum processione aliisque solemnitatibus et caeremo- » niis in talibus adhiberi consuetis, celebrandam auctoritate » eius ordinaria et pontificali institui et auctorizari summopere » affectantes, humiliter supplicent, quatenus huiusmodi diem » Dedicationis cum processione singulis annis, pro perpetuis » futuris temporibus, ipsa Dominica post festum Divisionis » Apostolorum, ut praemittitur, celebrandam, nec non quam- » dam Confraternitatem de S. Sebastiano in dicta Capella eri- » gere et instituere, ac institutam observari mandare, ipsamque » Capellam indulgentiarum muneribus decorare, auctoritate » praedicta vellet et dignaretur. Quare, Nos, inquit, eorum » piis supplicationibus tamque iustis et devotis tamquam pii » patres favorabiliter inclinati, cupientes ipsos in tam pio » tamque laudabili proposito confovere; Nobis placet, et de » gratia nostra concedimus speciali, ut, annis singulis loco » et die supradictis, Dedicatio una cum processione ac dela- » tione imaginum, aliisque solemnitatibus et caeremoniis prae- » dictis, convocatis ad illam clero, populo et parochianis » locorum circumvicinorum, fieri possit atque celebrari; » eidemque Dedicationi, modo praemisso celebrandae, nostrum » consensum praebemus et assensum; ac ipsam una cum » processione, auctoritate nostra ordinaria et pontificali, cum » nostri interpositione decreti, modo praemisso instituimus » et auctorizamus, praesentium per tenorem.

V. » Atque eisdem supplicantibus concedimus et indulge- » mus, ut de dicto S. Sebastiano Confraternitatem perpetuam,

» sub certis formis et modis gratiosis, licitis, et honestis,
» pro ipsorum discretione concipiendis, in dicta Capella simi-
» liter instituere, et institutam observare possint et valeant.

» Et insuper cupientes ut dicta Capella congruis frequen-
» tetur honoribus.... omnibus et singulis vere poenitenti-
» bus, confessis et contritis, qui die Dedicationis huiusmodi
» processioni sic de cetero celebrandae, causa devotionis,
» peregrinationis aut voti interfuerint.... quadraginta indul-
» gentiarum dies.... relaxamus; iure tamen nostro et cuius-
» libet alterius in praemissis semper salvo.

» Mandantes propterea venerando viro, Nobis in Christo
» dilecto Decano Christianitatis Antverpiensis, seu ipsius Capel-
» lae Rectori aut Missarum Deservitori, omnibusque aliis et
» singulis Presbyteris, verbi Dei concionatoribus Nobis sub-
» ditis, quatenus institutionem huiusmodi Dedicationis, pro-
» cessionis et Confraternitatis, nec non indulgentias praeta-
» ctas populo publicent, intiment et insinuent, ut easdem ad
» animarum salutem promereri valeant. In quorum fidem et
» testimonium praemissorum, sigillum nostrum praesentibus
» litteris duximus apponendum. Datum et actum Bruxellae,
» anno Domini M.D.LXIII, mensis Septembris die VI etc. »

Vides, lector, Archiepiscopum in utroque diplomate studiose abstinere a vocibus Ecclesiae, Parochiae et Parochi; sed voluisse, ut Kilani simplici Capellae titulo contenti, *Rectorem* dumtaxat seu *Capellanum* aut *Missae Deservitorem* haberent, cum fonte baptismali tamen et coemeterio, salvo in ceteris iure Parochialis ecclesiae S. Georgii, quamvis Kilani petiissent et legatus Carafa annuisset, ecclesiam Parochialem institui, ipsosque a Parochia S. Georgii perpetuo separari.

VI. Magister Gislenus, annis XI « Antverpiae functus officio
» lictoris, qui omni populo vehementer invisus, et ob multa
» graviaque ipsi imputata facinora, pro quibus praecedenti

» anno, die xv Martii, coniectus fuerat in carcerem, hoc anno, » festo S. Antonii, xvii Ianuarii, eoque sabbato, in Mera ante » insigne Austriae (domus est angularis, unde via Coriaria » incipit, e regione crucis) ante domum eam, inquam, capite » plexus est per lictorem Bruxellensem: quamvis saepe ac » dire tortus nihil unquam confiteri voluerit. Corpus apud » Dominicanos est tumulatum. » Ita Snyderi Rotulus, sed Chronica Secretarii ad biennium rem differt.

VII. Proximo Februarii die v, (annon xix? ut mox videbimus) obiit Antverpiae vir CL. LAZARUS TUCHER, cuius in choro Minorum legendum olim epitaphium Sweertius, pag. 159, sic posteritati commendavit:

D. O. M. S.

« LAZARO TUCHER, Carolo V Imperatori ac Philippo II Hispaniarum Regi a Consiliis, equestris Ordinis, viro antiquo » et nobili apud Noricos genere prognato, in quo Wolfgangus » Tucher, anno salutis M.C.XCVIII, equestribus Henrici VI Imperatoris Norimbergae victor palmam meritus, clarissimae familiae ac nobilitatis columen, posteris suis praeluxit; quaeque » post annum M.CCC.LXIV ad unum Bertholdum redacta, nulla » ex coniuge Anna, de nobili gente Meyenthala, relicta prole, » plane foret extincta, ni seni Deus ipse Opt. Max. sorte ad aras » consultus, repetendi coniugii auctor extitisset: cuius numen » secutus senex tum sexagenarius, quatuor filiis et totidem » filiabus ex Anna uxore, Bertholdi Peintzing viri CL. filia, » susceptis, feliciter eam restituit instauravitque. Iacobina » Cocquiel coniugi carissimo, et sibi vivae, moerens, hoc » poni curavit. Vixit ille annos LXXII. Diem supremum clausit » Antverpiae anno M.D.LXIII, Nonis Febr. Haec cum vixisset » ann.... ex hominum vita migravit anno M.D.LXXXIV. »

» Hic observandum, inquit Sweertius, Iacobinam eo tempore obiisse, quo sub eodem tumulo quo maritus tenebatur

» sepeliri non poterat. » Credo quia obiit anno M.D.LXXVIII aut aliquo sequentium, quando, pulsis urbe Minoritis, nec ante M.D.LXXXV restitutis, eorum ecclesiam tenebant haeretici; sed num saltem ex eo quod Sweertius descripsit, satis constat recte descriptas notas hasce, NON. FEBR. quibus significetur *Lazarus* obiisse V die mensis istius? Dubito equidem; et suspicor, pro NON. legendum scribendumque fuisse XIX.

VIII. Id opinari cogit Sweertius ipse, describens sequentes versus, quos marito primum ponere statuerat *Iacobina*; sed cum propter exiguum spatium (uti in tabula epitaphii apparet) versus describi non possent nisi tenuioribus litteris, quas in terra positus vix legisset, loco versuum praecedens prosa collocata est. Versus igitur etiam hic ex illo accipe, et simul diem XIX Februarii quo Lazarus obierit; non sub compendio litterarum trium, sed integre perscriptum *Nona decimaque:*

CHRISTO SERVATORI SACRUM.

Cum sacra nobilitas virtute resultet avita,
Gens etiam hanc meruit TUCHERIANA *sibi:*
Dum patriae decori est, seu ius ferat ordine, sive
Martia pugnaci misceat arma manu,
TU, PEGNESE PATER, TESTIS,[1] WOLFGANGUS EQUESTREM
PROMERITUS PALMAM CUIUS IN URBE FUIT,
Hoc patre se stirps haec coepit plantare, sed atro
Post absumpta tamen funere poene fuit:
Nam triginta octo totos Bertholdus in annos
Solus de patria gente superstes erat,
Meyenthalensi licet isque e gente maritam
Duceret, absque tamen mortua prole fuit.
Cumque Dei nutu taedas iterare iugales
Vellet, ab hoc humili voce rogavit opem,

1 Fluvius Nurembergum perluens.

Genteque Peintzinga praestantem dotibus Annam
Ducit, collapsum restituitque genus.
Hoc Tucherorum satus est quoque stemmate claro
Ordinis aurati, Lazarus, acer Eques.
Carole quinte tibi, tibi, Rexque Philippe, minister
Ille fide praestans consilioque fuit.
Lustraque bis septem cum vixit tresque per annos,
Fatum ipsi Februi nonaque dena tulit.
Clara virum patulas urbs Norica duxit in auras,
Nunc sed in hac sacra mortuus aede cubat.
Illius coniux etiam, quae Cocqueliano
Stemmate prognata est, hic Iacobina iacet;
Cuius vitalem moesti quoque funeris horam
Indicat ad calcem nostra tabella tibi.

Ita scilicet ut fieret, ipsa statuerat : sed aliter Deo visum est, consepeliendaque ipsa fuit ad S. Iacobi filio suo Ambrosio, qui (sicut apud Advocatum Nys invenio) obierat anno M.D.LII die XII Februarii. Interim ex *Ambrosio*, nullis inter istas patriae turbas publicis muneribus functo, et *Maria van Ursele* natus *Robertus*, rebus ad Regem et Religionem Catholicam reductis, in Senatum adlectus est anno M.DC; et ab eiusdem seculi anno XXII ad XLI duodecies Consul, obiit M.DC..., filium, virtutum atque dignitatum paternarum heredem, post se relinquens *Ioannem Antonium*, quem nos quoque procedere cum fascibus quater videbimus, patri suo contumulatum in choro Minorum, anno M.DC.LXXVII; atque ita nunc stirps illa praeclara iterum rediit ad unum generis masculini caput, cum ipso emoritura, nisi animum, hactenus a nuptiis alienum, illuc tandem applicet, Wolfgangosque et Lazaros ac Robertos reducat Civitati clarissimus iuvenis.

Ad *Iacobinam*, Lazari uxorem, quod attinet, eius parentes

describit (nisi fallor) lapis ad D. Virginis sic notatus : « *Hic situs est Nicolaus de Cocqueel, defunctus anno* M.D.LXIIII, *die* XXIV *Iunii; Dla Elizabeth van Ranst, defuncta* M.D.LXIIII, II *Augusti; eorumque filius Anselmus de Cocqueel, mortuus* X *Februarii...* » Huius autem soror fuerit *Domina Maria, viduaque Leonardi Mensier, deinde uxor Dni Aegidii Wolfwinkel, Domini in Vismaer, defuncti* XXV *Maii* M.D.XCIIII, *cum ipsa obiisset* IIII *Iulii* M.D.LXXVIIII, ut disco ex utriusque epitaphio, ab haeredibus posito, et apud Advocatum Nys descripto.

IX. Redeo ad annum praetitulatum; et ex Caukerkio accipio quod hoc anno perquam serio actum est apud plebem (sine cuius consensu nihil peragi potest quod iura et privilegia Urbis videtur attingere), actum, inquam, est pro *Ioanne Berchemio*, viro equestri, et patris sui aut patrui Aegidii sextum, vel Henrici tertium Consulis, aliorumque suorum maiorum titulis commendato, ad officia recipiendo, licet eum, pestilitatis tempore, Antverpiensis mater et Lyrae domicilium etiam habens, Mechliniae peperit ab pestilitatis tempore illuc delata : asserentibus Patriciis non eo minus Brabantum esse, officiorumque apud nos capacem; negantibus plebeis, et constantissime, ne dicam pertinacissime, contranitentibus in pleno Consilio, super ea re bis coacto. Mensis et dies non exprimitur : quia tamen id actum praesumo tum cum ex more nominandi essent aliqui regioque Consilio proponendi, in ordine ad futuram Senatus renovationem, ipsum casum eidem praemitto; solumque noto, quaestionem hanc erudite ventilatam in favorem nobilissimae familiae, a Secretario de Moy inter alios plures eiusdem eruditionis commentarios, apud Advocatum Nys servatos. Et vere quis dubitet Christum Dominum recte in Evangeliis dici *Iesum a Nazareth*, licet eum contigerit Bethleemi nasci, parentes eius illuc evocante edicto Caesareo. Verum quid facias plebi, cum semel in partem aliquam obstinaverit animus, ad rationes surdae?

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarii xx *Maii, in die Ascensionis (Ita expresse Fasti) cum Pascha fuisset* xi *Aprilis.* — Dominus Hoogstratanus. — Dom. de Merode, Toparcha de Perewys, Pieterssem etc. cum Dom. Cancellario Scheyff.

Consules *iidem.* — Dom. Lancelottus van Ursele XIV. — Dom. Nicolaus Rockox VI.

Scabini *novi.* — Dom. Costinus van Halmale. — Dom. Henricus van Berchem. — Dom. Ioannes vande Werve. — Dom. Iacobus vander Heyden. — Dom. Ioannes Wolsaert. — Dom. Conradus del Vaille. — Dom. Didericus van Brecht. — M. Iacobus Houtappel. — Henricus van Etten. — Henricus van Delft. — M. Io. vander Meeren. — Gislenus dele Cigne. — M. Paulus Schuermans. — M. Cornelius de Wyse. — Wilhelmus Schoyte. — M. Ioannes Rubbens. — Aegidius Happaert, *fil. Dom. Ioannis.*

ARGUMENTUM.

I. Monialis comoedae, extrema verba pronuntiantis, tristis exitus. II. Promittitur a Rege, sed nullo effectu, cassatio reservationum de bonis Abbatialibus pro dotandis Episcopatibus. III. Circa navigationem Bruxella Antverpiam per novum canalem, convenit inter civitates. IV. Pretium et conditiones comparandae civilitatis. V. Conventio de sumptibus ad structuram Osterlinganae domus conferendis. Primus elephas Antverpiae visus ex Lusitania.

ACTA POSTERIORA.

I. « Die xxx Iunii, in monasterio Falcontino miserabiliter vitam
» finivit Nonnarum una, soror Anna Sardis : quae cum in co-
» moedia laicali ad professionem sororis Annae van Bockhout,
» Donatae, exhibita die xxv, extrema pronuntiaret verba,

» ipso in theatro subito corruens, neque umquam ad sensus » suos rediens, quinto post die extincta est. »

Ita Conventus istius Registrum, volens posterarum memoriae hoc exemplum notatum, ut discant, istiusmodi seculares lascivias Religiosis indecoras Deoque ingratas esse.

II. Laetius et utilius fuisset, si habuisset effectum quod Rex uno mense post, die xxx Iulii, Madrito scripsit per litteras, quarum exemplar exstat apud Michaelitas; quibus litteris significabat, quod « re deliberata cum sorore Ducissa Parmensi, » annuebat supplicationi, sibi porrectae ab Abbatibus et Prae- » latis Brabantiae, primum eius Statum repraesentantibus, » et offerentibus reditum annuum octo millium florenorum, » ad Regis arbitrium applicabilem; vicissimque rogantibus ut » dignaretur Rex polliceri acturum se apud Apostolicam » Sedem, ut unio et incorporatio Abbatiarum S. Bernardi » ad Scaldim, Affligemiensis, et Tongerloensis, una cum » assignatione et reservatione bonorum immobilium Villa- » riensis et Michaelitici Monasteriorum, iam paucis annis » elapsis ad instantiam suae Maiestatis ad usum nonnullorum » Episcoporum factae, sed nondum ad effectum deductae, » revocentur, et apud Curiae Romanae registra cassentur; » atque promittere pro se suisque successoribus, Ducibus ac » Ducissis Brabantiae, quod deinceps, nullo umquam tempore, » similes nec aliae incorporationes dictarum seu aliarum » Abbatiarum Brabantiae, ex iisdem vel aliis causis umquam » futuris, concedentur, nec huiusmodi Abbatiae aliaque » Monasteria, certa aliqua summa, pecuniaria pensione ac » reditu annuo, aut alia aliqua diminutione fructuum graven- » tur nisi de consensu Praelati Benedicti, et consensu sui Con- » ventus. » Adduntur et aliae cautiones, spectantes ad redimibilitatem dictorum octo millium aureorum, constituendorum mox ubi Rex promissa impleverit, et ipsis Monasteriis de suo

gremio Abbates dederit, atque liberam Praelatorum idoneorum electionem. Verum omnia haec consilia et pacta conventa in ventos abierunt, invalescente per Belgium haeresi, et deficientibus a Rege Provinciis. Quibus deinde ad obsequium reductis, Tongerloenses per particularem cum Buscoducensi Episcopo conventionem, anno M.D.XCII libertatem suam redemerunt: Cisterciensibus S. Bernardi primum id licuit anno M.DC.XXXVI: Affligemiensibus nec hactenus quidem : Villarienses autem et Michaelitae gravati manent imposita sibi pensione.

III. Magis certum et stabilius fuit, quod cum iam perfectus esset canalis novus, Willebrouka Bruxellas ducturus, et paratae maiores naves Antverpiae ad illum usque commeaturae per Scaldim, convenit inter civitates de modo quo huc appellerent, et illuc discederent naves istae, salvo Civitatis nostrae in fluvium iure. « Modus autem fuit ut a capite Cerevisiario, » 'T BIERHOOFT, usque in flumen pons sublicius sterneretur, » per quem viatores navim ingrederentur, et in fronte pontis » strueretur aedicula lignea, ubi Bruxellensium officiales, » accepto naulo, tesseram conscensuris darent, et a regredientibus similem tesseram acciperent, in fidem soluti Bruxellis » nauli; » citra ullum videlicet emolumentum inde proveniens Civitati nostrae, ut, quae non venerat in partem sumptuum, careret etiam parte fructuum, quam alias percipere potuisset.

Tractatus ipse, ut contentus I vol. Privil., fol. 274 v.°, citatur ab Edelherio : qui cur conditiones exprimere non curaverit, nolo scrutari curiosius; miror interim, si Antverpienses, tantum cessuri de iure suo in Scaldim, non exegerint a Bruxellensibus, ut cymbas suas expedirent tali hora, qua, post enavigatam quinque leucarum fossam, possent Willebroukam appellere ipsa hora, qua refluxum ad mare habet Scaldis, qui maiorem navem cum receptis ibi vectoribus sine mora Antverpiam proveheret. Si vero propositum hoc ipsum fuit, grandis fuit in Bruxellensibus

pervicacia tenendi mane ac vesperi unam eamdemque horam dimittendae cymbae, quae Willebroukam appellens serius quam commodum erat, si ibi inveniret vel iam relapsum integre Scaldim vel citius relapsurum quam ut navim praedictam pervehere posset, occurrente adverso maris aestu impeditam, neque a vento tam valido adiutam, ut contra hunc niti auderet (prout frequentissime accidit), necesse foret vectores omnes vel Willebroukae morari et exspectare per plures horas novum fluminis refluxum; vel, dimissa navi, exscensionem facere et reliquum itineris conficere pedibus, aut curru non sine novis expensis reperiendo. Sed quod tunc vel non suggessit Antverpiensibus, vel Bruxellensibus persuadere non potuit commoditas maior viatorum et negotiatorum, tandem post annos nonaginta, initio seculi XVIII, persuasit via, quae Antverpia Mechliniam ducens, antea incommodissima, nunc saxis strata, facillimum praebet curribus, bis quovis die euntibus ac redeuntibus, commeatum; per quem liceat redimere moram in casu deficientis refluxus Willebroukae trahendam, et longae navigationis per canalem fastidium Bruxellis Mechlinia Antverpiam petendi. Videntes enim Bruxellenses minorem hinc fieri sui canalis necessitatem, atque adeo et utilitatem, tandem ultro mutaverunt horam, ut posthac eorum cymba sequatur eam rationem horarum, qua scitur illa Willebroukam tempore opportuno appulsura.

IV. Habentur etiam in praecitato vol. fol. 200 v.°, Philippi litterae, quibus « ius acquirendae civilitatis taxatur in XVI schel-
» lingos, quorum quinque pro Principe sint, totidem pro
» Civitate, ac totidem pro Scabinis, et unus pro Sculteto cum
» gelta vini octo schellingorum. Statuitur autem creandos cives
» novos coram Tribunali, non tamen certo aliquo die; ubi
» etiam creari debeant cives extranei, soluto quod iis pridem
» decretum fuit pretio. Mandatur etiam ut, iuxta legem Caroli V
» super causa Vigiliarum, nullus extraneus recipiatur, nisi boni

» nominis et famae testimonium habeat Magistratus eius, sub » quo fuit. Idem Philippus in aliis, relatis fol. 265, insuper » statuit, ut eiusmodi testimonium subscribatur et confirmetur » a Pastore loci, tradaturque Consuli sedenti pro Tribunali; » vel saltem ibidem sistantur duae vel tres personae fide » dignae, quae de laudabili conversatione civilitatem ambientis » securum reddant Magistratum. »

V. Formulam autem seu testimonium concessae Civitatis reperio descriptum in membrana anni M.D.XCV, die VI Decembris: » Omnibus praesentes visuris aut legi audituris, nos Consules » Scabinique Civitatis Antverpiensis, salutem. Notum facimus, » et pro veritate certificamus, quod cum Didericus Cuijper, » filius Ioannis, natus Perae, in territorio Leodiensi, in supremo » Tribunali ab hodierna die receptus in civem et inquilinum » nostrum, praestito antecedenter consueto iuramento, petierit » huius suae Civilitatis testimonium; idcirco Drossardis nostris » omnibus, Scultetis, Maioribus, Iustitiariis, Officialibus, » Ministris, Telonariis, eorumque familiis et omnibus quibus » hae monstrabuntur, mandamus, ut praefatum civem nostrum » in suis bonis non aliter habeant atque tractent aut gravent, » quam alios quoscumque Antverpienses cives, absque ulla » fraude aut dolo malo. In quorum fidem etc.

VI. « Perfectis denique in nova Civitate navalibus duobus, » intra quae fabricanda erat domus Osterlingica; cum defini- » tum esset die X Februarii, quid pendere deberent naves » singulae illuc ingressurae, et Civitate fundum largiente, » initus cum Natione illa contractus est XXII Octobris, circa » sumptus eo conferendos. Videlicet ex parte Civitatis triginta » florenorum millia; duplum vero Hanseaticis civitatibus. » Ita ex Ms.D, fol. 88 v.° Valkenisse.

VII. Porro ad hunc annum facit, quod (ut est in Leone Belgico, pag. 50), postquam Lusitaniae Rex Maximiliano Imperatori

Elephantem misisset inconsuetum in Germania videri; atque in Brabantiam appulisset, vulgatum fuerit chronicon hoc :

BRABANTINI VIDERUNT ELEPHANTEM.

Hic nempe est ille, cuius mari per Zelandiam huc advecti similitudinem Antverpienses confecerunt cum aliis amburbalibus machinis quotannis circumducendam.

A. C. M.D.LXIV.

ARGUMENTUM.

I. Diuturnum hebdomadum XIV gelu, per quod diebus XIV constrictus Scaldis, praebet Cornelio Ghistel lepidi rhythmi argumentum. II. Fundatur Domus Hansae Teutonicae, capax centum familiarum, impendio C.LXXV oppidorum, exigui postea usus.

ACTA PRIORA.

I. « FRIGIDISSIMA fuit huius anni hiems, ita ut Scaldis ad » Civitatem, a festo S. Stephani usque ad VIII Ianuarii, gelu » constrictus steterit. »

Ita Rotulus Snyderi : Caukerkius, cum annum praecedentem notat, videtur praesumere, toto reliquo saltem Decembri gelu constitisse, et usque in Martium durasse frigus, ita scribens : « Fuit huius anni acerrima hiems, qualis numquam ab » annis LIII : duravit enim gelu hebdomadis XIV et per sex » hebdomades a Monasterio S. Bernardi usque ad Rupel- » mondam, uno ferme milliari, sursum curribus et equis » transibatur Scaldis. »

Leo Belgicus, pag. 5 : « Fuit, inquit, hoc anno hiems supra » modum prodigiosa, a XIV Novembris usque ad XVIII Februarii

» anni sequentis; ut ultra Scaldim curribus et equis transire » liceret. »

II. Interim frustra fuit II Ianuarii promulgata prohibitio conscendendi fluvium congelatum, notata in lib. B. fol. 52, et hinc a Valkenisse indicata. Quod autem per dies undecim fiebat ante Civitatem, occasionem dedit *Cornelio Ghistel* lepidum rhythmum pangendi, cuius singuli versus sumerent initium litterarum chronicarum M.C.C.C.C.L.L.W.W.W.W.W.V.V.I.I.I.I. simul hunc ipsum annum notantium, sub hoc titulo :

Van Capiteyn Yselsteyn een Rhetorykelyk beklag,
Die voor Antwerpen gemaekt heeft groot beslag.

Ubi Capitaneus *Yselstenius* (nomine ex YSELEN, *glaciare*, et STEYN, *arx*, formato) inducitur castra ad urbem locare, ac tandem a *Ioanne* DE WINT, id est *Vento*, coactus ab obsidione discedere. Rhythmum ipsum, quem non facile foret latine reddere, aeque significanter ac breviter, satis erit teutonice, ut compositus est, patriae linguae amantibus hic dare :

Men sag Capiteyn Yselsteyn krachtig
Comen voor Antwerpen in December snel;
Couwenborg was syn oversten doen seer machtig,
Compact maekende met de Vriesen fel;
Communicerende oock met Jonkers Schellenborg voorstel,
Liggende daer (die vande Werve een spyt)
Langs de Schelde om igelyckx gequel.
Wonderlyck regiment gebeurden hier subijt;
Want op Sinte Stevensdag, breet en wijt,
Was hy daer synen leger vast slaende :
Waer door menich creeg op hem haet en nyt;
Want met den duysende sagmen over hem gaende.
Veel soetelaers quaemender overal staende :
Van alderhande waeren mocht elk daer koopen,

In cramen en tenten : elk een den weg baende,
In spyt ook van Couwenborg, mans en vrouwe by hoopen;
Jan de Wint daer menigen stoot ontfaende,
January den achtsten heeft hem doen verloopen.

III. Fundatam hoc anno fuisse domum Osterlinganam (quam quia vulgus HET OOSTERSHUYS nominat, interpretatur quidam imperite *Austriacam*) docet lapis infixus parieti, ad angulum lateris Septentrionalis, e regione navalis Naupegorum, romanis litteris, verbis teutonicis sic inscriptis :

DEN EERSTEN STEEN VAN DESEN HUYSE
IS GELEYT DEN IV MEY. A° M.D.LXIIII.

id est: *Primus lapis huius domus positus est* IV *Maii anno* M.D.LXIIII. pro quo apud Gramayum, pag. 39, notatur annus M.D.LVII, quem ait lapidibus in areae medio expressum, fortassis M.D.LXVII, ut notaretur tempus, quo area illa, opere toto perfecto, saxis strata fuerit; ut saepe alibi vidimus in ipsa pavimenti constructione candidioribus saxis expressum annum viae vel areae stratae. Sed, pavimento saepius innovato, nihil tale nunc ibi cernitur, imo praedictus lapis, olim infixus parieti, ubi oculis suis olim vidit Advocatus Nys transcripsitque non comparet amplius.

Est autem Domus illa insigne elegantiae et opulentiae monumentum, ideoque dignum de quo tractantes Gramayus, Scribanius, Blavius, ipsum aere expressum suis libris inferrent, nosque inter specimina magnificentiorum Antverpiae operum. Ad eam ut commodus esset utrimque accessus per aquam, primitus istic factae fossae addita est alia; itaque inter duos canales posita halla, hinc inde excipit navibus advectas expositasque in ripam merces, sicut illas quae terra advehuntur excipit ampla in fronte area.

IV. Patet ipsa Domus in longitudine CC.XXX plus minus

pedes, a Meridie ad Septentrionem extensa, et Orientem spectans; aliquantum vero minus latitudinis habet; complectiturque duplici suo ambitu cubicula CCC, singula singulis gentis illius mercatoribus percommoda. Gramayus ait, ab oppidis C.LXXV communi impensa exstructam fuisse.

Exstant apud Advocatum Nys Analecta quaedam ex Ms. enchiridio *Ioannis van Dycke*, sub annum M.D.LXX inter iurisperitos Antverpienses clari, et Episcopo primo Sonnio tantum aestimati, ut optaret officialem habere; unde apparet Canonicum fuisse, vel saltem personam ecclesiasticam. Ipsum eius Ms. reperiebatur apud haeredes Iuris Licentiati, Domini Cornelii Bouwens, filii Simonis; indeque dictus Advocatus, praeter alia inferius notanda, transcripsit quod » Hanseaticae civitates, ad Domus istius structuram contulerunt LX millia florenorum, Civitas Antverpiensis XXX millia; collatura porro dimidiam partem eius, quod insuper requireretur ad operis absolutionem; et ipsi Societati relinquens onus eamdem domum interius ornandi ad usus destinatos. »

Addo ego ex traditione maiorum, fuisse instructam omnimoda supellectile pro familiis centum. Sed vel nullum vel brevem usum omnia ista habuere, mutata cito rerum facie. Nec vana fuit bonorum Catholicorum praesagitio, videntium tanta in fabrica, totque incolis destinata, ea in Civitatis parte, quae procul ab omni, non solum parochia, sed etiam capella iacet, nec unum quidem angulum designatum adorando communiter aut privatim Deo; nihil scilicet minus curantibus patronis Lutheranis.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

CONSULES XII *Maii.*— Dom. Henricus van Berchem IV. — VI. D. Ioan. van Schoonhoven III.

Scabini. — Dom. Lancelot. van Ursele. — Dom. Nicolaus Rockox. — Dom. Ioannes vande Werve. — Dom. Iacobus vander Heyden. — Dom. Ioannes Wolsaert. — Dom. Melchior Schetz. — Iacobus Houtappel. — Henricus van Etten. — Mart. van Ranst. — Io. van Halmale. — Simon l'Hermite. — Gerard. de Pommeraux. — M. Io. vander Meeren. M. Paulus Schuermans. —Dl. Ioannes, al. Rogerius van Leefdale, *suff.* — M. Ioannes Rubbens. — Antonius van Mansdale.

In Fastis Mss. legitur ad marginem, quod *hic Magistratus die vigesima septima Februarii sequentis solemniter ingressus est novam Curiam suam.*

ARGUMENTUM.

I-II. Xenodochium muliebre, ex priori loco translatum ad latus viae Hospitalariae, Parthenotrophio obversum; deinde alteri operi caritatis impensum, denique in usus seculares elocatum. III. Infelici semper successu quaeritur Societati Iesu stabilis locus. IV.-VI. Pannitonsores suscipiunt fabricandam partem moenium, propter prohibitos invehi pannos Anglicanos, Anglis pacta conventa mutui intercursus non servantibus. VII. Novus Abbas Guilielmus Greve. VIII. Flammis addictus apostata Fabricius. IX. Equites duo diffamati et innocentes declarati.

ACTA POSTERIORA.

I. Huius anni notam subscriptam sibi habet lapis, supra portam cuiusdam olim piae domus, nunc in usus seculares conversae a Dominis Eleemosynariis, e regione Parthenotrophii. Sribanius de ea re agens, pag. 113. *Feminarum*, inquit, *domum Eleemosynarii anno* M.D.LIV (errorem typotheticum corrige, et lege LVI) *aedificarunt. Variae hic mulieres, et fere moribus non optimis, quae his parietibus tamquam honesta continentur custodia.* Ita scilicet res erat aetate Scribanii; cui tamen fini ea

domus fuerit a fundatoribus destinata, oculis ipsis exhibebat caelatura candidi lapidis.

II. Idem expressius docet sequens, licet male tornatus rhythmus, quem atro colore pene abolitum, nec nisi magno cum labore exceptum, hic lege :

De oude fondatie van daer over
Is hier vermeerdert ende gestelt,
Voor vrouwkens, die binnen komen sonder gelt,
En te eerlijk zijn in 't Gasthuijs te gaen slaepen,
Zal men hier ter weken een bedde maeken.

Sensum nunc rhythmi latine accipe :

Prisca ex adverso sita fundatio,
Cuius nunc auctioris huc facta translatio ,
Facta est pro femellis sine aere ingressis,
Nec in Hospitali cubare professis,
Queis hebdomadim lectus sternetur,
Et earum verecundiae consuletur.

Si mentem auctoris assequitur interpres, prima Domus HET VROUWKENS HUYS dicta, stetit inter Hospitale maius et Parthenotrophium , ubi memini Tongerloenses habuisse refugium suum, et in proximo habitasse eruditissimum Gevartium; eoque mortuo, coepit ibi habitare Consul de Lannoy, renovata insigniter fronte. Intelligitur autem Domus illa non alio primum erecta fine, quam ut a viris, ad S. Iuliani hospitandis, separarentur feminae. Consuetudo autem ibi, vel a principio, vel postea vigens, sternendi gratis per unam hebdomadam lectos femellis verecundantibus alio se recipere, pridem exolevit: nec ego memini me puerum, pias istas fundationes cum parentibus circa Pascha obeuntem, alias ibi vidisse quam femellas aetate ac mente debiles, cum nutricibus infantium

expositítiorum et adhuc lactis egentium; idque duravisse credo, donec Eleemosynariis placuit necessitati utrique aliter prospicere, et vacuas aedes aliis usibus elocare, successu prorsus inquilinis male fortunato. Primum enim qui Ludimagistrnm se profitebatur, et locum et professionem dimisit inopia coactus: quos autem habuit successores, caupones tabernarios duos, consequenter simili fortuna usi inde emigraverunt: et qui anno M.DCC.V ibi exercebat vini cremandi opificium, cum domus partem locando foeno ac stramine, a suburbanis pagis certatim per rusticos, hospitem militem fugientes, in urbem allato, implevisset; et officinam et supellectilem totam amisit, orto inter paleas incendio, quo tota domus deflagravit die x Octobris. Et hoc vicini omnes verterunt in omen indignationis divinae, hoc tempore quo de aliis nonnullis fundationibus potioribus extinguendis consilia agitari dicebantur. Emit nihilominus fundum istum quidam faber, et, abolito lapide, antiquae institutionis indice, deiectisque funditus prioribus aedibus, magnificas alias superexstruxit, ad insigne totius anguli istius ornamentum.

III. Ad Societatem Iesu quod attinet, « evocato Antverpia » patre Payz successit P. Dionysius Vasquez; sub eoque actum » est de Collegio instituendo. Convenerat autem inter Canoni» corum Capitulum et Nationem Hispanicam, ut illi fundum » largirentur, in quo Natio domum ministeriis Societatis » instrueret. Sed interiiciebantur conditiones ipsius instituto » non per omnia convenientes, sicque negotium suspensum » fuit. Accessit etiam aliud incommodum sub eodem P. Vas» quez. Cum enim Pastor in ecclesia S. Iacobi, in qua Iesuitae » exercitia sua ad populi aedificationem facere solebant, mul» tum addictus illis, Lovanium se contulisset, experturus ibi » per unum mensem eorum exercitia spiritualia; adeo mutatus » rediit contra Patres, ut eos de sua ecclesia statim eiecerit.

» Id ipsis merito gravissimum accidit, praesertim Patri Ioanni » Astensi, qui ante ipsum eiusdem ecclesiae Pastor fuerat, » et magno cum fructu in ea solitus concionari confessiones- » que excipere. Coactus est enim aliam ecclesiam quaerere, » et mox a Provinciali Mercuriano, postea Societatis Generali, « ad Frisiam excolendam abire. Ipse tamen Pastor haud diu » post ad pristinum Societatis amorem tam serio rediit, ut » moriens haeredem instituerit Domum seu Collegium Lova- » niense. » Ita historia Domus nostrae.

IV. Rotulus Snyderi hoc anno notat, quod Pannitonsorum Natio, mense Iulio, suscepit onus ducendi moenia atque fossam ad portam Kipdorpianam, eo quod Civitas consenserat in prohibitionem panni Anglicani. Prohibitionis causam dignam hic explicatius referri, et controversiae totius cursum decursumque Emmanuel de Meteren sic deducit, fol. 35 v.°, ab Actis anni praecedentis exordiens : « Hoc circiter tempore, res vehementer » turbari coeperunt inter Anglos et Belgas, propter infractiones » Intercursus mutuo constituti. Videbant Angli quod Antver- » pienses, solliciti pro avertendo a se Hispanicae Inquisitionis » iugo, gravissime apprehendebant, et apud Regis Catholici » Ministros anxie appendebant periculum impediendi per eam » commercii Anglicani. Hinc sumpta fiducia commodi sui » quomodocumque et undecumque quaerendi; et seposito » pactionum mutuarum respectu, telonia, mercibus inveben- » dis constituta, dimidio fere auxerant, aggravando rerum » venalium pretia, ad sex cum quadrante in centum, praeter » iura civitatis Londinensis, quae dicuntur *Schauagia*. Ver- » sabatur quidem tunc in Anglia Philippus noster, Reginae » Mariae matrimonio coniunctus; sed variis de causis (cre- » do quia videbat Anglorum in Belgio suo frequentiam, » utcumque proficuam augendis lucris Antverpiensium, per- » niciosam tamen esse Religioni iam nunc satis turbatae)

» negligebat, inquam, Philippus querelas super Intercur-
» suum iuratorum infractionibus identidem Antverpia allatas.
» Interim cuique pannorum evehendorum fasci impositum
» telonium ad unum Angelottum creverat, idque cum tanta
» disproportione sumptuum faciendorum, ut Angli, a vectiga-
» libus quidem nonnullis liberi, aliorum vero partem solum
» mediam solventes, fabricae suae fascem unam Antverpiae
» possent dare sex florenis minus quam Belgae eam ex
» Anglia huc portantes; quo pacto omnis negotiandi facultas
» his erepta, in illos transferebatur. Hac iniuria aliquamdiu
» tolerata, Ducissa Parmensis, Belgii Gubernatrix, impulsa
» tandem fuit, ut anno M.D.LXIII mitteret in Angliam Consilia-
» rium Assonvillaeum, petiturum reparationem. Sed nihil
» profectum eo est; imo decretum exiit in Anglia ad fovenda
» indigenarum lucra, quo omnes extraneae manufacturae, puta
» cultri, acus, vittae, zonae etc. proscribebantur. Vicissim die
» VIII Decembris eiusdem anni, cautum Antverpiae fuit, ne quis
» materiam ullam, Anglicanis operibus faciendis necessariam,
» eveheret in Angliam; et manufacturae Anglicanae levi-
» denses ac similes prohibebantur, praeter pannos sub certa
» cautione permissos; praecepto tamdiu duraturo, quamdiu
» Angli suum servatum vellent.

V. » Quod pertinet ad navigationem, quia merces quaedam
» non poterant evehi ex Anglia, nisi per naves Anglicanas, aut
» haberi tales non possent nisi soluto enormi telonio, cautum
» ex adverso est, ne quid Antverpia aveheretur per naves
» Anglicanas, quando inveniri Belgicae possent : ratio porro
» haberetur novarum impositionum et teloniorum, quando
» Regina mentem suam circa eas declarasset. Cum vero, in
» eiusdem anni autumno, Londini multum invalesceret pesti-
» lentia; et Angli, quia pannos tota aestate detinuerant
» auctiori pretio in hieme vendendos Antverpiae, classe eum

» in finem ingenti parata, mense Novembri Gubernatrix, prae-
» textu pestilentiae, prohibuit omnes Anglicanos pannos usque
» ad Purificationem, seu novum mandatum, sub poena confis-
» cationis eorumdem. Transacto autem termino illo, prorogata
» fuit prohibitio usque ad Pascha; quamvis interea ultro citroque
» commearent Doctor Deal, Anglus, et Secretarius la Torre.
» Cum vero nihil ab iis proficeretur, et satis animadverterent
» Angli, non tam caveri pestem, quam hoc agi ut Intercursuum
» conditiones infractae resarcirentur, idque aegrius ferrent,
» persuasum Reginae est, ut negotiatoribus Anglis mandaret
» merces suas alio distrahendas avehere; et XXIII Martii merces
» omnes Belgicae ab Anglia proscriptae sunt.

« Angli igitur pannos suos, quos totis quinque mensibus
» habuerant impositos navibus, Embdam transtulerunt, inito
» cum Fratribus, Civitatis Comitibus, pacto, quo pollicebantur
» omnem negotiationem Belgicam ad ipsos traducere, Emb-
» damque parem Antverpiae efficere. Hoc vero ut praeverteret
» Gubernatrix, edixit XXII Maii, ne quis Belgarum Embdae
» aliquid mercium emeret, donec Regina Angliae revocaret
» prohibitionem suam. Tum videntes Angli rem suam in Frisia
» non succedere, deficientibus partim emptoribus, partim
» mercibus in vicem suarum accipiendis revehendisque, agno-
» verunt absque Intercursu priori subsistere negotia sua non
» posse: Principibus ergo satis concorditer viventibus, cum
» Reginae Consiliariis per D. Didacum Gusmannum de Silva
» conventum amicabiliter est die XXIV Decembris, ut, suspensis
» utrimque prohibitionibus, cuique Nationi integra manerent
» privilegia sua, eorumque usus: idque duravit usque ad
» obitum Mariae, qui contigit anno M.D.LXVIII.

» VI. Mariae successit ELIZABETHA, quae aliis occupata curis,
» mercatui Anglorum in Belgio, ubi sciebat magnas brevi turbas
» excitandas, ita favit, ut ipsum ibi quietum servari mallet

» quam aliquid innovando turbari. Itaque, Philippo Rege in » Hispaniam profecto, et Margarita, Hungariae Regis vidua, » Belgium gubernante, institutum Brugis colloquium inter » delegatos fuit. »

De hoc in ipsius Margaritae litteris, ad Principem Auriacum, Civitatis Antverpiensis Gubernatorem anno M.D.LXVI datis, die XVI Iulii, lego « Colloquium istud super Intercursu, communi consensu partium fuisse suspensum, » ac deinde iuxta ipsius Reginae litteras finitum; quod ut » omnibus utrimque negotiantibus publice manifestatum sit, « exemplis litterarum quaquaversum directis, quas Marcgravius Antverpiensis iubetur in Bursa publicare, ut secun- » dum ipsas unusquisque sciat quid porro agendum sibi sit. »

Verosimile est regias illas litteras amicam aliquam compositionem continuisse, circa Anglicanorum pannorum prohibitionem; adeoque laetitiam pannitonsorum ex ea conceptam, non tam liquidam fuisse quam sperarant, quando suam Civitati gratitudinem ob tale beneficium testaturi, mense Iulio, susceperunt perficienda nova moenia ad portam Kipdorpiam, ut Rotuli narrant. Certe, die I sequentis anni publicata fuit nova cum Anglis concordia, coeperuntque illi proximo Februario, sicut ante triennium, hic negotiari.

VII. Defuncto ad diem XX Februarii Abbate Cornelio Emerici apud Michaelitas, post medii circiter anni vacationem, mense Septembri, successit GUILIELMUS IV, dictus GREVE, in ordine Abbatum XXXV. Huic Pius V, anno M.D.LXVIII, dedit facultatem benedicendi omnia ornamenta ecclesiastica. Idem Abbas, iuxta libellum supplicem praecitatum, aedificavit cubiculum aestivum Abbatis, cui postea Chrysostomus Abbas adiunxit Oratorium divini Amoris, et sic eam quae ad meridiem excurrit fabricam terminavit; rexit autem annis XVII, et obiit anno M.D.LXXXI, XVI Septembris.

VIII. « Die octavo Octobris, Fabricius, Brugensis, Ordinis » Carmelitarum apostata, qui, profugus in Angliam, ibi uxorem » duxerat, et huc rediens multos in haeresim protraxerat, ad » rogum damnatus, eique subiectus fuit ante novam Curiam; » primus qui hanc suo supplicio dedicarit. Vix illum super » ligna composuerat lictor, rogumque accenderat, cum undi- » que tanta saxorum copia in eum iaci coepit, ut is, circum- » spicere fugam coactus, educto festinanter gladio, reum » semitostum confecerit, seque inter circumstantes milites » absconderit. Eodem autem die, per publicum edictum, » citati sunt omnes qui lapides iecerant; et, nisi comparerent, » exilio mulctati: sed hoc edicto adeo nihil profectum est, ut » postridie ipso in loco apparuerit affixa scheda, sanguine con- » scripta, indicans Antverpiae esse quamplurimos in ultionem » huius necis coniuratos. Nihilominus XIX Decembris, ibidem » capite plexus est Walo, convictus lapides in praefato tumultu » iactasse. »

Atque hoc praeludium fuit tragoediarum ab invalescente paulatim haeresi non multo post exhibendarum.

IX. « Die x Novembris, D. *Paulus van Dale*, diffamatus de » opinionibus fidei Orthodoxae contrariis, et pecunia vetita » usurpata, Senatui se purgandum stitit; idemque fecit » D. *Melchior van Groenenborg*. Erant hi ambo Equites, audi- » tique et innocentes declarati fuerunt in publico Tribunali, » uti in libro causarum hoc anno istic actarum legit Valkenisse, simulque occasionem nobis dedit librum istum, vulgo minus notum allegandi; idem dixerim de libris Mandatorum, iam aliquoties allegatis.

A. C. M.D.LXV.

ARGUMENTUM.

I. Portae Lutosa et Kipdorpia, stratis pontibus, absolvuntur. II. Curia nova iuri dicundo initiatur, et vetus destruitur.

ACTA PRIORA.

I. I MAII porta Kipdorpia, pridem inchoata, perfecto ponte saxeo, absoluta fuit; similiter etiam perfecta fuit porta, quae Austrewelam ducens vel Bergas ad Zomam, nomen inde debebat ferre; sed usus vulgi constantior obtinuit, ut veteri nomine *Lutosa* dicatur. Steterat ipsa Gandavi ante Castrum, unde illam Civitas emit, sed ne nunc quidem ultra primum limbum assurrexit; qualis autem initio fuerit designata, ex veteri pictura spectandam dedimus, ubi etiam dixi fuisse qui *Pisternensem* dicendam putarent.

II. Quoniam autem nova Curia (ut supra ex Fastis Mss. docui) dicta ibidem missa de Spiritu sancto, die XVII Februarii (quae, sub cursu litterae Dominicalis F secundum mox notandum Pascha, fuit Dominica Sexagesimae) fuerat dedicata, atque exinde coeperat iuri dicundo usui esse. Destrui quoque coepta est Curia vetus, et materia omnis vendi. Fossa autem Saccararia, quae post veterem Curiam adhuc patebat, fornice continuo, a foro Frumentario veteri ad pontem super eam, primum obducta fuit, et novis in quadrum domibus locus est uniformiter ornatus; quae tamen ipsae, quatenus veteris Curiae spatium obtegunt, adhuc appellantur iisdem quae ibi obtinuerant nominibus, ut dicantur *Camera Quaestorum*, *Camera Audientiae*, *Vetus Secretaria*,

Vetus Podium. Estque notabile, quod saxa Podium ipsum, DE PUYÈ, constituentia (alibi spectandam dedi totam veteris Curiae frontem), etiamnum videri possunt in horto Praedicatorum, ad gradus per quos ad refectorium conventuale maius ascenditur. Scio esse qui scribant Magistratum ex Curia seu Refugio S. Bernardi, quo tantisper usus fuerat, ut remotus a fabrili concursatione et strepitu liberius res suas ageret, triennio citius huc immigrasse : quia fortassis iam tunc ad aliquos actus in ipsa nova fabrica serviebant conclavia aliquot; non tamen adducor ut plenam perfectamque migrationem aliter consignem, quam anno eo quem Mss. Fasti tam expresse habent adnotatum.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

XXVII MAII *Feria* II *post Ascensionem Domini, et Pascha actum* XVI *Aprilis.*

CONSULES. — Dom. Antonius van Straelen V, Toparcha de Merxem. — I. Dom. Lancelottus van Ursel XV.

SCABINI. — Dom. Henr. van Berchem. — Dom. Nicolaus Rockox. — Dom. Ioan. vande Werve. — Dom. Iacob. vander Heyden. — Dom. Conradus del Vaille. — Dom. Ioan. van Schoonhoven. — Henricus van Daesdonck. — Ioannes van Halen. — M. Paulus Schuermans. — Ioannes de Herde. — M. Ioannes de Pape. — Ioannes vander Noot. — M. Ioannes Rubbens. — Aegidius Happaert. — M. Antonius van Mansdale. — Rogerius van Leefdale. — Io. van Straelen *pro M. Gaspare Sanders, facto Graphiario Camerae Pacificatorum.*

ARGUMENTUM.

I. Celebratur Capitulum Franciscanorum. II. Bruxellis redeunt coronatae Rhetoricorum Camerae, et Gulda Sagittariorum. III. Quidam elatus in grallas

it Antverpia Bergas ad Zomam, eodemque die sic rediit. IV. Ductae viae aliquae novae circa Meram et Bursam. Renovatur in turri Mariana gallus. V. Avarus frumentarius conditis inique frugibus miraculose privatur. VI. Fur sacrilegus aetatis anno LXXV suspenditur. VII. Census domorum indicitur. VIII. Opificia clam exerceri vetantur. IX. Claissonius, Iesuita, regit Collegium XIV sociorum, loco necdum certo.

ACTA RELIQUA.

I. « MENSE Iunio, celebratum hic fuit magnum Capitulum » provinciale Fratrum Minorum, ad quod plurimi ex remotis » partibus convenerunt, pariterque processionem instituerunt.

II. » Die XIX eiusdem mensis, triumphaliter regressa Bruxel- » lis est Camera Rhetoricorum Chrysanthae, primum praemium » dramatis exhibiti inde referens; Gulda quoque veterum Sagit- » tariorum, referens praemium pulchrioris ingressus, nec non » quaestionis maxime reconditae.

III. » In festo S. Ioannis, *Ioachim Ackaert*, elatus in grallas, » unum pedem altas a terra, Antverpia usque Bergas ad » Zomam, leucarum octo itinere, processit, similique modo et » die eodem huc rediit, magnam eo actu pecuniam lucratus.

IV. » Die XII Augusti, ad Meram, e regione Carmelitarum, » aperta est nova via, dictaque de MEYSTRAET, quia *D. Gerardus* » *Gramay* locum eumdem hic emerat a Domino Straelen: » quae via coniuncta alteri, a Prunis dictae DE PRUYMSTRAET, » commoditatem praebet commeandi a Mera ad Viam novam, » et eam quae a Bursa ad Clarissas ducit. »

V. « Die XV Augusti, res omnino mirabilis contigit in domo » opulenti mercatoris *Pauli van Dale*, Domini de Lillo; qui » tempore eo, quo valde cara annona erat, tantam frumenti » copiam reconditam habebat, ut granarium mirabiliter sub- » sederit. Mirabiliter, inquam, nec enim pariter subsedit onus, » sed totum evolavit per fenestras in plateam, ab inopi vulgo » diripiendum. Haec res multis sermonibus ansam dedit; neque

» ita cito componi potuerunt animi, quin die xxvii Septembris » iterum suscitata plebecula in eamdem domum impetum » fecerit, aegre cohibita a Maioribus. Interim, praedicto mense » Augusto, die xxviii, violatae sunt imagines crucifixi, stantes » in ponte ad Bursam Anglicanam et campum Falcontinum; » et sacrilegi frustra citati ad iudicium sunt, ut est in libro » Mandatorum E. Nihilo magis inveniri potuerunt nocturni » illi fures, a quibus, per fores effractas ingressis, direptus » fuit totus apparatus multorum pretiosorumque iocalium, a » *Florentino Alewyn* dispositus in via DE HOOGSETTERSSTRAET, » ad sortitionem mox faciendam.

VI. » Die xx Octobris, senex LXXV annorum, calvo capite » et cana barba, qui fuerat textorum Aldermannus et Magister » redituum ad mensam S. Spiritus in Basilica Mariana perti- » nentium, in grandi ac crebro peculatu deprehensus, ideoque » in exilium missus (pro tantae aetatis, credo, commiseratione), » cum, illo violato, redire praesumpsisset, patibulo tandem » affixus est extra Civitatem, eo loco ubi est S. Lazari sacel- » lum, » et leprosis inservientes Religiosae manebant ante Roshemianam vastationem, vulgo TER ZIEKEN, ex eo tempore in Civitatem traductae.

VII. « Mense autem Novembri, initus est census domorum, » ut certo sciretur numerus animarum, et quanto frumento » opus esset usque ad proximam messem; eo quod frumentarii » magnam copiam emendo et recondendo faciebant caritatem » annonae crescere, ita ut quadrantal secalis florenis iv, » schellingis iii; tritici, florenis vi totidemque schellingis » veniret. »

VIII. « Ordinatum hoc anno invenitur ut nullum opificium » secreto et clam exerceretur, vel in diverticulis viarum, angi- » portis, aut cameris clausis: sed qui sic habitant et operari « volent, ad viam publicam exponant, vel de fenestris camerae

» appendant signum vel specimen eius, quod profitentur,
» operis, » sicut invenitur notatum in I. vol. Priv., fol. 266 v°.

IX. Hoc etiam anno « *P. Dionysius Vasquez*, Lusitanus,
» Societatis Iesu Presbyter, qui post Laynium tertius Antver-
» piae residere coeperat, necdum expleto residentiae suae
» triennio, in Italiam abiit, relicto pro se ad conciones His-
» panicas Patre *Roberto Claissonio*, qui illi aliquamdiu coha-
» bitaverat. Hic, dum Collegii ordiendi commodum operitur
» tempus, in conducto coepit habitare cum sociis, paulatim
» auctis ad quatuordecim; electo loco quem spes erat ali-
» quando posse in Collegium converti. Sociis istis, ut videtur,
» praeerat Pater *a Costa*, quem, invalescentibus paulatim
» haereticis, contigit ignominiose deturbari ex cathedra, ac
» denique reverti in Hispaniam anno M.D.LXX, curam Collegii,
» quod nationes Hispanica et Lusitanica fundari cupiebant,
» et regimen sociorum relinquens *P. Roberto Claissonio*. »

A. C. M.D.LXVI.

ARGUMENTUM.

I.-V. Gubernatrice edictum Regium renovante, novorum Episcoporum causa multa calumniarum acerbitate proscinditur, ut aegre excipitur a Praefectis Provinciarum. VI. Idea Concordiae in eadem causa a Civitatibus conceptae articulis XVI. VII. Compromissum Bredanum conflatur. VIII. Bruxellis nascitur *Gheusiorum* nomen. IX.-X. Antverpiam transit Sadeleriorum familia praeclarissimos chalcographos duos Europae datura, quorum fortuna describitur.

ACTA PRIORA.

I. Acta huius anni, quem Rotuli nostri ex vulgi sensu merito appellant *Annum mirabilem*, placet accipere ex Mss.

Secretarii Valkenisse et Canonici Snyderi, prolixius quam ceteri singula ,quae Antverpiam spectant, distinctiusque narrantibus; conferendis tamen cum Analectis Caukerkii, Stradam nostrum potissimum secuti. Hic autem cum omnium teratur manibus non solum latine, sed etiam vernacule, nihil attinet eidem inhaerere potius quam iis qui, viventes ac praesentes, coram visa auditaque domesticis memoriis inscripserunt.

Initium tamen ducendum a Strada, librum suum quartum finiente cum Edicto Gubernatricis, XVIII Decembris praeteriti, ad omnes Belgicarum Provinciarum Praefectos misso; quod erat huius tenoris :

« Cum nihil Regi carius sit tranquillitate harum provincia- » rum, velitque obviam ire summis malis, quibus populos sane » complures, mutata semel Religione, misere afflictatos vide- » mus : idcirco Maiestas eius praecipit, ut edicta tum Caroli » patris, tum sua, et decreta Tridentini Concilii, ac provincia- » lium Synodorum integre serventur ; ut sacris Quaesitoribus » favor omnis atque auxilium impendatur, relicta apud eos » haeresum cognitione, quemadmodum divino humanoque » iure ad illos pertinet. Haec Regis, in Dei cultum Belgiique » commoda intendentis, voluntas est : de qua admonitum te » voluimus (ita ad singulos in particulari directum exemplar), » ut eam sine ulla exceptione complectaris ipse, tuaeque » Provinciae Magistratibus statim promulges, ac strenue cures, » ne quid in ea servanda ab aliquo quadecumque causa prae- » tereatur, proposito contra violatores metu poenarum, quas » in litteris edicto subiectis recensemus. Ut vero haec facilius » exequaris, delige e Senatu isto certum hominem, cuius sit » Provinciam lustrare, seduloque dispicere, an ea, quae edicto » iubentur, a Magistratibus populoque recte atque ordine fiant. » Tuque delectusque abs te Senator, tertio quoque mense, ad » nos omnia accurate referetis.

II. Quid Gubernatricem huc impulerit, Havensius, Cap. vi, sic explicat: « Mense Decembri anni LXV, animadvertens Gubernatrix omnia ad ruinam tendere, suaeque Catholicae Maiestatis auctoritatem indies magis magisque clementia minui, » convelli ac labefactari, et populum Nobilesque cornua et » cristas erigere; omnia recenter indulta revocans, iustitiam » administrari, et officium Inquisitorum exerceri secundum » primaevam edictorum formam mandavit; simul constituens, » ut in singulis Provinciis duo vel tres Consiliarii Regii Inquisitoribus adiungerentur, Concilii Tridentini decreta stricte et » accurate observarentur, et Episcopi novi in suis residentiis instituerentur, atque in iis stabilirentur confirmarenturque; contra haereticos vero sine dissimulatione severius procederetur. » Hac de causa iusserat in Aulam eodem tempore accersi ante » Natalem Domini omnium Provinciarum Gubernatores, et, » inter caeteros, Carolum Brimaeum, Megae Comitem, qui, » auctoritate Regiae Maiestatis, Geldriae Ducatui, et Zutphaniae » Comitatui praeerat Gubernator, eique articulos, a sua » Maiestate, ut executioni demandarentur, missos, communicavit; qui dictum Comitem Meganum haud obscure » neglecti officii insimularent, eo quod toties requisitus, » D. Lindanum, ab anno LXII Episcopum Ruremundensem » consecratum, ad suae Ecclesiae possessionem admitti non » curaverat, atque hoc ipsum per eum maxime stetisse. Qui » commotus, arrepto calamo, qua potuit acceleratione litteris » ad Regem exaratis, se ipsum excusavit, petens dilationem, » donec post dies paucos in Geldriam reversus, cum Consilio » Regio ibidem praedictos articulos conferat; promittens se » deinde de singulis latius scripturum : quod eum fecisse constat ex copia litterarum quas plures viderunt.

III. » Porro haec Regis Catholici et Gubernatricis voluntas » seu decretum, quaeque in Aula tractabantur, cum coepta

» sunt divulgari, obmurmurabant passim et obstrepebant quos
» labes haereseos asperserat. Nobiles et plebeii mira passim
» contra novos Episcopos mendacia comminiscebantur, ut eos
» his technis et improbis artibus in odium omnium etiam pro-
» borum virorum raperent, sicut revera contigit. Omni enim
» timore Dei postposito, plurimi asseverare et populo persuadere
» non dubitabant, Episcopos, ex instituto et iuramento Regi
» praestito ad Inquisitionem Hispanicam (quam tamquam pes-
» simam belluam execrabantur) in has Provincias Belgicas
» introducendam obstrictos esse, ut vitas et facultates subdi-
» torum tyrannidi ac libidini Hispanorum tandem cederent.
» Praeterea omnibus persuadere conabantur, Episcopos a Pa-
» storibus cognovisse ac didicisse quinam essent suae sectae ac
» reformatae Religionis (ut aiebant) Fratres; eosque in libros san-
» guinarios (quos vulgari lingua Bluthbucher vocabant) redactos
» esse, ut tandem rogis traderentur, publicatis interim eorum
» facultatibus. Imo audacia et nequitia Nobilium quorumdam
» et perversorum hominum adeo excreverat, ut eorum multos
» non puderet seminare et spargere in vulgus, se eiusmodi
» libros vidisse impressos; et hoc effecerunt mendaciis suis, ut
» paulo post in singulis fere locis recitarentur civium haeresi
» infectorum nomina, quae dictis libris contineri asserebant:
» quos inter cum et proceres aliqui, et optimates atque etiam
» honestiores quique ex civibus, alioquin Catholicae Religioni
» addictissimi, perperam scripti reperirentur: hinc factum ut
» plerique etiam Catholicissimi maximum odium in Episcopos
» conciperent, eosque nullo modo admittendos censerent: unde
» ipsi Episcopi ignominiam, contumelias, obloquia, scom-
» mata ludibriaque varia sustinere cogebantur, ut absque vitae
» periculo vix usquam tuti possent consistere.

IV. » Nec mirum est homines laicos ac haeresi imbutos isto
» tempore adeo insaniisse, atque se huic remedio contra

» haereses, potentissimo ac saluberrimo pharmaco, neque inu-
» sitato in Ecclesia Dei, opposuisse; cum et Archiepiscopi et
» Episcopi veteres ac Praelati non pauci fuerint, qui hoc Caroli V
» Imp. ac Philippi Regis institutum, ad exstirpandas haereses
» maxime opportunum, atque Reipublicae Christianae adeo ne-
» cessarium, aliter atque decebat interpretabantur, illudque, tam
» Romae quam hisce in partibus nequidquam impedire, adeoque
» et convellere conabantur. Quare haud dubium est, quin ipsi
» bello huic ac calamitatibus tam diuturnis magnam occasionem
» praebuerint; per quos executio Apostolicae constitutionis et
» Regiae voluntatis (cuius fructus in celeritate potissimum con-
» sistebat, ut tempestive malis omnibus obviam iretur) quamvis
» impediri plane non potuit, tamen non parum fuerit retardata,
» non absque magno Catholicae Religionis praeiudicio et nota-
» bili damno, motibus nimirum et turbis indies invalescen-
» tibus, et haeresibus excrescentibus, quibus novi Episcopi in
» tempore (nisi alii plerique, ut dictum est, obstitissent) sese
» tamquam muros pro domo Dei opponere potuissent. » Ita Havensius, qui quos taxat Archiepiscopos et Episcopos, facile quidem intelligo Remensem et Coloniensem fuisse; quorum hic lapsus ipse in haeresim exauctorari meruit; iste Cameracensem Ecclesiam, eatenus sibi suffraganeam, totam sibi avelli dolebat. Episcoporum, extra vel intra Belgium, nemo magnopere habuit quod quereretur; sed Abbates aliique minores tam Seculares quam Regulares non pauci, quibus adempta beneficia Episcopalibus mensis data vel ex parte applicabantur, multi erant; et paucis ea virtus erat, ut publica commoda privatis anteferrent.

V. Librum suum quintum a praefato Gubernatricis edicto exordiens Strada, « Ipsius quidem, inquit, Regis nomine pro-
» mulgavere Provinciis Praefecti; sed questi prius eorum non-
» nulli apud Gubernatricem, professique, continendis illa edicti

» severitate populis impares se esse. Quin addidere aliqui, » nolle se in id operam conferre, ut quinquaginta aut sexa- » ginta hominum millia, se Provincias administrantibus, igni » concrementur : id quod Regem, IX Ianuarii, admonuit » Gubernatrix, testata quam provideret animo tempestatem. » Prima quidem tempestatis signa e Brabantia emicuere. » Etenim Regis edictum cum proposuisset Brabantinis Pro- « vinciae Cancellarius (neque enim Brabantia Praefectum » habet alium, praeter eum qui toti Belgio praeest), illico » civitates, quae dicuntur Provinciae capita, Lovanium, Bruxel- » lae, Antverpia et Buscoducum, coacto Senatu, compositoque » ad Cancellarium libello, vehementer iracundeque flagitant, » ut suorum ratio privilegiorum habeatur, quibus ea Quaesi- » torum iudicia Caesarisque placita cum repugnent, non » debuisse edictum Regis a Cancellario tam facile proponi, a » se certe admitti non posse. » Hactenus Strada.

Singulaene civitates suas seorsim litteras miserint ad Aulam, an unas communi consensu scriptas subsignatasque, et quo die signatas, non comperio. Primum magis verosimile credo, quod seorsim singulae; et Antverpiensium quidem perquam acerbas minacesque fuisse, colligo ex consiliis subinde agitatis; quorum denique effectus hic fuit, ut Sectarii cum Auriaco, tum forte Antverpiae agente, suamque operam commotis venditante, tractarent, Articulosque nonnullos conciperent.

VI. Hos apud Valkenissium sic descriptos invenio ac si de illis cum Principe reipsa convenisset : hic enim eorum est titulus : *Concordia inter Principem Auriacum et Religionarios, conclusa* XIV *Martii anno* M.D.LXVI.

« Imprimis, ut omnes cives et inquilini huius Civitatis » Antverpiensis, cuiuscumque Religionis nunc sint, in mani- » bus Principis Auriaci provisionaliter praestent iuramentum » fidelitatis, servandae Suae Regiae Maiestati ac Civitati,

» ad obsequium Suae Maiestatis et Magistratus, atque ad » publicam quietem incolumitatemque huius Civitatis, eiusque » inquilinos iuvandos et viribus cunctis tuendos.

» II. Gubernatoribus aut Magistratibus non liceat intromit» tere in Civitatem a foris praesidium aliquod, vel homines » armatos.

» III. Omnes et singuli obligentur summis viribus conservare » antiquam libertatem et privilegia huius Urbis, ac specialiter » Laeti Introitus.

» IV. Ad quietem et salutem Civitatis conservationemque » commercii, integra maneat observeturque, sine contradi» ctione, concordia inita cum Religionariis Septembri prae» terito, donec a Sua Maiestate eiusque Statibus Generalibus » aliter in eo puncto fuerit ordinatum.

» V. Item, unusquisque praedictae Religionis et Status » Ecclesiasticus huius Civitatis mutuo sibi polliceantur nullam » invicem noxam inferre; sed e contrario, si cui violentia aut » molestia fiat, mutuo defendere ac iuvare.

» VI. Ad maiorem securitatem et quietem uniuscuiusque, » claves portarum Civitatis deferantur ad manus suae Excellen» tiae, ad cuius gratiosum arbitrium dictae portae claudentur » aperienturque.

» VII. Item, ut deinceps sedula et severa custodia portis » adhibeatur, dispositis vigilibus ex numero tam civium quam » militum, sine ullo Religionis discrimine, prout Gubernato» ribus visum fuerit pro tempore ordinare.

» VIII. Item, ut quidquid hactenus actum est, censeatur » factum pro conservatione Civitatis; nec aliquis pro eo, quod » heri vel nudius tertius fortassis commiserit quacumque in » causa, conveniri possit, aut reus agi. » Ubi noto, Articulum hunc supremum gravem aliquem a Sectariis motum indicare, occasione edicti, excitatum diebus istis; unde sibi male timentes.

a Catholicis et Aula, periculum sibi imminens voluerint per hanc concordiam avertere, et praevenire quam commeruerant poenam.

» IX. Ut quisque, quum sua vice non tenebitur excubare, » recipiat se in domum suam, et consueto suo negotio, uti » congruum est, vacet.

» X. Item, ad maiorem securitatem Civitatis, Gubernatores, » cum consilio Membrorum, conscribent quadringentos equi- » tes, et ad custodiam fluvii construentur naves bellicae, » quandocumque ipsis Gubernatoribus opus videbitur; idque » sub eo Capitaneo aut Capitaneis, quos aptiores iudicabunt.

» XI Item, omnes Civitatis huius inquilini, tam ecclesiastici » quam seculares, contribuent ad sumptus expensasque » faciendas pro defensione et utilitate communi.

» XII. Tormenta collocentur in moenibus, ibique maneant, » sub custodia et ad dispositionem praefatorum Guberna- » torum.

» XIII. Quod si malevoli nonnulli, sub praetextu Religionis, » attentarent aliquid tendens ad conturbandam Communitatem » vel seditionem ciendam: omnes et singuli cuiuscumque » Religionis conentur id modis omnibus impedire, et malevolos » illos deprehendere.

» XIV. Ad maiorem firmitatem et conservationem dictorum, » Gubernatores et Magistratus et Membra Civitatis et Religionis » Capita iureiurando se obstringent ad observationem horum » Articulorum, absque ulla contradictione aut contraventione.

» XV. Omnes Capitanei, officiales et milites, hactenus aucto- » rati, vel deinceps communi consensu auctorandi, simili » iureiurando se obstringent.

» XVI. Ad certiorem huius generalis pacificationis effectum » obtinendum, omnia Civitatis Membra et Religionis Capita » supplicant Excellentiae suae (pro ea quam ipsis dignatur

» offerre gratia ac benevolentia) ut velit perseverare in curanda,
» ad Suae Maiestatis obsequium, quiete huius Civitatis, eam-
» que protegere; omnia ipsi de se pollicentes, et hunc in finem
» ipsi se integre submittentes, iterum humiliter supplicando,
» ut protectionem ipsorum et huius Civitatis inquilinorum, ad
» Suae Maiestatis obsequium et commune bonum, dignetur
» acceptare. »

VII. Quomodo haec puncta exceperit Auriacus (si tamen excepit, et confecta non sunt, sparsaque in vulgus a Sectariis ad firmandam factionem), quomodo, inquam, haec puncta exceperit, vel iis in rem suam usus Auriacus fuerit, nolo per coniecturas prosequi: solum noto, in anni sequentis ad pontem Meranum tumultu, palam et in os Auriaco exprobrasse Calvinistas perfidiam, quod promissa ipsis data non servaret. Interim vero, hoc ipso anno et mense Martio, Bredae, quae Civitas Auriaci erat, convenisse plurimos Nobiles constat, interque se foedus, quod COMPROMISSUM vocabant, sanxisse pro Inquisitione sacra et externa militia Belgio constanter arcenda; cui foederi subscripsisse Auriacum ut non audet asserere Strada, vel omnino Bredae praesentem fuisse, sic vehementer suspicatur, e duobus Aurei Velleris Equitibus (quos Comes Meganus ipse, eiusdem Ordinis Sodalis, fassus est Gubernatrici clam conspirasse, licet sibi ignotos) unum posse censeri Auriacum; certe omnium conscium fuisse non dubitat; et hoc etiam confirmare possunt nostra Mss., quae sic porro habent reliqua huius anni apud nos gesta :

VIII. « Die v Aprilis, eademque Dominica Palmarum, Ant-
» verpiam convenerunt quidam Aurei Velleris Equites, puta
» Hornanus, Egmondanus, Aurangius, Berghensis, Hochstra-
» tanus atque alii plures Nobiles, simul concepturi libellum
» supplicem Gubernatrici offerendum, auctore et conspirationis
» novae capite D. Henrico van Brederode, Toparcha Viandensi;

» qui eodem die Bruxellas abiit in comitatu plus quam trecen-
» torum Nobilium, mutuo sibi fidem iuratorum; Dominaeque
» Gubernatrici libellum obtulit, Gallice scriptum.

» Praecipui Articuli huc spectabant, ut illa intelligeret,
» Regis subditos humiliter postulare, ut ipsa dignaretur a Sua
» Maiestate impetrare abolitionem Inquisitionis Hispanicae, et
» mitigationem edictorum poenalium, ab ipso eiusque patre
» latorum contra Sectarios anno M.D.L; quae illa, die XVIII
» Decembris ultimo praeteriti, renovarat, missis ad omnes
» Provinciarum Praefectos litteris. Item, ne quis posthac causa
» Anabaptismi, vel alterius circa fidem controversiae puniretur,
» donec Belgii Status communi consilio definivissent quomodo
» quieti publicae consuleretur; populum enim vel ad solam
» Inquisitionis novorumque Episcoporum inductionem cohor-
» rescere, et ad seditionem moveri.

» Istis cum se opponerent eiusdem Ordinis alii, et Comes
» Barlaymontius elabi sibi apud Gubernatricem sivisset, libelli
» auctores ne metueret, non esse nisi *Gheusios*, id est men-
» dicabula; illi deinde in symposio, ubi de nomine factioni
» dando consultabatur, quasi tali titulo gloriosi, ita mutuo
» coeperunt compellare et exclamare, *Vivant Gheusii*: deinde
» et vestes coloris grisei et scutellas ligneas cum mantica
» usurpare, earumque figuras varie expressas aut galeris
» affigere, aut ex collo suspendere. Gubernatrix, ex suorum
» consilio, supplicantibus respondit, id quod postulabatur in
» sua potestate non esse; adirent ipsi Regem per aliquos e
» suo numero, eique postulata sua exhiberent; interim agerent
» quiete et Catholicam Religionem tuerentur. Iverunt ergo
» Bergas ad Zomam Comes ipse et Dominus de Montigny,
» nunquam redituri; ambo enim de fide inquisiti et convicti
» deficere, capite plexi sunt; Marchionis autem corpus cum
» capite navi in Belgium revectum fuit anno sequenti.

IX. « Sub hoc tempus Bruxellis Antverpiam transiit Sadelio-
» rum familia, praeclarissimos Chalcographos duos, *Ioannem*
» et *Raphaelem*, istic anno M.D.L et LV natos, Europae datura.
» Ignoratur nomen patris, de eoque hoc solum scitur, quod in
» ferro exercuerit artem encausticam (*Damascenam* vulgo vo-
» cant), ea aetate caram Nobilitati, clypeos, galeas, thoraces, sic
» pictos amanti; qui in eadem filios exerceri voluit, quamvis
» illi magis ad chalcographicam propenderent, seque clam
» patre eamdem, proprio fere marte ac sine magistro, exerce-
» rent; donec senior Ioannes, ducta Antverpiae uxore, anno
» M.D.LXXIII sui iuris et arbitrii est factus. Tunc enim, dimissa
» encaustica, ad gratiorem sibi chalcographicen totum animum
» ac studium transtulit; tam sedulus facilisque in opere, ut
» Martinus de Vos aliique insignes pictores, quibus suam
» locabat operam, vix possent tam prompte designationes ei
» suas exhibere, quam Ioannes eas perficiebat. Sic exercitatus
» transiit Colonia Francofurtum, nobilem et mercimoniis cele-
» brem civitatem ad Moenum, anno M.D.LXXXV. Ibi annis
» aliquantis commoratus, innotuit Bavariae Duci et Electori
» Maximiliano; a quo Monachium invitatus, post multa ad illius
» nutum praeclara opera, anno M.D.XCV transiit in Italiam,
» delineandis villarum, montium, palatiorum ac ruinarum et
» silvarum prospectibus, ingenium instructurus magis. Sed
» Roma rediens anno seculari M.DC, Venetiis peste correptus,
» obiit, manente ibidem filio *Iusto*; qui relictam sibi a patre
» officinam tenuit usque ad annum M.DC.XX, quando legatum
» Venetum in Hollandiam secutus cum familia, nescio qua
» causa velspe, primum Amstelodami resedit, deinde Leydae,
» ubi acuta febri correptus, sepulturam excepit in ecclesia
» quam vocant Hochlandicam. »

X. « Par fratris *Raphaelis* ferme fortuna fuit: qui germani
» sui in arti Magisterio exemploque similem in Bavaria

» successum haud vane pollicitus sibi est; fixaque Monachii
» sede *Bavariae sanctae* tomum primum a nostro Mattheo
» Radero compositum, iconibus exornavit; anno deinde
» M.DC.XXV, una cum synonimo filio tomum secundum tabu-
» lis XLIV, cum distinctione *Senioris* ac *Iunioris* singulis
» addita : quas icones aeque ac priores Christianus orbis
» numquam satis mirabitur.

» Eodem genio iidem expresserunt Eremicolarum sanctorum
» schemata, aliaque multa fovendae pietati magnopere utilia.
» Oculorum tamen debilitate nonnihil impeditus pater, pi-
» cturae exercendae se dedit; donec, illis curatis, ad dilectam
» sibi chalcographicam rediturus, etiam in Italiam abiit,
» unde Venetias redux, ibidem mortem obiit nescio quo
» anno.

» *Iunior Raphael* anno M.DC.XXVII, eidem Maximiliano Ele-
» ctori inscriptum a praedicto Radero *Bavarae piae* tomum
» primum ornavit tabulis XX; secundum vero, Principe mox
» mortuo, quatuor eius Principibus filiis anno sequenti
» offerendum, tabulis septemdecim, quarum aliquibus adscri-
» bitur nomen Adumbrantis seu Inventoris Matthaei Kager.
» Huius Iunioris *Raphaelis* nec nomen nec icon locum habet
» in Pinacotheca, sed patris patruique effigies, pag. 463 et
» 475. Pagina autem 483 invenitur *Aegidius Sadeler*, isto-
» rum duorum discipulus et nepos ex tertio fratre praemor-
» tuo. Hic Antverpiae natus anno M.D.LXX, trium successive
» Imperatorum Rudolfi, Matthaei et Ferdinandi II chalco-
» graphus fuit, et a singulis catena aurea ornatus. Excelluit
» praecipue sculpendis in aes principum virorum effigiebus
» quam proxime ad vivum, cum eas prius coloribus excepisset,
» pictor ipse non minus quam sculptor egregius. Commo-
» rabatur is ut plurimum Pragae in Bohemia, ubi extremum
» quoque diem obiit anno M.DC.XXIX. » Atque hoc totum est,

quod de illis, ex libro Manderi de Pictoribus, omnium quos noverat Vitas accurate prosecuti, scire potuimus memoria dignum.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

V MAII, *Feria* III *hebdomadae* IV *post Pascha actum* V *Aprilis.*

CONSULES. — Dom. Henricus van Berchem V. — VI. Dom. Iacobus vander Heyden II.

SCABINI. — Lancelottus van Ursele. — Dom. Didericus vande Werve. — Dom. Nicolaus Rockox. — Dom. Antonius van Stralen. — Dom. Ioannes vande Werve. — Dom. Ioannes Wolsaert. — Dom. Ioannes van Schoonhoven. — Martinus van Ranst. — Henricus van Etten. — Ioannes van Halen. — Ger. des Pommereaux. — M. Gislenus dele Cigne. — M. Io. vander Meeren. — M. Cornelius de Wyse. — M. Ioa. de Pape. — M. Ioannes Rubbens. — Mag. Aegidius Happaert.

ARGUMENTUM.

I-IV. In summa Curia pro statua Mariana collocatur fabulosus Brabo. Sectarii, verbis et scriptis insolescentes, etiam extra urbem incipiunt conciones habere. Ambiguae circa eas sententiae, plebeii concilii, et variae hinc inde turbae. V. Super his et sequentibus reciprocae Auriaci et Gubernatricis litterae. VI-VII. Conatus ad impediendos conventus forenses. VIII-X. Post amburbalia Mariana, et haereticam Abbatis Bernardini concionem, ecclesias occupant et spoliant Iconoclastae, totoque sequenti biduo in iis impune grassantur. XI. Remedium a Magistratu et ab Auriaco Gubernatore serius adfertur.

ACTA POSTERIORA.

I. « HUIC Magistratui pessimum omen fecit positus in

» summo novae Curiae frontispicio (ubi stare Mariana effigies » debuisset, sicut in veteri steterat) fabulosus et profanus » Brabo, gladio minax, quasi manum praecisam in medium » iacturus forum, semen civicarum seditionum. » Ita Caukerkius. Sectarii autem, facti audaciores earum, quas Bruxellis agi audiebant, rerum fama, noctu spargebant affigebantque famosas schedas et libellos contra statum Ecclesiasticum, Inquisitionem Hispanicam, et Cardinalem Antonium Granvellanum, quem discedens Rex Gubernatrici Consiliarium intimum adiunxerat, multa ac manifesta mendacia comminiscentes. « Die XXI Maii, Sectarii coeperunt praedicare in » Berchem; ad Kilam autem venit novus Parochus, priore » ob haeresim pulso nihilo melior, dictus Dominus Frans, » qui multos ex Civitate trahebat auditores, quia dicebatur » praedicare puram Confessionem Augustanam; sed vel ideo » cito iussus est cessare. Die XIII Iunii, Sectarii quidam iterum » praedicare praesumpserunt in silva Berschotana, congregatis » propemodum trecentis. Die autem XXIV, in festo S. Ioannis » Baptistae, fidentius ac propius Civitatem, Calvinistae exive- » runt plures sexcentis ad audiendum quemdam Francum, » qui, professione causidicus et debitis suis solvendis impar, » profugerat Parisiis; gallice autem concionaturus erat in » prato publico post Burgerholtum, HET LUYSBEKELAER dicto, » ex nomine praeterlabentis rivuli.

II. « Die Sabbati XXIX Iunii, festo SS. Petri et Pauli, con- » gregatus Magistratus deliberavit de modo impediendi con- » ciones Larenses, gallice et teutonice habendas; decretum- » que fuit, ut pro prima vice ad portas singulas constituerentur » cives armati viginti, omnes egressu prohibituri; et summo » mane edicto publicato vetuerunt, ne quis ea causa urbe » egrederetur; sed, edicto contempto, Sectarii plures mille » quingenti per portas eruperunt. Postridie autem Dominica

» die, multo maiori numero exierunt instructi psalteriis, » cantionibus, satiris et imaginibus contumeliosis contra » Ecclesiasticum statum, ibidem copiose distrahendis. Quidam » etiam sibi in prandium cibo allato providerant, ne frauda- » rentur concionibus, quae teutonice duae, una gallice, post » meridiem dicendae promittebantur; custodes autem portis » appositi transitum permittebant exire volentibus.

» Prima Iulii, edictum fuit ex parte Magistratus, ut singuli » cives deferrent numerum et qualitatem extraneorum, in » cuiuscumque domo commorantium, et stabularii seu cau- » pones omnium talium, apud se ea nocte futurorum, nomina » atque cognomina, sub poena duodecim florenorum et arbi- » trariae correctionis. Sequenti die, ex parte Aulae prohibitus » fuit egressus ad conciones, sub poena amittendae civilitatis; » in quo ne ignorantiam praetexeret aliquis, ad omnes eccle- » siarum valvas et Civitatis portas mandatum prostitit. Hoc » tamen non obstante, plura etiam quam ante millia exiverunt.

» Post meridiem, sub initium sermonis teutonici, grandis » tumultus exstitit, eo quod dum praedicans magno cum » plausu cathedram ascendebat, circumstantium quidam sclo- » pum penes se occultum habens, eum explosit : quod retro- » stantes interpretabantur proditionem aliquam. Alius quoque » tumultus exstitit sub finem concionis, transeuntibus illac » equitibus aliquot Italis scloposque exonerantibus; unde tota » congregatio illa populi in tantam versa consternationem est, » ut, unis super alios ruentibus, aliis brachia, aliis crura fran- » gerentur; plurimi galeros chlamydesque amitterent. Calvi- » nistae vero, qui omnes sclopis instructi advenerant, suos » quique exploserunt, proditos se rati.

III. « Die v Iulii, perstiterunt clausae portae omnes usque » ad nonam, quando earum duae, Georgiana et Rubea, rese- » ratae sunt : eodemque die, incendium exarsit in viculo

» Lombardico, nunc Lecticario, DE BEDDESTRAET, ubi solarium
» cuiusdam scriniarii ignem concepit ex assulis temere accensis
» ad gluten liquefaciendum. Hinc magna in populo conturbatio
» nebulonibusque nonnullis loco non uno clamantibus, *macte,*
» *macte,* magnus fuit ad ecclesiam et sacristiam Marianam
» concursus, ubi complures Sacellani congregati stabant; sed
» quia meridies erat, ante horam quartam exstincta fuit omnis
» flamma; nec aliud inde damnum exstitit quam quod corruens
» frontispicium lateritium, tres hômines obtrivit, quorum duo
» illico exspirarunt, tertius non multo post in nosocomio obiit.

» Eodem die v Iulii, Antverpiam invecti sunt D. Brederodius
» cum fratre suo Comite Adolfo, Dominus Culenburgius,
» aliique nonnulli Gheusiorum Procerum; sumptoque in Cam-
» meria via hospitio, ad signum Leonis Rubri, decem diebus
» ibidem commorati sunt, magnam pecuniam consumentes
» cum Calvinistis. Quodam autem die, cum illuc plurima
» civium multitudo confluxisset, ipse Brederodius ad eos per
» coenaculi fenestram prodiit cum vini patera, protestatusque
» adesse se ut eos ab Inquisitionis metu liberaret, omnibus
» propinavit, iussis manum attollere qui secum facerent.
» Attollentibus autem manum plerisque, hausta patera extulit
» etiam ipse suam, et plaudentes dimisit.

» Die vi Iulii, novum a Rege mandatum prodiit, quo vagi
» omnes sub poena capitis iubebantur Civitate excedere ante
» solis occasum; et, ne quis praesumeret foras ad conciones
» egredi, sub comminatione arbitrariae correctionis. Circa
» vesperam vero evulgatus est rumor, quod ipsa nocte com-
» plures equites peditesque inducendi intra Civitatem essent;
» unde exorta trepidatione inter cives, quilibet curavit sibi
» prospicere de armis ad vitam bonaque tuenda, et ante
» fores tota nocte tenere ardentes lanternas : quae res varias
» mulieres abortire fecit, et mercatoribus ut se ad urbem

» deserendam compararent persuasit : sed hoc eis ex parte
» Civitatis inhibitum fuit. »

IV. « Dominica die VII Iulii, Sectarii ad pratum saepe dictum
» summo mane egressi sunt, sclopis venabulisque instructi
» maximo numero, non obstante pluvia vehementi; post meri-
» diem vero animosiores et plures hora tertia ad concionem
» gallicam teutonicamque. Eodemque die, sutor quidam ebrius,
» cui cognomen *Hercules*, in ecclesia Minoritarum, contenta
» voce exclamavit *Vivant Gheusii* : qua voce conterriti viri fae-
» minaeque se proruperunt e templo, amissis in ea consterna-
» tione plurium pileis, palliis ac peplis; in ecclesia autem
» S. Iacobi sub concione turbatum est aliquid, quia impius
» quidam comprehendere volebat pauperculam, quae stipem
» ab auditoribus petebat.

» Die XIII Sabbato, post meridiem, Brederodius, cum om-
» nibus suis Gheusiis, equitantes usque Roijam OP DEN DRIESCH,
» seu pascuum publicum, obvium iverunt in equis Principi
» Auriaco, Burggravio Antverpiensi, qui tamquam defensor
» Urbis veniebat, cum plus quam trecentis equitibus, plerisque
» Gheusiis. Ad hunc ingressum spectandum effusa est pene
» dimidia Civitas, quae congesta per vias, per quas transeun-
» dum ipsi erat, haud modice illum obstupefecit; maxime cum
» ad Berchem et in ponte portae Caesareae, identidem ipsi
» acclamaretur, *Vivant Gheusii*. Aegre id ille ferens, mandabat
» eiusmodi vocibus abstinerent, et mox sequenti die ad Guber-
» natricem scripsit quid et quomodo contigisset. »

V. Exstat apud Advocatum Nys authentica copia litterarum, ex-
hinc usque ad XIV Octobris a Principe ad Gubernatricem, et
ab hac ad illum vicissim datarum, quandoque geminarum uno
die : quarum testimoniis hic subinde utar ad certiorem fidem
clarioremque intellectum. Ita ex prima illarum hic noto,
eos qui obviam progressi erant, plures triginta millibus

fuisse : venisse etiam Magistratum, cui indicaverit optima Gubernatricis pro pacificanda Civitate voluntatem; ab eisque acceperit articulos aliquos illi proponendos, ubi eos ipse examinaverit; Sectarios autem, ipso quo scribebat die, egressuros armatos ad concionem, quia rumor erat venire Drossardum Brabantiae, congregatos disturbaturum. Et factum est ut futurum nuntiaverat. « Nam Dominici mane xv Iulii, multitudo ipsorum » longe maxima, interque eos cives primarii, nonnulli optime » armati, ad pratum sunt progressi cum tribus praedicantibus; qui iactaverant dicturos se contra Ecclesiasticum statum, septem Sacramenta, Missam, Peregrinationes votivas, » Pontificias Indulgentias, totamque Religionem Romanam; » quod ut securius fieret, sepserant Calvinistae omnia viarum » capita, ad pratum ducentia, equis curribusque. Quare etiam » in Civitate ad portas ac pontes custodia erat civium trecentorum. Quotiescumque autem sic egrediebantur, deducebant » praedicantes suos inter duodecim equites cantando psalmos » aliquos.

» Proximo die Lunae Divisionis Apostolorum, nihilo secius » praedicatum est, quamvis Auriacus conatus fuerit id impedire. Quin imo coeperunt publice matrimonia coniungere, » et oblatos sibi infantes aqua ex fossis hausta baptizare, » dicendo *Baptizo te, Abraham*, si masculus erat, *Sara*, si » puella, *in nomine Patris* etc., absque alia ceremonia, idque » vernacula lingua; susceptoribus vero seu patrinis dabant aliquid instructionis circa usum Baptismi. »

VI. « xvi Iulii, Auriacus, in qualitate Burggravii, congregari » fecit plenum Civitatis Consilium; in eoque, Regis et Aulae » nomine loquens, mandavit inveniri rationem, qua cursus » praedicationum sisteretur. Cui cum congregati nihil certi » respondere possent, dedit ipsis tempus deliberandi, ad xix » eiusdem mensis exclusive. Interim, per modum consultationis

» generalis, accersivit sex Guldas iaculatorum, tres Cameras » Rhetoricorum, Violae, Oleae et Chrysantheae; item Guldas » Venerabilis Sacramenti, Laudumque Deiparae, nec non » Eleemosynarios, variasque Nationes; ut una communiter » caperent aliquod utile consilium.

» Die xix Iulii, iterum convenit plenum Consilium ad » declarandam mentem suam, atque per novum Pensionarium » Mag. Ioannem Gillis dici iussit, rem sibi nimis difficilem » curatu videri, quodque parati essent ei tale remedium » adhibere, quale suggereret totius Belgii commune decretum; » quandoquidem non in sola una Antverpia habebantur » conciones, sed etiam extra ipsam in aliis provinciis, civi- » tatibus, oppidis, municipiisque.

» Die xx, vicomagistri, ex parte Principis, centurionibus » suis, et hi decurionibus; sex Guldae, Ministris suis, atque » per hos, singulis Confratribus, nomine Civitatis, denuntia- » runt ne quis eorum vel accederet ipse, vel suos familiares, » liberos, consanguineos pateretur conciones accedere. Hinc » tanta exstitit ab Ecclesiasticis alienatio vulgi, ut eorum » nemo absque conviciis contumeliisque posset consistere » vel procedere uspiam; et, contempto istiusmodi mandato, » multo frequentiores quam antea egressi ad Pratum sunt, » equites peditesque, omnis generis armis muniti, offensivis » ac defensivis; quidam etiam ex potentioribus civibus exter- » nisque statuerunt custodes, data pecunia, ut providerent » ne suae conciones turbarentur: post quos ipsorum Ministri » rursus ritu suo baptismos et matrimonia celebrarunt. Interim » tres Fratres Minores, urbe egressi Turninum versus, per » trium Praedicantium coetus impune transierunt, et ab » aliquot honestioribus viris extra turbas in rectam viam » deducti sunt. Finitis autem concionibus, quae totas tres » horas cum aliis functionibus tenuerunt, cantati sunt lingua

» vulgari Psalmi, et, explosis in signum laetitiae sclopis,
» regressi omnes in Civitatem sunt. Denique dies xxii tran-
» quillus transactus esset, nisi, propter sectam alicui bursam,
» tumultus in populo fuisset exortus. »

VII. « Ad huiusmodi forenses conventus impediendos
» (quorum iconismum haud ineleganter habet Leo Belgicus,
» pag. 55 v°). Auriacus Princeps saepius plenum Consilium
» cum Nationibus congregari fecit: et, die xxv Iulii, consense-
» runt omnes, ut suggestum repetere permitteretur D. Matthias,
» secundus Kilae Parochus, quem Curia Cameracensis Pasto-
» rali officio interdixerat, quia concionibus suis miscebat
» Augustanam Confessionem. Hunc enim illuc revocaverant
» aliqui, eo quod non satis convictus de haeresi videbatur.
» Cum ergo eodem die istic dicturus esset coram nonnullis
» de Magistratu et Lutheranae factionis hominibus (Martinistis
» vulgo dictis) pluribus quam ter mille, grave contra Eccle-
» siasticos exstitit murmur, dicentibus passim Antverpiensibus,
» quod si Papistae pati voluissent istius Matthiae conciones,
» numquam foras excursum fuisset.

» Kalendis Augusti, tumultuatum Antverpiae a Laristis est,
» iis scilicet qui in Prato publico HET LAER solebant conciones
» frequentare. Tumultus autem causa fuit, quod unum eorum,
» cum sclopo egredientem (id quod Magistratus vetuerat), eodem
» privasset Scultetus. Etenim ille telo suo spoliatus, ad capita
» factionis (quos Commandantes appellabant) querelas suas
» ita detulit, ut, facto ad Scultetum concursu, coactus hic
» fuerit ablatum sclopum eorum confratri restituere, maioris
» mali formidine.

» xiii eiusdem mensis, ad portas et pontes Civitatis duplicata
» custodia fuit, usque ad centum capita; quibus Praefecti
» praecipui quidam cives, cohibituri excursiones Sectario-
» rum. His ita prohibitis, primarius Larensium Calvinistarum

» Doctor Hermannus, praesumpsit suis polliceri, se die
» xv Augusti, festo Assumptae Virginis, concionaturum intra
» urbem in nova Civitate. Eodem die a custodibus portae
» Rubeae detentus est currus, armis onustus; sed Magistratus,
» misso Brevis Virgae Apparitore, currum relaxari praecepit,
» atque Merxemium dimitti, quomodo illuc alii similes duo
» currus iam ante transierant. Custodes vero responderunt
» Apparitori, non obedituros se, nisi id mandaret Princeps
» Auriacus, tunc in Aquensi Domo hospitatus; ubi praecedenti
» die denuntiatum ei fuerat, quod praedicans Hermannus iacta-
» verat se postridie in ipsa Civitate concionaturum ad domum
» Hessorum; quo loco iam ei suggestus erat erectus. Princeps
» igitur, accersitis eadem nocte Consulibus cum praedicante
» atque huic adhaerentium praecipuis, voluit ut suggestum
» suum referrent ad locum priorem, eoque uterentur donec
» Domina Gubernatrix supplici eorum libello dedisset re-
» sponsum, quod indies exspectabatur. Facto die, Consules
» fecerunt congregari sex Guldas, quamque in sua camera
» cum armis; et Hermannus cum suis Laristis, iubente Principe,
» est egressus, bene munitus, licet prohibitum esset armatos
» egredi ad concionem; sed propter commotionem suscitatam
» ex curru armis farto, mandatum custodibus portarum fuit,
» ne quemquam prohiberent egredi cum armis volentem. »

VIII. « Die Dominica, XVIII Augusti, ducta fuerunt amburbalia
» consueta, cum curribus ludicris et virgunculis : sed manda-
» tum fuit ut Guldistae loricati cum sclopis procederent; quod
» alias semel dumtaxat in Pentecostalibus fieri consuevit.
» Causa praetexebatur, quod Principis uxor, cum multa Nobi-
» litate spectatura processionem ex Curia erat; cuius honori
» hoc etiam detulerunt plerique Guldistae, ut quam pretiosis-
» sime ornatos se sisterent : non deerant tamen inter ipsos
» qui ligneas scutellas phialasque, Gheusiorum insignia, pileis

» praeferrent. Cum autem Deiparae statua, speciosissime induta, » monilibusque ac gemmis de more ornata, circumferretur, » non deerant qui obmurmurarent dicerentque meram id » esse idololatriam, neque diutius tolerandam; alii procaci- » ter blasphemantes, in ipsam Deiparam voces impias iacta- » bant, contemptim eam appellando *Mariolam*, et maiori cum » probro, *Exportatricem*, MAYKEN UYTDRAEGSTER, cum respectu ad » eas mulieres, quae victitant ferendis ad Lombardam pignori- » bus sibi creditis; quod plerique verecundantur per se ipsos » facere. Addebant autem, *Hoc tuum ultimum festum est, cras de* » *te ignem struemus ad mitulos coquendos*. Nihilo leviora in » Ecclesiasticos eorumque statum dicebantur, ita ut merito » timeretur, ne non sine magna confusione processio finiretur.

» Lunae XIX die, Princeps Auriacus egressus est ad mona- » sterium S. Bernardi, acturus cum Abbate Thoma Thielt; » indeque profecturus ad Gubernatricem, et quid responsi ad » libellum supplicem Gheusiorum datum esset, intellecturus. » Eodem die, dum Vesperae in choro Mariano cantabantur, » proiectissimus quidam nebulo, conscendens pulpitum concio- » nabundus, Ecclesiasticos indignis modis proscindebat. Hoc » cum ferre non posset robustus quidam ac zelosus nauta, » correptum per medium rabulam deturbavit de cathedra; » moxque secuta intra ecclesiam est conturbatio magna, nec » longe a seditione res aberat.

» Die Martis, post Vesperas, ad eamdem ecclesiam confluxit » ingens turba puerorum atque infimae faecis hominum : » quia aeditui Deiparae imaginem, solitam alias toto octiduo » medio suo in choro prostare, ad venerationem, in suum » locum supra altare extulerant in meridie, toto postmeridiano » tempore eidem subsannando insultabant, quaeritantes ut- » quid tam cito in suum se nidum recepisset; multisque modis » tumultuabantur circa illius chorum, doxale et vas aquae

» lustralis, nec non in media ecclesiae navi. Hoc intelligens » Marcgravius, accurrit cum satellitio suo, volens eos expel- » lere. Sed nimia iam erat turba, quam ut compescere eam » posset; consultiusque duxit se inde subducere.

» Hinc illi facti audaciores collectique circa vas aquae » lustralis, sub tempus inchoandarum Laudum coeperunt » Psalmos suos fremitu confuso canere. Paulo post advenit » Princeps Calvinistarum, Doctor Hermannus, quibusdam com- » plicibus sociatus; iterumque et iterum exclamans *Vivant* » *Gheusii*, perrexit in pulpitum, ubi, post Psalmos aliquot, » more suo contra idololatriam debacchatus, mandavit ut » omnes imagines figuraeque Sanctorum eorumque ornatus » eliminarentur ab ecclesiis. Dictum factum. Mox chorus » Marianus, diffractis valvis, violentiae sacrilegae patuit, nihil- » que in eo remansit integrum quod frangi posset. Ipsa » Sacramenta indignissime tractata, direpta vasa argentea aurea- » que, Oleum benedictum calceis liniendis adhibitum, Sacro- » sanctae Hostiae pedibus conculcatae, dicentibus impiis hunc » esse Deum Papistarum; Baptisterium etiam deiecerunt. »

IX. « Ipse Hermannus Dominicum Praeputium, a pluribus » (ut fertur) seculis hic asservatum, sibi tulit, cum Reliquiis » quae in maiori choro argenteis inauratisque thecis inclusae » stabant. Illam vero grandiorem lipsanothecam, quae sole- » bat in processionibus circumferri, prorsus comminuerunt; » ciboria, calices, cruces confregerunt, aureosque et argen- » teos textus capparum, casularum, aliorumque paramento- » rum disciderunt.

» Maioris laboris fuit effringere Capitulare Aerarium, quod » a solvendis portionibus DE PAIJKAMER dicitur; quia ostium, » bene firmum firmisque obtectum laminis, vix intra duas » horas grandi fabrili malleo effringere potuit quidam Gera- » nii Wervensis minister; et sic praedae patuerunt cuncta

» pretiosiora altarium ornamenta, ibi reposita. Nec immunis ab
» ista violentia fuit eleemosynaria cista. Sed haec quoque
» effracta, direptaque est pecunia omnis pauperum. Utrobique
» autem dissipati sunt commentarii librique rationales, et
» donationum contractuumque instrumenta vetustissima; libri
» etiam ad sacram in choro psalmodiam artificiose conscripti.
» Tum altaria, post incendium refecta ex marmore pleraque,
» confregerunt; quorum unum venerabilis Sacramenti multis
» florenorum millibus steterat, et post annorum quadraginta
» laborem necdum plene perfectum erat. Eamdem sortem tule-
» runt non minus speciosa quam pretiosa altaria Sacri Praepu-
» tii, et parochiale, et quod fabrorum caementariorum natio sibi
» struxerat, elatum usque ad fornicem alae lateralis, nec non
» Merciariorum, ligneum illud quidem, sed tam artificiose
» elaboratum, sicut illud anno M.D.XXXIX spectandum dedi.
» Insuper dissipaverunt sacrilegi pleraque praestantissimo-
» rum pictorum aestimatissima opera, puta sacram Christi
» crucifixi tabulam, Quintini Metsii manu elaboratam; et
» Assumptionis Marianae in choro maiori, opus Francisci
» Floris, aliamque in altari nominis Iesu. Cistae, portae,
» scamna, unde spes erat aliquid eruendi, conterebantur.
» Sola cathedra concionatoria, quae, basi insistens saxeae,
» tota ex unico grandi trunco querno, opere interrasili sculpta
» erat ad miraculum artis, quia ipsis ad concionandum porro
» servire debebat, integra evasit; non tamen Sanctorum
» Evangelistarum aliorumque Divorum icunculae, per loculos
» profunde excavatos dispositae. » Huius hic figuram vel sic
censui exhibendum, ne, cum eam novo et vulgi oculis gratiori cultu mutari placuerit, sicut tota Civitate est factum, huius quoque memoria abeat ex animis.

« Trium etiam praestantissimorum organorum fistulas inflantes
» pueri, discurrebant per plateas, easque aciculis commutabant.

» Tota autem haec desolatio intra quinque aut sex horas » consummata fuit quanta nec enarrari nec scribi facile » possit, nec sine ingenti sumptu reparari. » Iconismum tamen elegantem satis habet Leo Belgicus, pag. 57 v.°.

« His ita peractis, transierunt impii cum Hermanno duce » ad reliquas parochias, monasteria et sacella, omnia concul- » cantes et dissipantes, cum infinitis opprobriis et contumeliis » Religiosorum ac Religiosarum. Nec hic finis. Cogebantur » omnes aedibus suis excedere, et inter rapaces manus divide- » batur quidquid victualium conditum erat. Mulieres plenis » saccis efferebant lineam ac laneam supellectilem; vinum » autem et cerevisiam, quam consumere non poterant hel- » luones nefarii, effractis doliis, effundebant per caveas, vel » excrementorum suorum faecibus inquinabant, Turcis Sara- » cenisque peiores.

» Ad haec impedienda nihil agebat Magistratus; sed nova in » Curia se continebat conclusum, peiora reformidans. Neque » Guldistae in foro armati, neque cives aedium suarum foribus » custodiendis intenti, aut ad angulos viarum dispositi, quid- » quam movebantur; mandatum enim eis scripto erat a Consule » Stralio huic rei se non miscere, sub poena amittendae civili- » tatis, quidquid demum accideret, nisi mandato Principis » Auriaci. Hoc tamen mandato non obstante, zelosi quidam » Catholici conabantur sacrilegis istis extorquere spolia ec- » clesiarum; verum multitudine superante repellebantur, » domum se suam quisque reducentes, nisi mallent a Calvi- » nistis occidi.

» Postero die, xxi Augusti, eadem faex vulgi summo mane » rediit ad Basilicam Marianam, iterumque coepit diffringere » quidquid praeterita nocte integrum forte dimiserat, vel » semifractum reliquerat. Ergo speciosum ex aere in doxali » crucifixum funibus stringentes, quantaque potuerunt vi

» trahentes, flexerunt quidem, non tamen detrahere a loco
» potuerunt, nisi tertio die adminiculo serrarum atque secu-
» rium. Simili etiam ratione ad se traxerunt formosas illas ex
» marmore statuas Apostolorum duodecim, inter columnarum
» arcus per templi primariam navim dispositas. Postquam
» autem Antverpiae grassati ad libitum Calvinistae fuerant,
» eodem die atque furore per omnes circum Civitatem paro-
» chias et conventus rabidi discurrerunt, praesertim ad Abba-
» tiam S. Bernardi, ubi speciosissimam ecclesiam funditus
» destruxerunt. »

X. « Die Iovis, xxII Augusti, post meridiem, malevoli qui-
» dam Calvinistae rursus violenter irruperunt in ecclesiam
» B. Mariae, et per medias civium custodias praedicantem
» suum Hermannum introduxerunt ad pulpitum : qui, post
» consuetam ipsis psalmodiam, praedicavit, imperavitque
» ut quisquis aliquid auri argentique aut alius cuiuscumque
» rei ecclesiam spectantis abstulisset, eodem referret; et edixit
» se postridie rursus praedicaturum eodem loco. Verum Civi-
» tati militantes quidam et ad ecclesiae custodiam constituti,
» nonnullis ad audiendam concionem intrare volentibus, arma
» sua abstulerunt; alii tamen ex iis, dimissa statione sua, cum
» ipsis ad audiendum sunt ingressi. Absoluta praedicatione,
» sacrilegum vulgus denuo coepit comminuere quidquid re-
» mansisse inveniebant. Eodem die, Civitatis mandatum exivit,
» ut quisquis ab ecclesiis vel monasteriis rapuerat aliquid,
» intra triduum referret ad Vicomagistrum suum vel ad
» Curiam ; sed aliud nihil relatum est, quam quod boni
» Catholici domi suae absconderant, manibus sacrilegorum
» subtractum.

» Die Veneris, xxIII Augusti mane, Hermannus per custodiam
» Guldistarum denuo irrupit in ecclesiam Marianam; et, facta
» praedicatione, infantem unum baptizavit. Caeterae ecclesiae

» omnes erant custodibus septae, ne quid inde amplius
» efferri posset, postquam scilicet ablata iam erant omnia.
» Istis tamen nihil obstantibus. furiosa plebecula sustulit
» et in frusta comminuit insignia Caesaris, in choro Mariano
» appensa. Hoc cum esset Magistratui, in Curia congregato,
» nuntiatum, missus eo Marcgravius omnes inde effugavit, et
» ecclesiam clausit. Post tantam insolentis vulgi exorbitan-
» tiam sacrorumque vastationem, die XXIV mensis, erectum
» in foro patibulum est, dispositique per omnes eiusdem
» fori angulos sclopetarii Guldistae sunt ad custodiam, metu
» maioris graviorisque tumultus; et aliquibus iconomachis
» ecclesiarumque violatoribus comprehensis, eorum mox unus
» fuit morte punitus, eo quod exspectabatur Princeps Auriacus,
» sine mora Bruxellis adfuturus. Eodem nihilominus tempore,
» in nova Civitate Sacramentariorum seu Calvinistarum do-
» ctrina per tres praedicantes exposita fuit; et Kilanus prae-
» dicans, qui suum sacristanum occiderat, praedicavit in
» ecclesia S. Georgii Confessionem Augustanam. »

XI. « Die XXVI, Bruxellis per postam rediit Princeps Auriacus,
» noctuque lustravit custodias omnes intus ac foris: diligentis-
» sime enim servabantur omnia a civibus, iisque praebebatur
» pulvis ac plumbum, nonnullis etiam arma, puta thoraces,
» clypei, hastae. Ipse Princeps Domum Aquisgranensem, ubi
» aulam suam cum uxore habebat, bene custodiri faciebat,
» adhibitis pluribus quam solebat securiferis, civibusque
» nonnullis habitu eius familiari (*livraeam* vulgo vocant) indu-
» tis. Cum autem vidisset desolationem ecclesiarum, vehemen-
» ter obstupuit et indignatus est; statimque iussit tres ex
» facinorosis suspendi. Civitatis quoque stipendio conduxit
» octo vexilla militum, invita Communitate, quae dicebat quod
» suam Civitatem ipsa tueri vellet: Capitanei autem sic con-
» ductis praefecti sunt ex Magistratu, puta D. Antonius van

» Stralen, D. Schoonhoven, D. vander Heyden, frater Consulis,
» D. Didericus Brecht, D. Eertvelt, ac plures alii. Edixerunt
» iidem ne alter alteri male aut diceret aut faceret, sive eccle-
» siasticus sive secularis, sub arbitraria correctione, et unus-
» quisque sineretur vivere in suae Religionis exercitio pacifice
» et absque increpatione vel irrisione; neve libellis, scriptis,
» rhythmis, cantilenis alii alios lacesserent. At horum nihil
» observaverunt Sectarii : interim enim eis facultas dabatur
» praedicandi, donec aliter ordinaretur. Edicebatur etiam
» ne quis posthac caperetur plecteretурve, titulo Religionis,
» qualiscumque ea esset, absque novo mandato. Dicebatur
» enim quod Ducissa Parmensis a Rege, fratre suo, obtinuerat
» cessationem Inquisitionis in Belgio caeterorumque poenalium
» contra heterodoxos decretorum, causa pacis servandae. »

ARGUMENTUM.

I. Resumuntur sacra Catholica. II. Haeretica continuantur. III. Eis templum erigitur. IV. Conscribitur miles ad tutelam Civitatis. V. Extranei iubentur exesse. VI.-X. Plures Auriaci et Gubernatricis super istis ad invicem litterae. XI. Elenchus rhythmicus et chronologicus civitatum ab Iconomachis deformatarum. XII.-XVII. Prosecutio litterarum praedictarum. XVIII. Restituta per Magistratum sacra, rursumque ab haereticis violata, sed non impune. Novi deinde tumultus usque ad finem anni. XIX. Paulo ante iconoclasmum Guicciardinus evulgat descriptionem Belgii, non sine praesagio retrocessurae felicitatis. XX.-XXI. Novi tumultus.

I. « Kalendis Septembris, mane, prima, post sacrorum
» destructionem, Missa fuit Antverpiae decantata ad aram
» parochialem; atque post eam habitus ad populum sermo
» a primario Parocho D. Sebastiano van Hollant, per Marcgra-
» vium, Consules et Scabinos deducto ad cathedram ecclesiae
» Marianae, qui antiquam Catholicam Romanam Religionem
» firmissimis argumentis ineluctabiliter comprobavit. Eodem die,
» in hac eadem Civitate Lutheranus quidam pseudo-evangelista

» Bruxellensis, Ordinis Carmelitici apostata, Confessionem » Augustanam laudavit in horreo quodam, retro Michaelitarum coenobium, circa publicam ligneorum operum officinam. Die II eiusdem mensis, petierunt Calvinistae, et a » Principe Auriaco obtinuerunt facultatem fabricandi intra » Civitatem ecclesiam sectae suae.

» Die VIII Septembris, in omnibus parochiis et monasteriis » palam celebratae sunt Missae; et Princeps cum omni suo » comitatu in ecclesia Mariana Sacro interfuit. Die autem IX, » ex mandato Consulum Conventus feriae secundae mandavit » omnibus Guldis atque opificum Collegiis sive Ambactis, » altaria sua restaurare et ornare : quod omnium primi fecere » Pistores. XIV sub vesperam, apud Fratres Minores, multo » cum facularum et cereorum apparatu, sepulta est uxor » D. Diderici Brecht, cum magna admiratione et obloquio; » quia ipsa ritu Calviniano credebatur et dicebatur sepelienda » a Praedicantibus, et videbant omnes deduci funus Catholico » more a presbyteris, pallia sua pileosque indutis; Sectarii » vero, citra ullum terrae sacrae aut profanae discrimen, ubicumque libuisset, sepeliebant mortuos suos, absque alia » caeremonia, quam quod humationem corporis sequebatur » brevis sermo de morte, cum multa explosione caeremoniarum Catholicarum. Et Didericus quidem ille, cum Gheusiae » factioni magis afficeretur, aliter fieri optavisset; sed Magistratus negabat se comitaturum, nisi Catholice sepeliri uxorem faceret.

II. » Die XV, coeperunt Anabaptistae plures trecentis congregati, in silvula inter Wilrikam et Hobokam posita, more » suo concionari. XVII, cum legitimus Georgianae ecclesiae » Parochus (hereditarium appellat historia, ut a Kilano ibidem » ad tempus ministrante distinguat), clausis ecclesiae ianuis, » oblatos sibi sponsos duos iunxisset matrimonio, reperit ante

» concionatoriam cathedram scabellum positum, cum pelvi » purae aquae atque malluvio, quae per sacristam suum au- » ferri iussit. Hinc arrepta ab offensis ea re Sectariis occasio » est (cautum enim erat ne quis in exercitio suae sectae turba- » retur: ipsi autem solebant oblatos ad baptismum infantes » simplici aqua tingere); arrepta, inquam, a Sectariis occasio » est obmurmurandi de Pastore, quem oderant: hic vero » elegit periculum scandali alicuius declinare, subducendo se » sub vesperam extra Civitatem; sed egressum porta Geor- » giana, civilis custodia veluti captivum detinuit.

» Die xviii, contigit cives duos accedere conventum Minorita- » rum, petituros pro aegro Confessarium. Hoc cum esset intel- » lectum, advolavit eodem turba ingens malignae plebis velut » examen fucorum, ante portam murmurans subsannansque. » Postridie vero multo insolentius ibidem agentibus illis, » accurrit Auriacus, frustraque imperans inde discederent, » arripuit e manibus unius satellitis venabulum, cum quo » irrumpens in turbam, hac et illac feriens nonnullos obstantium » graviter laesit. Pergebat nihilominus furere vulgus, pluri- » morum accessu factum audacius, volensque Religiosos om- » nes inde expellere. Denuo illuc igitur venit cum Marcgravio » Princeps, et ad monasterii tutelam ibidem disposuit unum » militum vexillum. Die autem xxi, rursum sub noctem Ana- » baptistae Kilani coeperunt ibidem concionari : sed superve- » niens Adamus van Berchem, tunc Scultetus et Capitaneus » unius militaris turmae, cum Securiferis maioribus Principis » (erant hi circiter triginta in equis), nomine Principis concio- » nem dissipavit; ad quam qui venerant, modeste regressi in » Civitatem, ibidem per noctem fecerunt quod intendebant.

III. » Die xxii eiusdem mensis, signatum fuit a Principe et » praecipuis aliquot civibus liberum exercitium Confessionis » Augustanae intra Civitatem, donec aliud ab Aula mandaretur.

» Die autem xxiv, coeperunt Calvinistae Walones, ad gradus » quibus in moenia ascendebatur per hortum Bombardario» rum, in vacuo ad siccanda linteamina prato (quod a talpis » vulgo nominabatur MOLLEKENS-RAEM), terram moliri ad no» vum ibi templum fundandum instar Salomonici, unde etiam » nomen sumpserunt, ut vel sic longius recederent a ritu » Romano. » Fecerunt autem rotundum, imperite scilicet persuasi, tale illud fuisse. Huius persuasionis adhuc superest indicium ad angulum viae Flandricae sub nomine *Salomonici templi*, pro signo ibi picti forma rotunda; quale etiam Amstelodami est novum templum Lutheranorum.

« Calvinistae Germanicae nationis, licet etiam ipsi templi » appellationem assumpserint, novo, quod erant structuri, fano » crediderunt, nec male, magis accessuros ad formam veteris » templi, si illud longum quadratumque facerent: prout » fecerunt pari, quo Walones, fervore in vico a lupulis dicto » HET HOPLANT, ubi similiter occuparunt arvum vacuum ad » linteamina, prope Coriariorum turrim. Ad istorum templo» rum fabricam magna cum alacritate contribuebant honestis» simi civium ac matronarum, non solum grandes pecuniarum » summas, sed etiam monilia et iocalia sua; imo manus quoque » conferebant ad opus, calcem, lapides, arenam convehendo. » Germanici templi primum lapidem posuit Praedicans, Do» ctor Isembrandus, primumque ibidem sermonem habuit. » Eodem vero die, accedens illuc Auriacus Princeps, Calvi» nistas rogavit, ut non ultra quartum pedem a terra fabricam » suam ad praesens educerent.

» Sub idem tempus in Consilio diei Lunae decretum, et a » Consulibus imperatum Guldis atque Ambactis omnibus est, » ut suo quique Capellano stipendium solverent, sive is sacra » ipsis faceret sive non.

IV. » Princeps vero Auriacus, die xxx eiusdem mensis,

» inhibuit Calvinistis, ne templorum suorum fabricam prose-
» querentur: quod illi insuperhabentes, opera coepta absol-
» verunt: quin et in nova Civitate, prope Hassicam domum,
» vaccarium quoddam vetus in templum converterunt, ubi
» clam praedicarent. Eodem mense, mandatum est pseudo-
» Parocho Kilensi, Frans, ut, dimissa ecclesia S. Georgii,
» conciones suas transferret ad Martinistarum seu Confessio-
» nistarum novum fanum, in vico HET HAUDAENTIEN, egressum
» habens in via Evarici, DE EVERIXSTRATE, istic fortassis ubi nunc
» sphaeristerium est. Quartum etiam templum iidem Calvi-
» nistae fecerunt et perfecerunt sibi in angiportu ad forum
» Equinum ab ardeis dicto DEN REYGERSGANCK. Exitum hic
» angiportus habebat in Monticulo frigido, antiquitusque dice-
» batur DEN CLEYNEN COUWENBERG, respectu longioris viae
» porro versus Meridiem tendentis.

» IV. Eodem Septembri mense, mandatum Capitaneis Civilis
» militiae est, conscribere octo vexilla, singula ducentorum
» aut plurium capitum, quae, bene armata lustrataque, ad-
» vigilarent portis Civitatis tam terrestribus quam aquaticis, diu
» noctuque custodiendis; viritimque assignati sunt decem flo-
» reni per mensem; officialibus vero duplum. Magistratus quo-
» que conduxit sibi nautas qui Curiam circuirent, ad eius ipso-
» rumque custodiam armati clavis integris, vulgo dictis HEELE
» HAKEN, id est duplicibus mosquetis seu bombardis maioribus.

» V. Kalendis Octobris, coepta sunt in Curia denuo agi causae
et ius dici, quod a die spoliatarum ecclesiarum fieri desierat.
» Die III autem, in feriam quintam cadente, cantatum est
» sacrum de Venerabili Sacramento, cum portatili seu positivo
» organo; nam maiora omnia Calvinistae destruxerant. Die
» vero IX, exiit mandatum Civitatis exesse iubentis intra octi-
» duum extraneos omnes, qui necdum integrum annum Ant-
» verpiae habitaverant. »

VI. Hactenus Anonymus quidem, sed domesticus et rerum Antverpiae hoc et praecedenti anno gestarum testis oculatus, a Secretario Valkenisse descriptus, sed ex publica rerum gestarum notitia potius, quam arcana litterarum, inter Auriacum et Gubernatricem commutatarum, instructus. Ex his ipsis tamen accedit fides haud parva Anonymo, multa quidem narranti quae Princeps dissimulat Sectariis favens, nihil tamen asserenti quod ex istis litteris falsitatis argui possit. Quapropter sine scrupulo recipiens omnia et singula, de die in diem narrata, volo ex litteris istis excerpere quaedam, Anonymo isti minus diserte cognita; quem vel inde colligo, nullam aut in Reipublicae administratione aut in Consiliis partem habuisse. Rerum inde delibandarum summa haec est :

« Die xiii Iulii, Antverpiam advectus Auriacus, et a Brede» rodio atque Calvinistis, ita ut narratum est, exceptus, » sequenti die binas ad Gubernatricem dedit. Primis ad» ventum suum Antverpiam indicat, secundis initium aliquot » articulorum pacandae Civitati serviturorum. Die xvi, renun» tiavit optare se quidem, sed vix videre modum conciones » impediendi, propter Sectariorum multitudinem, de quo » tamen collaturus cum Communitate esset. Cum autem, xxi » Iulii, plures solito excurrissent ad conciones, et quidem ar» mati, praetexentes metum a Drossardo adveniente incussum, » idque renuntians Princeps, optasset audire Pensionarium, » inter alia coercendi mali remedia petiturum convocationem » Statuum Generalium Brabantiae: responsum a Gubernatrice » est, id a Rege, non a se postulandum, metum vero a » Drossardo vanum esse, qui ad vagabundos praedonesque » a publicis viis arcendos leviter instructus, vires nullas habe» bat ad conciones disturbandas. »

VII. « Die xxvi, significavit Princeps a Magistratu roga» tum se, ut, dum consultatur de mediis reprimendo malo

» opportunis, vellet ipse curam assumere custodiendae Civi-
» tatis; interim hoc effectum esse, ut numerus ad concionem
» egredientium multo esset quam antea minor.

» Inter media autem securitatis procurandae, significat
» Princeps die xxii propositum fuisse a Magistratu et Merca-
» toribus, ut stipendio conduceretur miles regulariter insti-
» tutus. Sed neque hoc sibi nunc videri conducibile, quando
» tantus erat Sectariorum numerus, ut priori die egressi ad
» conciones, plus quam novem millia fuerint numerati.
» Ultima die mensis, nomine Magistratus et Mercatorum petiit
» Princeps relaxari quemdam Iacobum Sora, titulo depravatae
» Religionis captum. Responsum ad media proposita fuit :
» primo, indulgentiam iis qui contra edicta processerant ad
» conciones (quod unum erat inter posita media) haud aegre
» concedendam deinceps cessaturis eas frequentare; id, quod
» deinde Gubernatrix declaravit, datis v Augusti, non posse
» iuvare pertinaces in errore : adeoque nec praedicto Iacobo
» Sorae, citra expressum suae Maiestatis mandatum. Conscri-
» ptionem militum M.CC. rem esse maturioris deliberationis, su-
» per qua prius audiendi sunt Guldistae et Mercatores primarii.
» Discretioni vero Principis relinqui debere quomodo vaga-
» bundos velit exterminari; quod etiam unum erat ex mediis
» propositis. Interim, ait, eius praesentiam vehementer optari
» Bruxellis, ad consilia coram capienda; ipsique permitti, ut
» corpori suo custodes adhibeat; cum autem praesens fuerit,
» deliberandum utrum conveniat adiungi ipsi, subinde abfu-
» turo, adiutorem qui locum eius teneat.

» Ita Principi scriptum a Gubernatrice Bruxellis, praecitata
» ultima die Iulii. Prius tamen (festo scilicet S. Iacobi) scri-
» pserat eadem, nuntiatum sibi esse, quod e regione domus
» Osterlingicae frequentes agerentur Anabaptistarum conven-
» tus, sub horam tertiam quartamque matutinam; eosque

» in turmas trecentorum et quadringentorum capitum divisos
» per vices venire, ne sciri possit quam multi sint. Item quod
» peregrinae quaedam naves ante Civitatem consisterent,
» quarum adventus merito debeat esse suspectus. Ad hoc
» Princeps respondit : Naves illas esse paucas ex Francia,
» quas tamen recedere ultima Iulii iusserit. Anabaptista-
» rum vero dissipandorum curam Marcgravio a se com-
» missam esse. Multum quoque gloriatur in datis VIII Au-
» gusti, quod exeuntium ad conciones numerus, et armorum
» eo deferendorum usus, multum restrictus sit, ac tan-
» dem nullus plane futurus speretur tranquillitasque Civitati
» restituenda. »

VIII. « Idem Princeps, iussus et pollicitus de die in diem
» perscribere quidquid novi circa Rempublicam et Religionem
» accidebat, significavit, quomodo XVII Augusti, concionante
» Parocho Kilae ad frequentem populum, per medium transierit
» Lovaniensis Theologus (Parochus, ut dicebatur) qui publice
» redarguere coeperit oratorem, conatus eum ex Scriptura erro-
» ris convincere : unde commota vehementius plebe, parum
» abfuerit, quin importunus disputator grandi cum periculo
» vitae tractaretur male, si non mature in locum securum
» fuisse tabductus. Qua de re, inquit Princeps, informationes
» fieri iussi, factasque sine mora mittam Celsitudini Tuae : sicut
» etiam fecit die XXIII. Iisdem litteris etiam scripsit, optare
» Antverpienses, ut abiturus Bruxellas, quo fuerat, per datas
» VII mensis praefati, instantissime invitatus, pro se relinque-
» ret Locumtenentem Dominum Admirantium, vel Dominum
» Hoogstratanum. Deinde petit, pro maiori Communitatis satis-
» factione, adiungi sibi ad res tractandas unum ex Consiliariis
» Aulicis. Eadem vero die responsum est, ultimum istud
» rectius faciendum, quando praesens adesset; absentiam vero
» eius adeo brevem futuram, ut Vicario opus non sit, cum

» interim tuto possint omnia Magistratui et Ministris ordi-
» nariis committi.

» IX. Princeps vero novis litteris causatus commotionem po-
» puli, quem aegre cohibuerit a resumenda cum armis concione,
» propter apprehensionem superventuri Drossardi, petit ut
» liceat iter differre in crastinum, quia tali occasione possent
» externi multi urbem intrare turbasque ciere; ideoque, abeunte
» se, necessariam videri praesentiam alicuius personae, cuius
» reverentia plebem contineret. Sequenti autem XVI die nec-
» dum se moverat; ita excusavit moram: Heri vesperi, inquit,
» monitus fui, eos qui solebant urbe egredi ad conciones
» audiendas, constituisse ipsas in urbe facere, quia mussi-
» tabatur currus aliquot emissos cum armis, et periculum
» varie denuntiabatur. Talium vero denuntiationum exemplum
» litteris suis adiungens: Ego vero, inquit, intellecta eiusmodi
» deliberatione, misi qui suaderent abstinere ab ea re ten-
» tanda; itaque effeci, ut ultima resolutio non caperetur ante
» decimam vespertinam. Denique hora undecima venerunt ad
» me quidam Mercatores, offerentes libellum supplicem, cuius
» exemplar mitto, rogantes ut, propter rationes ibi contentas,
» et propter praedictas denuntiationes permitterem fieri in Civi-
» tate conciones. Quibus cum respondissem nullatenus me
» velle aut posse eis indulgere quod postulabant, rogaremque
» ut ab eiusmodi postulatione desisterent, ad evitanda graviora
» incommoda, dixerunt id omnino decretum esse; rationibus
» tamen quas allegabam moti, spoponderunt, quod mei intuitu
» conarentur animos alio vertere. Exspectans ergo quid mane
» facturi essent, iniunxi Magistratui, ut ad horam quintam
» matutinam omnes Guldas congregari iuberet. Hora autem
» septima miserunt Sectarii, dicentes, quod in mei gratiam
» acquiescerent etiam hoc die extra Civitatem convenire. In-
» terim video aegre continendum populum ab habendis ipsa

» in urbe concionibus, tam quia vehementer metuunt foris » aliquem insultum, quam quia tempus valde pluvium et in» commodum est; petunt autem securos se reddi, quod nihil » impedimenti vel mali foris passuri sint: quam securitatem » iam saepius requisiverunt, nec ego hactenus praestare ipsis » volui; si tamen pertinaciter pergant instare, equidem haud » video quomodo obsisti eis possit, quandoquidem Communi» tas, multos in iis amicos ac necessarios habens, nullo modo » propendeat ad eos armis prohibendos; unde etiam timeri » posset totius Civitatis ruina. Si metus a Drossardo et insinua» tiones praedictae non intervenissent, potuissent sine difficul» tate persuaderi, ut more suo concionarentur foris. Nunc » exspecto ut Celsitudo sua mihi significet voluntatem suam, » quam possim ac debeam in huiusmodi motibus sequi.

X. » His mane ad Gubernatricem directis, rursus eidem » scripsit Princeps, rem in peius lapsam, propter adventum » Drossardi in domum suam, civitati vicinam, et propter ru» morem de curribus cum apparatu armorum ad eum eductis, » quorum unus deprehensus esset et apprehensus. Itaque, si » eundum sibi Bruxellas, sicut omnino se velle Gubernatrix » scripserat, opus esse alio magnae auctoritatis viro, qui sistat » mercatores, urbem deserturos prae metu, et negotium suum » omne alio translaturos. Hisce aliisque prioribus respondit » Ducissa eademmet xvi die, uti prius, quod necdum posset » inducere animum ad rempublicam eius vice committendam » Hornano vel Hoogstratano Comitibus; futilem esse ab Ant» verpiensibus praetextum metum Drossardi; indeque intelligi » quod Sectarii intendant: gratias se Principi agere pro opera » heri impensa ad dissipandas conciones urbanas, quas nullo » modo tolerari posse intellecturus sit ex novis Maiestatis » suae litteris, omnes etiam foris impediri volentis et in perti» naces animadverti iubentis; quem, si sapiant, caveant ulterius

» irritare : insinuationes autem, quas sibi factas allegant, » levissimas esse. Interim permittit ut profectionem suam » Princeps in crastinum differat.

» Ivit ergo Auriacus XVII vel XVIII Bruxellas, haud dubie » satis gnarus iconomachiae, ipso Virginis Assumptae die » Ipris grassatae, indeque per Flandriam progressae, et Ant- » verpiam certo transiturae dum abesset : abfuit autem usque » ad XXVII Augusti, ut videri potuerit moras de industria » traxisse, quatenus, dum solus videretur rebus perditis reme- » dium aliquod afferre posse, eius Civitatis regimen magis sibi » confirmaret, » aut etiam dominium aliquando assereret per Sectarios, quibus hactenus tam languide restiterat, ut omnem sibi sub eo licentiam paulatim obtinendam sperarent, ipso solum in speciem reluctante. Hoc animi frigus satis indicant primae, quas redux in urbem Bruxellis dedit, significans se omnia admodum perplexa offendisse. « Spero tamen, inquit, fore ut » conatum omnem non frustra conferam ad profanatas ac » spoliatas ecclesias restituendas in integrum. » Quam parum autem generose pro fide, quam adhuc Catholicam simulabat, egerit, donec Antverpiae fuit usque ad dimidium Octobrem, ex sequentibus ipsiusquemet litteris apparebit, postquam exhibuero totius iconomachiae Belgicae chronologiam, ex vernaculo rhythmo latine redditam.

XI. Habeo illam sub hoc titulo et brevi ad lectorem praefatiuncula :

EEN CORT BESCHRYF VAN DAT MEN BEDREEF
IN HOLLAND, VLAENDEREN EN BRABANT MEDE,
IN D'OOSTERMAENT ALS MEN VYFTHIEN HONDERT SES EN SESTIG SCHREEF,
IN KERKEN EN CLOOSTERS EN MENIGE STEDE.

Quid Augustus post mille quingentos sexagesimus sextus
Fecerit, per templa, claustra oppidaque,

In Hollandia, Brabantia, Flandriaque,
Hic te docebit, licet brevis, contextus.

DEN AUCTEUR TOT DEN LESER.

Auctor Lectori.

Aensiet hier, leser, dat jaer, maent, en dagh,
Dat men sag de religie staeken,
't Welk was deerlyk om zien, o wee! o wagh!
En voor devote herten een hert geklagh,
Die verlieten haer kloosters en eygen daken,
Daer sy den heer dienden in bidden en waken,
Naer 's heeren bevel, en gods ingeven;
Godt wiltze vertroost van herte maeken,
En naermaels verleenen het eeuwigh leven.

Diem, mensem et annum hic, Lector, vide,
Quibus, iussa cessare avorum fide,
O dolor! o ingens devotis lamentum!!
Tot coetus Domino deservientum
Liquere claustra cum domibus cunctis,
Secundum Regulam bene coniunctis,
Ad preces vigiliasque agendas,
Et laudes summo Deo dicendas;
Qui tristes hac causa velit solari,
Et vita in coelis aeterna donari.

Yperen, *Yprae.*

Den vyftienden Oost, dagh van onse liefvrouwen,
Sag men 't Yperen de beelden in stucken houwen.

Post decimam quintam mensis Augusti,
Vidit Ypra confringi imagines Christi.

ANTWERPEN, *Antverpiae.*

DEN TWINTICHSTEN AUGUSTI ZYN DE BEELDEN VERSTROYT,
EN T'ANTWERPEN VAN DE KETTERS IN STUCKEN GEGOYT.
DEN SEVENTIENDEN OCTOBER HEBBENZET ZELVE GEDAEN,
MAER MET SOMMIGE IS HET QUAELYCK VERGAEN.

Vigesima Augusti fuerunt Anversae
Imagines sacrae a profanis dispersae,
Quod decima septima Octobris retentatum
Non fuit impune ab omnibus latum.

MIDDELBURG, *Middelburgi.*

TE MIDDELBURG MOESTEN MANS EN VROUWEN
DEN EEN EN TWINTIGSTEN OOST HET SELVE AENSCHOUWEN.

Vigesima prima Augusti mensis,
Idem passa est civitas Middelburgensis.

LIER, *Lirae.*

TEN DAGE VOORZEYT TE LIER GEBEURDE,
DAT MEN DE BEELDEN HAER KLEEREN SCHEURDE.

Die praedicto viderunt Lirae
Haereticos in sacra cuncta saevire.

DELFT, *Delfis.*

'T GESCHIEDE OP SINTE BARTHOLOMEUS DAGH,
DAT DELFT DE BEELDEN AFWERPEN SAGH.

Bartholomaei in festo Delfi videre
Prostrata Divum simulacra iacere.

LEYDEN, *Leidae.*

TE LEYDEN WAS DE SELVE DESTRUCTIE SWAER
DEN TWEE EN TWINTIGSTEN OOST DAERNAER.

Par quoque Lugduni sacrorum ruina,
Cum vicenae Augusti foret addita bina.

GHENDT, *Gandavi.*

TE GHENDT WIRT MET KETTERSSE PRATTYKEN
DEN TWEE EN TWINTIGSTEN GEDAEN VAN GELYKEN.

Tantumdem haereticis Gandavi licuit,
Quibus imaginum cultus displicuit,
Cum lux Augusti bis undena micuit.

MECHELEN, *Mechliniae.*

DEN TWEE EN TWINTIGSTEN OOST IS 'T, NA MYN BEDIET,
IN SOMMIGE KERKEN BINNEN MECHELEN GESCHIET.

Quod etiam quibusdam in templis accidisse
Eo die Mechliniae, me recordor audiisse.

AMSTELDAM, *Amstelaedami.*

TEN SELVEN DAGE, ALS ICK VERNAM,
VERSTROYDE MEN DE BEELDEN T' AMSTERDAM.

Idem actum narratur Amstelaedami
Eodem die ausuque infami.

'S HERTOGENBOSCH, *Buscoducis.*

DEN VIER EN TWINTIGSTEN OOST WEL GETELT,
ZYN DE BEELDEN TE 'S HERTOGENBOSCH GEVELT.
EN HET SELFSTE TE DOEN EEN MENIGTE GEREET WAS,
OP THIENDEN OCTOBER, WIE 'T LIEF OF LEET WAS.

Viginti quatuorque dies Augustus habebat,
Iconas eversas doluit cum Silva Ducalis;
Octobris decima tantumdem ausura ruebat
Plebs, quae non homines Divosve timebat.

UTRECHT, *Ultraiecti.*

T'UTRECHT SAG MEN 'T SELVE GEDOOGEN,
DEN VOORSCHREVEN DAGE, VOOR ALLEMANS OOGEN.

Ultraiecti haec quoque, in omnium conspectu,
Facta die iam dicto, sine ullo respectu.

DOORNIK, *Tornaci.*

TE DOORNIK, OP DEN VIER EN TWINTIGSTEN VOORSPROKEN,
HEEFT HET KETTERSCH GESPUYS DE BEELDEN GEBROKEN.

Tornaci vigesima Augusti et secunda,
Fregit iconas haeresis malis fecunda.

VALENCYN, *Valencenis.*

DEN VIER EN TWINTIGSTEN OOST DOOR KETTERS BIEZEN,
SAG VALENCYN DE BEELDEN HAER PLAETSE VERLIESEN.

Et Valencenis lux eadem aboleri
Iconas aspexit locoque moveri.

DEN ACHT EN TWINTIGSTEN APRIL, ALS IK HEB VERNOMEN,
IS DE GOUVERNANTE BINNEN ANTWERPEN GEKOMEN,
OM DE KERKEN TE STELLEN IN HAER EERSTEN STAET;
ELDERS EN WAS HET OOK NIET TE LAET.
SOO IS 'T OOK MEEST ELDERS GERAEKT,
DAER D'OUDE ZAKEN WAEREN GESTAECKT,
SYN DE AUTAEREN EN BEELDEN HERMAECKT.

Bis quaterdena dies Aprilis dum vernat,
Antverpiam venit quae Belgas gubernat,
Ut pristino in statu universa locaret,
Et Divum altaria cuncta repararet.
Aliis in locis oppidisque et pagis
Certatum quis faceret hoc congrue magis;

Et pulsis veteres qui oderant mores,
Patuere Catholicis templorum fores.

DIE DIT BESTAEN HEBBEN, 'T ZY WYF OFT MANNEN,
HEBBEN 'T ZEER DEERLYK MOETEN BEKOOPEN,
WANT SY WIERDEN GEDOOT OFTE VERBANNEN,
DIE 'T NIET EN HEBBEN CONNEN ONTLOOPEN;
DIT IS DEN LOON DIE DAER NAER VOLGT :
OVERPEYST DIT RYPELYK, ICK BID U, VRINT,
OP KERKEN OF CLOOSTERS U NIET MEER VERBOLCHT,
EN VERSINT HET ALTYT EER GHY IET BEGINT.

Hoc qui tentarunt, feminae virique,
Tristi exitu facinus luerunt;
Exules facti vel caesi plerique,
Nisi qui fuga elapsi fuerunt.
Haec merces sequitur talia facta;
Id rogo, Amice, cogita mature :
Dimitte claustra templaque intacta,
Et, finem cogitans, age secure.

Ex hac conclusione verosimile fit, anno mox sequenti post sacrorum destructionem rhythmum hunc compositum et evulgatum fuisse ab auctore bene Catholico.

XII. Redeo ad Auriaci Antverpiae acta, ex eius litteris cognoscenda. « Primum fuit Ducissae transmittere, die XXVIII » Augusti, libellos supplices mercatorum Lutheranorum nationis Germanicae, postulantium sibi quoque permitti locum » construendae ecclesiae, quando eum iam habebant Calvinistae : atque per aliam epistolam significavit Gubernatrici » idem Princeps suspendium unius Anglo-Franci, et alterius » Leodiensis, nec non unius Silvaeducensis coram ipso in » furcam actorum in Foro, propter ecclesiarum violationem; » de qua suspecti alii quoque tres fuerint exilio perpetuo

» mulctati. Et hoc, inquit, initium est terroris ceteris incu-
» tiendi, dum operam damus ut ecclesiae recludantur, et
» divina officia resumantur, ad obsequium Dei, et iuxta
» Sanctam Domini Regis nostri intentionem. Hoc autem sibi
» gratum accidere Ducissa respondit eodem die.

» Die sequenti, super libellis supplicibus Germanorum appel-
» lat Ducissa Principis conscientiam, cui notum sit, quam
» aegre ipsa consenserit impunitati concionum, non nisi sub
» certis conditionibus tolerandarum; ad quas conditiones eum
» remittit. Quoniam autem undique urgeatur ut remittat Princi-
» pem ad Provinciam Ultraiectinam, eius gubernationi commis-
» sam, in qua ingens damnum praedicationes causent, et ubi
» petierat Brederodium vice sua manere, quando ipse hinc
» abesse non poterat; negat ipsa id se posse inconsulto Rege
» permittere; interim cogitare de mittendo illuc Principe
» Ligniacensi, si eius valetudo id permittat; sin minus, cura-
» turam se alium aeque gratum futurum Auriaco.

» Die II Septembris, idem Princeps scribit Celsitudini suae,
» et gratias Deo agit, quod pridie licuerit sibi curare Missam
» ritu Catholico coram se cantandam in ecclesia Sanctae Mariae
» coram multis praesentibus; idemque factum sit in plerisque
» monasteriis, ac porro faciendum, quamvis id ne progressum
» habeat, multi iique praepotentes nitantur, ac minentur se
» obstituros.

XIII. » Die IV, litteris Gubernatricis, quibus illum monebat
» invigilare copiis, quae dicebantur conscribi in Germania,
» respondet, quod didicerit in Hassia et Ducatu Brunswicensi
» nihil tale moveri. Gubernatrix autem praecedenti die III
» rescripserat, allatum sibi gratum nuntium de Missa resti-
» tuta; sed quod attinet ad conciones in Civitate permitten-
» das, non posse id proponi Regi, satis miraturo de iis, quae
» in favorem Sectariorum hactenus ipsa invitissima indulsit

» Nobilibus, Trudonopoli congregatis. Cavendum autem esse » ne, si ea libertas concedatur Antverpiae, Tornacum et aliae » civitates Flandriae, oculos intentos in eam civitatem haben- » tes, idem sibi postulent indulgeri.

» Die iv Septembris, multipliciter occupatus et distractus » Princeps in componendo Civitatis statu, petit iterum facul- » tatem instituendi pro se, Ultraiectum abituro, Vicarium » Antverpiae, eoque proponit Senatorem Stralium, ut gratum » Communitati et militiae, nuper ex meris civibus conscriptae; » aliis autem litteris zelum suum iactans, indicat quod, propter » magnam Sectariorum in civitate multitudinem, iudicaverit » expedire, ut cum iis aliqua ratio concordiae iniretur, iterat- » que rationes alias propositas pro permittendis in Civitate » concionibus : nam ex iis, quae foris haberentur, evidens » timendum periculum Civitatis expilandae ab innumera pari- » ter regressura multitudine. Rogat igitur ut Celsitudo sua » aequi bonique consulat eiusmodi conventionem, per quam » Catholicae Religionis exercitium in omnibus ecclesiis ac mo- » nasteriis securum futurum sit.

XIII. » Accepit deinde responsum Ducissae, quod, ex pa- » ctis conventis cum Nobilitate, conciones in iis solis permitte- » bantur locis, in quibus permissae fuerant ante iconoclasmum; » adeoque non convenire, ut in ea civitate illae permitterentur, » ad cuius exemplum aliae conformari vellent. Eodem tamen » iv die, reposuit Auriacus Gubernatrici, in neganda licentia » petita constanti, plurimum sibi laborandum fuisse ut Secta- » riis persuaderet Catholicorum ecclesias et monasteria iam » occupata dimittere; alias etiam civitates, ad quas iam scri- » pserit, facile acquieturas articulis Nobilitati indultis; Antver- » piensis vero Civitatis aliam esse rationem habendam. Interim, » egregius Religionis zelator monet Gubernatricem, quod » Anabaptistae non solum in Civitate sed etiam in pagis

» multiplicent coetus suos, quos impediri et dispergi conveniat.
» Verum die v, reposuit Gubernatrix, nihil ulterius indulgen-
» dum Sectariis, numquam finem facturis extendendae licen-
» tiae; eosque sibi persuasuros, cassata omnia contra se edicta,
« quando viderent ea contra solos Anabaptistas urgeri : ex-
» ceptis autem duobus articulis, de concionibus in Civitate
» habendis, et ministrandis Sacramentis, probari cetera cum
» Sectariis concordata.

» His acceptis litteris, nunciat Princeps, quod, convocatis
» sub vesperam Magistratu et Nationibus, exposuerit suae
» Celsitudinis consensum in pacta conventa cum Religionariis,
» quorum praecipua puncta iis exposuerit (tacens interim de
» duobus quae expuncta Gubernatrix volebat), omniumque
» consensu stetisse quod ea esset unica et optima ratio re-
» stituendi Antverpiae commercii, in quem finem mercatores
» revocaturi essent quique suos iam alio destinatos actores
» ac procuratores : ipso vero die, per omnes ecclesias et
» monasteria peracta fuisse quiete Sacra.

XIV. « Die IX, respondens datis die VI, ad punctum primum
» in prioribus praetermissum, indicat Celsitudini suae, quod
» Sectarii, occupatis post ecclesiarum spoliationem tribus
» earum praecipuis, iisque per tres aut quatuor vices ad sua
» exercitia usi, non aliter inducti fuerint ad eas restituendas,
» seque conformandos conditionibus cum Nobilitate initis,
» nisi sub spe certa approbandorum integre articulorum a se
» propositorum : sed quod Magistratus, considerans periculum
» Civitati formidandum ab excursione forensi, permiserit ha-
» beri conciones intra urbem; alias se non posse spondere
» pro Civitatis securitate. Quibus sic actis, Quando, inquit,
» Celsitudo sua me remisit in hanc Civitatem, portas sex diebus
» clausas reperi, ex metu populationis praedictae. Interim
» vero, experiendo discimus, quod qui solebant ad viginti

» quatuor et plura millia armati excurrere, nunc vix ad duo-
» decim millia sine armis scandaloque conveniant, meam
» Magistratusque praesentiam reverentes.

» Quod autem attinet ad alia novae Religionis exercitia,
» quae Gubernatrix negabat permittenda, et Principi impe-
» dienda commendabat, respondet id sibi impossibile videri :
» cum nusquam fuerint habitae conciones, quin simul et
» baptismi infantium et coniugia adultorum celebrarentur,
» et mortui sepelirentur. Obtinui tamen, inquit, licet magna
» cum difficultate, ut sepelirentur mortui absque cantu psal-
» morum, ut sic evitaretur vulgi concursus. Quomodo autem
» potero cohibere, inquit, eos contra quos nullus civium arma
» vult capere? Quod ad Anabaptistas attinet, si eos Celsitudo
» tua non censet universaliter toto Belgio exigendos, petitur
» ut saltem in particulari hac Civitate possit contra eos procedi.

Tandem Princeps haud inani suspicione persuasus, sua Antverpiae acta non in eam omnia partem accipi ab Aula, quam ipse optabat, suppliciter petit die XI Septembris « eo se
» remitti, ubi sua praesentia tantopere et desideratur et neces-
» saria est, videlicet in Provinciam Ultraiectinam. »

XV. « Ad haec vero die XIII rescribens Ducissa, negat fas
» sibi esse adeo expressum Regis mandatum circa praedicta
» infringere; ipsum vero rogat, ut velit credere figmenta
» malignorum esse, quibus moveri non debeat ad dimit-
» tendam tanti momenti civitatem, eius prudentiae unice
» commissam. »

Interim gliscebat rumor, vel potius faciebat ipse eum gliscere, quod missionem in Hollandiam petebat, rogari scilicet volens, ut manere vellet. « Hinc, sicut scribit die XX Septem-
» bris, venit ad eum Magistratus, significans metum, quod si
» abiret ille, nullus Ecclesiasticorum remanere in urbe, nullus
» mercator redire auderet : et hoc rogatus eorum nomine

» remonstrare Celsitudini suae (a qua videtur interim accepisse » recedendi, si vellet, facultatem) petit eius voluntatem super » ea re distinctius sibi explicari; et siquidem alibi magis neces- « sarium ipsum credat, vices eius committi Comiti Hogstratano.

» Quod attinet ad suspiciones de ipso gliscentes in Aula, » ex dictis factisque Consiliariorum suae Celsitudinis manifes- » tatas sibi, quas ipsa scripserat, contemnendas, tamquam » vanas: petit ne existimet eum se esse, qui vanis rumoribus » et delationibus parum certis aurem praebeat. Tum vero » Ducissa, die XVI Septembris praedicti rescribens, se quidem, » ait, in primis optare, ut maneat Antverpiae, bene coepta » perfecturus ubi adeo gratus esset : quoniam tamen ipse se » alibi magis necessarium iudicet, rebus Antverpiae utcum- » que compositis, rogat ut uxorem ibi relinquat; ipse vero » quam citius poterit rediturus, rempublicam committat Marc- » gravio et Magistratui; in quibus si non satis auctoritatis ad » praesentes et instantes necessitates esse videatur, relinquat » pro se vicarium Comitem Hogstratanum, unum ex tribus » quos alias proposuerat.

XVI. « Dum hae litterae perferuntur, contigit ipso die XVI » ad vesperam, non exiguam infimae plebis turbam concurrere » ad ostium conventus Minorum, dicentes se illic exspectare » nonnullos quos illuc ingredi viderant, suspectos propter » auditum fragorem laxatae bombardae et varios sibilos tam- » quam signum faciendae irruptionis contra se. Hi vero cum » sub noctem recessissent, sequenti die, inquit Princeps, » sub horam decimam, antemeridianam, rursum illic ducenti » circiter aut trecenti convenerunt mutuo se inspectantes, et » obscurum quid murmurantes, quod nemo satis capiebat: sed » etiam tunc abierunt, persuasi per eos, quos istuc miseram, » inquit. Post meridiem vero, inter tertiam et quartam, au- » diens iterum conglobari, ipsemet accessi, et reperi homines

» trecentos quadringentosve ante portam monasterii: quod
» ingressus, nihil inveni unde potuisset suspicio nasci quam
» existimo sumptam fuisse ex fragore hesternae bombardae;
» et faecem illam vulgi aliud nihil intendisse quam miseris Fra-
» tribus terrorem incutere, quo illos cogerent locum deserere.
» Itaque accercitum unum militum vexillum iussi nocte ista in
» parte monasterii ipsum servare; hodie autem nihil intellexi
» propter quod putem officii mei esse istic milites detinere.
» Haec ille xxiv Septembris.

» Interim ex Hollandia Bruxellas venerant Deputati ad solli-
» citandum Auriaci reditum quam citissimum, rebus id exigen-
» tibus: quos Gubernatrix, per datas xxiii die, scribit vo-
» luisse se diutius detinere; sed responderi iussisse, quod,
» attento civitatis Antverpiensis statu, tali qualem scripserat
» die xviii, non posset tam cito inde recedere; interim se ad
» civitates, promptioris subsidii indigas, missuram aliquos ex
» suis Consiliariis, vel etiam (si malit) ex Nobilitate, qui Magi-
» stratibus locorum assistant in rebus agendis. Sicut autem
» ipse alias proposuerat Hogstratanum vel Bossuvium Comites,
» quorum alterum Antverpiae, compositis utcumque turbis,
» pro se relinqueret; eosdem iterum ipsi offert. Tum gratias
» agit pro re prudenter gesta circa conventum Minorum,
» monetque ne tantam audaciam impunitam dimittat. Monet
» etiam denuntiatum sibi esse, quod Confessio Augustana, teu-
» tonice versa, imprimebatur Antverpiae, domi cuiusdam *de Sa-*
» *gere*, in via fossae Lombardicae; simulque commendat quem-
» dam concionatorem Franciscanum, sibi a doctrina et eloquen-
» tia, fructuque ex gallicis eius sermonibus, valde laudatum.

» Ad haec respondit Princeps eodem die, quoad impressionem
» Augustanae Confessionis, commendatum esse Marcgravio,
» ut eius progressum, facta inquisitione, impediat: concio-
» natorem vero gallicum quibusdam ex ipsismet Minoritis

» parum probari, eo quod iusto impetuosior et vehemen-
» tior in dicendo sit. Tum Gubernatrix rursum, die xxvi,
» priorum litterarum suarum argumentum retexit; et man-
» dato circa Confessionem praedictam addit, eamdem curam
» requiri contra quoscumque alios libellos, chartas, pictu-
» ras, quae nimis quam multae circumferuntur, scandalosae
» omnes.

» Tertio autem post die, quae erat xxix mensis, scripsit
» Princeps, venisse ad se Marcgravium, qui compererit im-
» pressionem quidem in domo designata factam, sed inscio
» ipso typographo, per quemdam eius puerum, qui exemplaria
» alio transportavit; quae tamen omnia Marcgravius invenerit
» transtuleritque.

» Proximo mense, die iv Octobris, Gubernatrix, auditis
» quas Consiliarius Assonvillaeus ultro citroque retulerat ratio-
» nibus et consultationibus, facit Principi potestatem sine
» mora transeundi in commissas regimini suo Provincias,
» Hollandicam et Ultraiectinam; ideoque significat scriptum
» esse Comiti Hogstratano, Mechliniae residenti, ut quam
» primum conferat se Antverpiam, consilia collaturus et
» instruendus de rerum hic statu. »

XVII. « His respondens Princeps die vi, gratias agit, quod
» Gubernatrix dignata sit secum communicare quae audiverat
» de Sectariorum conspiratione Gandavi; quaeque etiam ipse
» aliunde cognoverat, ex intercepta Ministri omnium prae-
» cipui epistola, qua scribebat alteri, Gandavum convenisse
» Ministros quindecim vel sedecim variarum urbium, puta
» Antverpiensis, Tornacensis, Insulensis, Armenteriensis etc.
» ubi, communicatis inter se consiliis, ii Octobris decreverint
» aliquid, quod Gandensis Magistratus non potuerit penetrare;
» non possit autem non esse Statui ac Religioni perniciosum,
» quandoquidem ante dies non multos Sectarii aliqui auditi

» sint libere dicere, quod brevi non essent Gandavi amplius
» inveniendi presbyteri aut monachi; tantum exspectari ut
» initium omnium mactandorum fiat Antverpiae.

» Praesumit interim ita scribens Princeps, Gubernatrici
» innotuisse quid consilii agitatum Vianae sit apud Brede-
» rodium, congregatis ibi Iconoclastarum ducibus; atque
» apud Dominum Culenburgii decretum esse, ut ne uni
» quidem ecclesiae posthac parceretur : iamque datum esse
» Dixmudae initium, praedictis Brederodio aliisque palam ia-
» ctantibus id sibi licere, quandoquidem Gubernatrix pactis cum
» Nobilitate conventis non stabat. Eam igitur rogat Auriacus
» omnino cavere, ne quid tale contingat Antverpiae, ubi alias
» quieta satis relicturus sit omnia. Quod ultimum gratanter a se
» intelligi rescribens illa, die VII Octobris, rogat, ut quam citis-
» sime conetur redire. Princeps autem die X eiusdem, petit ut,
» quoniam iam Antverpiae adsit Hogstratanus, illa continuo
» expediat litteras ad Magistratum, quibus intelligat eum
» designari Gubernatorem Vicarium, usque ad reditum ipsius. »

Haec est summa epistolarum utrimque gallice scriptarum; quibus opus non est multas glossas addere, ut quivis intelligat quid moverit Auriacum, qui primae Sacrorum violationi tam caute se subtraxerat, parendo Bruxellas evocanti Gubernatrici, quo ire antea toties se excusaverat, nunc etiam, post multam tergiversationem, quando simile periculum iamiam imminebat, discedere in Hollandiam; et quare hoc ei permiserit Gubernatrix, ex praeteritis docta cavere futura.

XVIII. Regredior nunc ad cetera huius et sequentium annorum Acta, ex Mss. Snyderi, Valkenisse et Caukerkii sic collecta, ut ex communi unius coaevi auctoris fonte accepta plerumque verbotenus videri possint, ac debeant ex se mutuo suppleri, dum saepe contingit vel circumstantiam vel articulum aliquem apud unum eorum haberi, quem alius omiserit. Non

sum ergo tam scrupulosus futurus ad discernenda singula, et suo quaeque scriptori imputanda; et hoc modo incipio.

« Die xvii Octobris, Vigilia S. Lucae et feria v, in coeme- » terium ecclesiae Marianae, eo quod haec clausa tenebatur, » confluxit male feriatorum hominum colluvies, ipsam sibi » aperiri volens; quia dicebat in turrim sublata tormenta et » pulverem, ad damnum aliquod populo faciendum. Cum » autem nemo aperiret, perfractis catenis scalarum incendia- » riarum, ad Scholam clericalem pendentium, ipsas impege- » runt portis, et violenter ecclesiam irrumpentes, diffringere » et dissipare coeperunt quidquid pii Catholici in choro maiori » et sacello Venerabilis Sacramenti restauraverant; nam ipso » die istic cantatum fuerat solenne sacrum coram Comite » Hogstratano eiusque coniuge et multa Nobilitate ac civibus » devotis. Hic quid ageretur Comes intelligens, prompte accur- » rit cum Marcgravio ac Diderico van Brecht, et Magistratu, » nec non militiae civicae Capitaneis atque vexillis. Cum autem » tumultuantes interrogasset Comes quid vellent, confuso » certatim clamore responderunt, ecclesiam atque curiam, » simulque intonuerunt *Vivant Gheusii*, *foras Papae.*

» Quoniam autem ipsi sese incluserant ecclesiae, mandavit » Comes simili, qua usi fuerant ipsi violentia, portas effringi, » et cum militibus irrumpens, viginti quatuor eorum qui » novam iconomachiam inceptabant, captivos fecit, quos- » dam vero occidit; ceteri ex nautica turba plerique, arre- » ptas scalas fenestrae baptisterio proximae applicuerunt, per » eamque praecipites proripuerunt se. Et mortui quidam sine » strepitu sepulti mox sunt, captivi ad curiam ducti, tor- » tique et confessi, ad facinus hoc patrandum conductos se » a quodam Domicello, de Perchemont cognominato; qui » eadem nocte de lecto sublatus est, quia captivi dicebant » ipsum bene potum eorum se Capitaneum fecisse, sed dolose

» elapsum ab ecclesia recessisse. Eadem nocte cives omnes » in metu erant, et, appensis ante portas cuiusque laternis, » vigilabant : fama enim erat quod malevoli coniurassent » omnem Clerum mactare, vel iterum ecclesias ac monas- » teria spoliare, quemadmodum pridie fecerunt Silvaeducis.

» Die xviii Octobris, in festo S. Lucae, die Veneris, sex » captivi in foro suspensi sunt, de mandato Comitis Hogstra- » tani, tamquam Vicarii Principis Auriaci. Eorum unus erat » Domicellus de Parchemont, qui ferme evaserat desiliens » per fenestras Curiae, sed exceptus a civibus illam custo- » dientibus fuit, ultimusque suspensus; ceteri erant filii » civium et unus Walo, limborum textor, EEN PASSEMENTWERKER, » et opificum suae nationis antehac Decanus, grandi senio » venerabilis. »

XIX. Die xx eiusdem mensis, *Ludovicus Guicciardinus*, Nobilis Florentinus, sed annis multis in Belgio conversatus, suam totius Belgii descriptionem, italica lingua compositam, edidit typis Guilielmi Silvii, et Philippo Regi dedicavit, « eo (ut » praefatur) fine, quo hanc tam insignem sui Imperii portio- » nem, eo in opere partim caelo expressam, partim verbis » explicatam intuens ac legens, accendatur desiderio eamdem » quamprimum revisendi, atque per se cognoscendi an recte » assecutus omnia auctor sit, quoad formas et naturas rerum, » quemadmodum multis de causis et incredibili cum desiderio » requirebat Provincia tota. »

Cum autem eamdem gallice traductam, die xvi Augusti sequentis anni, offerret D. Margaritae Gubernatrici, permisit ei praemitti varia variorum tunc clarorum poetarum syncharismata, quorum secundum doctissimi ac prudentissimi viri Gasparis Scheti, quasi in modum prophetiae, anno ante rumores Belgicos, sic concluditur :

Belgica, quae totum magno splendore per orbem
Coepit conspicuum ad sidera ferre caput,
Hactenus ad summum sic tendere visa, laboret
Ipsa sibi ut nimia prosperitate gravis,
Supplicibus pariter cui, Guicciardine, precemur
Votis, in patriam qua pietate decet;
Ut qualis depicta modo, populisque videnda
Praebetur, scriptis nobilitata tuis;
Talis longa queat durare in secula, nec se
Crescendo dum vult vincere, forte cadat.
Prosperitas, luxus, quaeque inde licentia, magnis
Exitii regnis causa fuere sui.
Di melius! Videant hac te sine labe nepotes;
Magna es; et ut maneas, Belgica, magna, precor.


Antverpia nostra, quae hoc in opere quartam fere partem facit, a pagina 81 ad 170, nimis quam manifeste cum ceteris, et prae ceteris, sentire incipiebat praesagii istius veritatem, prout apparet ex dictis, et ex infra dicendis apparebit magis.

XX. Interim post biduum a prima editione, id est « xxii Octo-
» bris, Senatus decretum exiit, ne quis milites Civitatis per
» convicium nominaret papenknechten, *Paparum famulos*, sub
» poena exilii; neve Praepositum eorum irrideret vel carperet
» quis suo officio fungentem; atque ut parentes abstinerent
» liberos suos a plateis, alias pro ipsis, si quid conturbationis
» per eos crearetur, poenas luituri, pueris nihilominus tortoris
» manu flagellatis. Tunc coeperunt praedicti milites, ex civibus
» assumpti, militari more defunctos suos pueros et adultos
» sepelire, cum tympanis fistulisque. Calvinistae autem id
» faciebant sine cruce, cereis, aut Cleri comitatu, soloque
» Praedicante adhibito, qui in loco sepulturae (sacro an profano
» nihil intererat) aliquid breviter dicebat de morte. Die iii

» Novembris, iidem in suis templis publice celebraverunt coe-
» nam, quam suum sacramentum esse dicebant.

» Die VI mensis, timuerunt praefati approbatores praedica-
» tionum haereticarum, et qui subscripserant supplicibus in
» earum favorem libellis, Civitate expelli per veteres bonosque
» Catholicos. Die XII eiusdem mensis, intra horam decimam
» undecimamque, mulier quaedam de Werva in Scaldim prae-
» cipitata est, quia editam recens prolem ipsamet baptizave-
» rat. Die XII, in quadam popina, cui a longa subula nomen
» erat DE LANGE-ELSE, prope Croneburgicam portam, conflictus
» gravis exortus est; ipsoque in loco cives tres a concivibus
» suis confossi sunt. Die XVI, maior etiam circa novam Bursam
» tumultus fuit, ipsa qua mercatores eo convenerant hora;
» occasione pueri, Calvinisticos illis libellos vendentis. Hunc
» enim cum unus ex Marcgravii ministris comprehensum
» abduceret, exclamavit puer : *Adeste, cives; comprehendor
» enim quia libellos vendo*. Ad hunc ergo clamorem accurrit
» unus eorum qui aderant, nonnullisque clamantibus *occidite
» nebulonem*, pugnis tam male exceptus Marcgravii minister
» est, ut cogeretur puerum dimittere. Hispani autem quidam,
» rati ad arma veniri, gladios suos vagina exeruerunt, eosque
» in altum extulerunt, et sic tumultus sedatus est.

» Die Mercurii XVIII Decembris, mane sub auroram, more
» consueto cantata fuit *Missa* quam *Auream* vocant, sub qua
» ad Evangelium figurata Deipara, cum Angelo Verbi Incar-
» nationem nuntiante colloquens, in odeo producitur, cetera
» Evangelii verba ad altare cantante Diacono; licet Sectarii
» iurassent ea nocte presbyteros omnes occidendos. Sed in
» nocte Natalis Domini, non nisi circa Meridiem sacra solemnia
» peracta sunt, multis Catholicis praesentibus, et sacram
» Eucharistiam suscipientibus. In omnibus quoque monasteriis
» et parochiis conciones sunt habitae, et Vesperi Laudes



» cantatae de Venerabili. Sectarii quoque, suis quique in
» templis, ipsum festum concionibus habendis celebrarunt.
» Eadem nocte rursum increbuit sermo minime vanus quod
» tractarent haeretici de caede omnium Ecclesiasticorum;
» disturbatum tamen consilium est.

XXI. « Sequenti die eoque Iovis, die festo S. Stephani, rur-
» sum Calvinistae suam (ut appellant) Coenam fecerunt in novo
» suo Talpularum templo, ministrantibus duobus Praedicanti-
» bus hoc modo : Unus eorum, Doctor Isenbrandus appellatus,
» distribuebat illam viris, duodenis ac duodenis simul cum eo
» sedentibus ad mensam, singulisque porrigebat et ori impo-
» nebat bucellam panis candidi, dicens: *Accipe et memor esto;*
» *hoc est corpus Christi, pro peccatis nostris oblatum in stipite*
» *crucis.* Similiter supra calicem argenteum, vino plenum, dice-
» bat esse sanguinem Christi. Ex altera parte alius, Magister
» Georgius nuncupatus, natione Flander, idem faciebat feminis
» ac puellis, pariter numero semper duodenis sessum se com-
» ponentibus. Cum hae et isti ita sumpsissent panem ac vinum,
» succedebant eodem numero alii aliaeque, a mane usque in
» vesperam. Interim tertius Praedicans, ex cathedra narrabat
» Christi Passionem, quamdiu durabat maledicta ista Coena;
» et tantumdem factum est ab eisdem in duobus aliis ipsorum
» templis, ad Wapperam et Vaccariam portam.

» Die ultima anni, rursum invaluit rumor vespertinus apud
» vulgus, quod ea nocte occidendi essent omnes Papae et
» Monachi, ubicumque invenirentur. Eodem vespere, Guiliel-
» mus Maillardus, Censitor texturarum , a via Tornacensi
» veniens ad Forum circa medium octavae, graviter vulneratus
» est ab excubias agentibus; gladioque, zona et loculis spolia-
» tus, quia noluerat interroganti excubitori respondere quis
» esset. Hinc gravis exorta inter excubitores conturbatio,
» existimantes incursionem parari : ideoque tota nocte

» steterunt in acie dispositi, pulsatis usque in auroram per » totum Forum tympanis. Fuerat eodem die edictum ne quis- » quam eo vespere vel nocte larvatus procederet, vel sine » lumine, aut per plateas discurreret strenas cantando (ut solet » ad novi anni auspicium fieri) vel musicum aliquod instru- » mentum pulsando, sub poena arbitrariae correctionis. »

A. C. M.D.LXVII.

ARGUMENTUM.

I. Primi trimestris confusio summa, Sectariis fraudulenter tumultum cientibus. II. Prohibita efferri extra Belgium arma. III-VI. Suspensis Calvinistis quibusdam, multi eorum foris se muniunt, et suburbanas domos diripiunt. VII. Sed a milite Bruxellis submisso caeduntur. VIII. Caesos socios ulturi ceteri, ad Merae pontem coeunt. IX. Intoleranda petunt a Magistratu. X. Carceres effringunt. XI. Catholicos omnes expelli volunt. XII-XVI. Hi cum Lutheranis ante Monetam collecti, arma contra illos assumunt; qui numero adversariorum territi, discedunt ex Mera. XVII. Proscribuntur complices iconoclasmi et seditionis. XVIII. Discedit Auriacus XIX. Cessant conciones. XX-XXI. Urbem ingressa Gubernatrix sacra restaurat.

ACTA PRIORA.

I. Primum huius anni trimestre confusionis plenissimum fuit Civitati, ac tempestatibus Sectariorum magis quam ventorum horridum. Serenitatem ipsi aeque ac Religioni Pascha Dominicum retulit; nescitur tamen vel tunc quidquam actum fuisse circa Magistratum, ineunte Maio mutandum; et Gubernatrix, absque ullo, quod quidem sciatur, decreto, permisit, eum qui tunc erat, suum exercere officium, donec, sacris profanisque rebus rite compositis, novus designaretur; quod ante sequentis anni Maium non est factum. Solum eleemosynaria Camera, in festo

S. Barbarae praeterito, morem suum tenuit, et novos duos veteribus quatuor adiungendos nominavit. Quae porro acta in Civitate sunt, ordinem temporis sequendo, incipio enarrare; idque ex Mss. Registris, quibus haud dubie multam lucem afferrent Hogstratani Comitis, pro Auriaco Civitatem gubernantis, ipsiusque Auriaci, Antverpiam reversi, litterae ad Gubernatricem, si harum aeque ac priorum servata exempla forent.

« Die XVIII mensis Ianuarii, seditiosi Sectarii, tumultui » concitando intenti, modum id consequendi diabolicum omnino adinvenerunt, commenti libellum supplicem offerendum » Gubernatrici, quo proditionis meditatae accusarentur quindecim aut quatuordecim ex opulentioribus civibus, quasi » voluissent Civitatem tradere peregrinis militibus. Machinator » calumniae fuit Praedicans Georgius, qui suis in concionibus palam omnes monebat vigilare, quia Civitas iam nunc » vendita erat, solumque restabat ut traderetur. Hinc data » occasio praedictos in suspicionem odiumque vocandi; Calvinistae autem tota illa nocte armati, domos suas custodiebant. » Cum autem boni isti viri, expurgari volentes, accusatores » suos peterent in ius vocari, die XXI ex podio Curiae citati » omnes sunt; et, nemine ad crimen probandum comparente, » sub mulcta centum florenorum prohibitum est eiusmodi » falsitati fidem aliquam adhibere.

II. » Die XXIII eiusdem mensis, prodiit ab Aula edictum, » ne quis extra ditiones regias efferret quidpiam armorum, » bombardarum, thoracum ferreorum, pulveris tormentarii, » aut externis venderet. Item aliud, prohibens commercium » omne cum Valencenatibus, rebellibus declaratis et inimicis » Regis. Denique constitutus fuit quidam Rubrae (ut vocant) » Virgae Praepositus, nomine SPELLEKEN, id est *Acicula*, cum » potestate faciendi iustitiam per totum Belgium, contra expilatores ecclesiarum ac monasteriorum, satores falsorum

» dogmatum Praedicantes, vagosque nebulones, et eos, ubi-
» cumque repertos, sine misericordia suspendendi. Hic ergo,
» die II Februarii, in Calvinistas, extra Mechliniam, via Lyrana,
» ad concionem collectos, impetum faciens, ipsos disturbavit;
» coepit etiam varios ex auditoribus, et nominatim Causidicum
» quemdam Mechliniensem, dictum *Magnum*, DEN GROOTEN;
» aliosque duos cives, LEPELIER et PLATTYNKEN nominatos; et
» quemdam notum Calvinistam ipso in loco suspendit ex
» arbore; ex qua etiam paulo post suspendi fecit filium Mag.
» Gilleni, tortoris Antverpiensis. Simili morte Sabbati, et die
» VIII circa tertiam postmeridianam, Praedicans, qui Vilvor-
» diae captivus detinebatur, Walhemium, Aula sic iubente,
» deductus, laqueo exstinctus est, quamvis falsam suam do-
» ctrinam Vilvordiae retractasset.

III. » Die XVIII eiusdem, publicatum per Civitatem est ut
» omnes externi atque vagi ante occasum solis (timebatur
» enim mox aliqua eruptura conspiratio et proditio) Civitate
» exirent, vel nomina sua hospitiaque et opificia aut Dominos
» indicarent. Ad hoc edictum multitudo magna Walonum
» versus Dammipontem se proripuit; ibique se quasi in
» militiam adscribi fecerunt, pro signo assumentes vulpinas
» caudas, balteos virides et pileos villosos. Suspicio erat
» eorum Capitaneum esse Dominum Limmelensem, territorii
» Leodiensis.

» Eodem die Marcgravius, cum stipatus satellitio suo obe-
» quitaret per viam Wingardicam, occurrit eorum uni sub
» meridiem, qui caudam vulpinam habebat in pileo : a quo
» cum peteret sibi ostendi scriptam licentiam capitanei sui,
» nec satis certum responsum acciperet, nihil amplius cun-
» ctandum ratus, sub horam quartam egressus est cum
» Dominis van Stralen, Diderico Brecht; mandatum ferens
» iis qui ad Dammipontem consederant, ne quis militem

» conscriberet contra Regem, atque ut inde recederent ; iam
» enim innotuerat, quod eorum Capitaneus etiam in Civitate
» aliquos sibi auctoraverat. Hoc consilio cum per viam stratam
» versus Dammum Domini praedicti tenderent, obvius eis
» factus est Walo quidam, a Dammiponte veniens ; cui
» Marcgravius, *retrocede*, inquit; sed audivit tres secus viam
» clamantes *perge porro* ; qui etiam Marcgravio dixerunt :
» *Subsiste, nec ultra te commove; alias pedes tui vivum hinc*
» *te non auferent.*

IV. « Iidem autem qui ad conscribendos milites versus Civi-
» tatem tendebant, cum Commendante iam conscriptorum
» Walonum, videntes Marcgravium armatum contra se venire,
» advocarunt socios : qui plures quam trecenti conspirantes
» venerunt cum gladiis evaginatis, parati ad caedem, utpote
» contra Marcgravium valde irritati; sed continuit eos respectus
» Domini van Stralen, utpote Toparchae Merxemii et Dammi
» pontis, qui pro sua auctoritate eis mandavit, nomine Regis,
» ne ultra quemquam sibi adiungerent lustrarentve, aut cui-
» quam Dominorum vel militum secum venientium nocerent.
» Verum ipsi, veluti furibundi, Marcgravium et Toparcham
» Brechtensem cum suis militibus volentes nolentes coegerunt
» clamare *Vivant Gheusii;* eosque percutientes, graviter vulne-
» raverunt equum Toparchae Brechtensis ac plures ipsorum
» Dominorum famulos, eripientes ipsis arma sua, bombardas
» et galeas; ita ut cogerentur fugam capere ad Civitatem,
» omnibus armis spoliati, alias perituri omnes. Sequenti autem
» nocte, faex illa, discurrens per suburbia, multas deliciosas ibi
» domos, praesertim opulentiorum civium, invasit expilavit-
» que, ac nominatim Merxemii aedes Dominorum Gasparis de
» Mera, atque Francisci Doncker, Canonicorum Antverpien-
» sium ; Wommelgemii, praedium Ioannis Carels ; Turnini,
» villam D. Gerardi Sterck, frangendo ibi omnia quae auferre

» nequibant; cetera belli instrumenta rusticorum curribus coactis » extulerunt; arma vero, ut hastas, lanceas, bombardas, gladios, » ipsi secum portaverunt. Dammipontem tandem, xix Februarii, » tota faex illa cum suis Capitaneis migrarunt; et ex Austre- » welae pago ad Scaldim etiam in suam militiam multos ad- » scripserunt, iuvenes ac senes; eosque impositos navibus in » Zelandiam Hollandiamque transmiserunt.

» V. Princeps Auriacus, eodem die reversus Antverpiam, » cum intellexisset quid actum erat ad Dammipontem, venit » ad portam Kipdorpiam, unumque ex iis, qui Antonium Stra- » lium male mulctaverant, apprehendit. Hic vero exclamavit: » *Vivant Gheusii: accurrite, cives; nam propter Dei verbum hic* » *comprehendor*. Concurrentibus ergo in subsidium malevolis, » elapsus est. Die xx Februarii, proclamatum ex podio est, ut » quicumque habuerant partem in actis ad Dammipontem, » expurgandos se sisterent; et non comparentes, die xxv » mulctati exilio sunt. Indicta quoque bonorum omnium pri- » vatio fuit iis, qui domi suae occultarent aliquos ex militibus, » praeter Regis voluntatem conscriptis: quod nihili facientes » illi qui Dammi erant, Wilmerdonkam expilarunt.

» Die xxv, iussi sunt Antverpia exulare omnes egressi ex » Dammiponte; edictumque ut, si qua in domo ex huiusmodi » adversus Regem conscriptis invenirentur, ea tota cum om- » nibus ibidem contentis fisco subiaceret. Die xxvii, Calvinistae » quidam voluerunt configere Minoritam, qui ea hebdomade » concionatus ad D. Virginis fuerat: eorum tamen manibus, » mutata veste, subductus est. Similis ibidem conturbatio erat » quotidie post meridiem per totam quasi quadragesimam; » quapropter Religiosi concionaturi, veniebant in habitu secu- » lari absque cappa sua, et absque ea revertebantur ad suos » conventus; prae ceteris tamen vexabantur Minoritae.

Die v Martii, vetitum ex parte Civitatis est, ne quis novellas

» narrationes ac falsas spargat, vel arma aut annonam milita-
» rem Civitate emittat, sub arbitraria correctione. Die vii, ema-
» navit rumor in vulgus, quod ex mandato Aulae, Calvinistarum
» ecclesiae claudendae et obsignandae essent, concionesque
» prohibendae. Hanc ob causam multi in Foro congregati
» sunt, exspectantes publicationem edicti, sed frustra : nam
» propter quasdam rationes praetermissa illa est, ordinatumque
» ut ad Civitatis portas duo Scabini assisterent earum custodibus,
» atque peregrinos omnes transeuntes interrogarent nomina
» et cognomina sua, hospitia et opificia; alias non permitte-
» rentur intrare. Die viii, nova Sectariorum militia Austrewela
» Merxemium tetendit, et violenter occupavit domum Dros-
» sardi Brabantiae, dicti *de Greve*, omniaque ibi inventa arma
» ac supellectilem pene totam diripuit.

» VI. Die ix, Bruxellis redierunt Comes Hogstratanus et
» Didericus Brecht, ipsoque vesperi imperarunt, ut pons Aus-
» trewelensis, nec non ligneus ad moenia Civitatis ponticulus,
» eo ducentes, destruerentur. Hoc viso, male feriati isti Turni-
» num flexerunt postridie, spoliaturi ac destructuri Nobilium
» domos, eas praesertim in quibus armorum aliquid vel mili-
» taris annonae reperiebant. Ibidem mactare intendebant Pasto-
» rem loci Michaelitanum, domo eius direpta; fecissentque nisi
» per fossam domui circumductam evasisset.

» Hic illi intelligentes, ab Aula, ad se pellendos, expediri
» equitum peditumque turmas aliquot, rediverunt Austre-
» welam; ubi irruentes in ecclesiam loci diffregerunt universa,
» nulli rei sacrae profanaeve parcendo, atque in primis expi-
» lando aedes Praetoris Domini Adriani, aliasque deliciosius
» exstructas. Ibidem etiam muniverunt se, ducentes largam
» fossam trans viam quae ab ecclesia ducit ad sacellum,
» ne illac transire equites possent; ipsumque aggerem, ubi
» crux erat, sepserunt, dispositis transversim curribus rusticanis,

» et locum diu noctuque sedulo custodiebant. Die xii, Wil-
» merdonkam petierunt, ubi, direpta ecclesia, colonis multa
» damna intulerunt, invaseruntque pulcherrimam domum,
» aqua circumducta et pensili ponte munitam, quae erat Mag.
» Petri van Dale, Canonici Antverpiensis. Erant in ea domo
» ad praesidium milites octo : qui unius ex suis morte conster-
» nati, multitudinique impares, domum dediderunt oppugnan-
» tibus, vitam salvam pacti. Ita illuc ingressi factiosi, praedam
» magnam supellectilis pretiosae corraserunt, annonam etiam
» omnis generis pulverisque tormentarii, atque Austrewelam
» avexerunt, una cum ipsius Domini nummulario seu capsario.

» VII. Eadem nocte missi ab Aula Domini de la Motte et Bau-
» vais, cum equestri turma et quatuor vexillis bene instructorum
» peditum, transito festinanter pago cui a Scaldi praeterflu-
» ente nomen est, atque Turnino, vitato autem per circuitum
» Dammiponte, die xiii, valde mane, simul omnes cum turma
» Virgae Rubrae accesserunt ad aggerem Austrewelensem :
» factaque ad ligneam ibi crucem irruptione vehementi, ita
» fortiter rem gesserunt, ut circiter octingenti ex praedonibus
» caesi laesique, et flammis vel aquis dicantur fuisse suffocati :
» nam iuvenes plerique erant inexercitati, atque ex civili faece
» temere collecti, deprehensique sunt pene dormientes om-
» nes. Dux eorum erat Francus quidam Dominus de Tholosa,
» magnus Auriaci amicus, qui in cataracta submersus est.
» Plures pavide se contulerunt in domum eidem cataractae
» proximam ad pedem aggeris; eaque a regiis incensa, cum
» Capitaneis ibidem vivi conflagrarunt : alii mortem volunta-
» riam elegerunt praecipites in Scaldim; alii denique semi-
» nudi, per campos fossasque palabundi, fugam sine ullo
» ordine capiebant versus alios pagos, sed insequentium
» equitum sclopis traiecti cadebant. In ipsa etiam fossa, quam
» defensionis causa fecerant, reperti sunt circiter centum

» viginti quinque submersi. Ex regiis autem solum tres occu-
» buere, in Ekerana ecclesia mox humati.

» Hac victoria de Gheusiis relata, victor miles omnem prae-
» dam partitus est: Austrewelam quoque expilavit; ita meritis
» incolis, qui cibo potuque nefarios paverant, contra severissi-
» mum Regis edictum, ubique publicatum, sub poena bonorum
» et capitis. Calvinistae autem Antverpienses, suorum cladem
» tantum non ex moenibus intuentes, ipsa nocte congregati,
» volebant eam portam, quae Austrewelam ducit, violenter
» effringere, iisque auxiliaturi erumpere; cumque ipsum por-
» tae pontem, Stralii Brechtiique iussu destructum invenirent,
» furibundi ad Rubeam procurrerunt; illac mox egressuri,
» nisi Princeps Auriacus dissuasisset: dicens eos qui foris
» erant, omnes iam caesos esse, ipsosque similiter perituros,
» utpote destitutos equitatu et militiae inexpertos. »

VIII. « Ergo, instructa acie, a Rubea porta ad pontem Meranum
» perrexerunt, crescente continuo numero; inque tantam inso-
» lentiam elati sunt, ut, contra voluntatem Magistratus bono-
» rumque civium, tormenta, prope S. Michaelis in armamen-
» tario vulgariter DEN HOUTEN-EEKHOF reposita, extraxerint,
» pertraxerintque in Meram, disponentes ea ad angulos viarum,
» unumque aeneum maius in ponte, quo turris Mariana ever-
» teretur.

» Tunc videns Auriacus armatos Calvinistas sic turmatim
» procurrere ad Meram, insiliit in equum, atque cum Hog-
» stratano et Consulibus illuc accurrit, si forte posset seditiosos
» compescere; sed surdas ad rationem aures frustra pulsabant.
» Sub vesperam tamen eiusdem feriae quintae, inter Prin-
» cipem, tamquam Burggravium et Gubernatorem Civitatis,
» Magistratumque concordia quaedam, Calvinistarum nomine,
» concepta fuit, ut scilicet quilibet maneret in suae Religionis
» et praedicationis exercitio absque ulla mutuo offensa. Verum

» isti, contempta tali concordia, totam noctem in eodem
» Merae loco manserunt in armis, usque mane feriae sextae,
» XIV Martii, quando petierunt totum Ecclesiasticum statum ab
» Urbe emitti; et in via Cammeria Capellanum quemdam nacti,
» cogebant palam clamare : *Vivant Gheusii*, volebantque, ni
» faceret, ad Meram pertrahere; quod et fecerunt. Alios etiam
» nonnullos seniores Minoritas ex suo conventu protraxerunt :
» quibus, ita ut erant, vestitis, illudebant, eorum cappas pen-
» nis gallinaceis infixis deturbantes.

» Post meridiem instructa acie, a Mera per Kipdorpium
» processerunt ad Forum, venientesque ad viam Mauri, DE
» MORIAENSTRAET, substiterunt istic ubi de KAESRUYE a Caseis
» nuncupatur. Inde Capitaneos aliquos suos miserunt ad Cu-
» riam, ubi Magistratus armatus etiam ipse residebat, ad sui
» defensionem habens armata Collegia Gildarum, et quaedam
» vexilla militiae civicae, iuratae fidelem eius custodiam. Hanc
» tamen aliquammulti non praestiterunt, tam officiales quam
» gregarii, depositis armis, transeuntes ad partem Gheusiorum,
» in Merae ponte stationem habentium : quapropter mulctati
» sunt exilio, et damnati ad militandum contra Turcas.

» IX. Deputati isti exposuerunt Magistratui postulata Calvi-
» nisticae factionis, haec :

» Primo, ut totus Ecclesiasticus status urbe excederet, cum
» omnibus papistice sentientibus. Huius postulati fiducia, aliqui
» accesserunt domos nonnullorum Catholicorum, quos con-
» temptim appellabant Papistas, dicentes : *Conde testamen-*
» *tum, et vive sicuti mori vis : iam enim omnia tenemus,*
» *facti domini urbis, nostroque in ea arbitrio facturi omnia;*
» *Catholicos autem dimittemus omnes, schellingo uno sagu-*
» *loque instructos* (sagulorum autem centenaria aliqua eum
» in finem confecta habebant) *omnibus aliis rebus spoliatos*
» *sic emissuri.*

» II. Petebant voluntati suae tradi Curiam, alias eam vi » occupaturi: eumque in finem parata habebant tormenta » aenea maiora quatuordecim, atque in angulis platearum » disposita per Meram. Auriacus ergo videns eos ad vim Curiae » inferendam paratos, misit ad Magistratum Consiliarios quos- » dam, mandans ut Curiam dimitterent, Forumque vacuarent, » licet bene esset munitum ad vim sustinendam, disposita » circum ipsam militia civica, nonnullisque tormentis bellicis » ante eius podium collocatis.

» III. Volebant sibi tradi claves armamentarii et portarum » omnium, ad cunctos eos intromittendos, quos intromitti » placeret Doctori Hermanno, primario suo Praedicanti, et » Deputatis; quae claves eisdem mox traditae sunt, et ab » ipsis commissae D. Ioanni de Pape, servaturo illas ad dis- » positionem praefati Hermanni et Calvinistarum. Hi vero » iusserunt continuo aperiri portas Rubeam, Wervensem, » Cerevisiariam; intromiseruntque omnes Austrewela profugos, » vulneratosque in Nosocomium tulerunt, et gratulanter rece- » perunt ex ista clade reliquos, velut insignes suae Religionis » pugiles.

» IV. Petierunt tantum pulveris et globorum, quantum sibi » opus fore iudicarent; et hoc etiam obtinuerunt; missusque » cum iis est, id suadente Principe, ex Magistratus Accensis » seu Apparitoribus unus, mandatum ferens custodi pulvera- » riae turris prope Kayam ab asseribus nominatam DE BERDER » KAYE, eiusmodi materiam asservantis, ut ipsis traderent quan- » tum vellent. Ipsi autem bonam inde copiam pulveris in carro » trusatili provexerunt ad Meram.

» V. Insuper voluerunt sibi tradi Dominos quosdam rectores » Civitatis, vel exauctorandos, vel capite plectendos; vide- » licet D. Ioannem van Immerseel, Marcgravium; D. Ada- » mum, Amptmannum; D. Henricum van Berchem, foraneum

» Consulem; Lancelottum van Ursel, cum filio suo Thesaurario;
» et Didericum van Brecht; aliosque eorum loco substitui;
» puta Dominos Iacobum Hertsens, Ioannem de Meter, van-
» der Noot, aliosque plures factionis suae.

» Ad quod aliaque puncta Magistratus respondit, non esse
» in sua potestate eiusmodi postulatis consentire absque con-
» sulto Principis Auriaci (utpote Burggravii) et plenioris Con-
» silii. Rogabant igitur patienter sustinere usque in crastinum
» mane, consultationi dandum. His auditis, retulerunt se Depu-
» tati ad aciem suorum, a qua deducti sunt ad locum castro-
» rum in Merae ponte, ubi ceteri considebant.

» X. Postea magno cum strepitu concurrerunt Calvinistae
» ad carcerem publicum; eumque violenter irrumpentes, di-
» miserunt quoscumque ibi captivos, non solum haereseos
» causa, sed etiam causa debitorum. Hoc vero intelligens
» Auriacus, una cum Comite Hogstratano, equitavit ad pon-
» tem Meranum, tumultuantes pacaturus. Sed illi in Ducem
» ac Regem blasphemantes, exclamare coeperunt : *Vivant*
» *Gheusii; Papae ac Monachi pereant; Cives serventur;* PAPEN
» EN MONIKEN BLOET, BORGERS GOET. Quin etiam ipsum Principem
» impudenter appellabant proditorem, qui sciens paratam tot
» innocentibus Austrewelae caedem, ne succurri illis ex Civi-
» tate posset, fecerit pontes frangi per suos consortes. *Nunc*
» *vero,* inquiebant, *nos etiam proditum venis, non servans*
» *quae nobis promisisti.* Imo unus eorum, arrepto freno
» equi cui Princeps insidebat, impactoque in pectus sclopo,
» minatus est eum traiicere, multa convicia adiiciens. His
» consternatus Princeps : *Viri boni, acquiescite,* inquit,
» *quidquid pollicitus vobis sum praestabo fideliter : numquam*
» *vos deseram, paratus o, boni cives, bona et vitam pro*
» *vobis exponere.*

» Verum, blanda eius verba floccipendentes, circumstabant

» illum, detinueruntque violenter, donec pollicitus esset quae-
» cumque volebant. Promisit ergo vi coactus, quod Magistratus
» statim ipsis dimissurus esset Curiam et Forum, a militibus
» vacua. Item permitteret, ut ipsi sibi deligerent Capitaneos,
» seque mutuo iureiurando obstringerent ad Civitatem ab
» expilatione servandam, id quod summopere timebatur. Insu-
» per polliceri Principem coegerunt, quod omnia pacifice
» componeret, inter ipsos Papistasque et Martinistas : nam
» hos etiam vehementer oderant. Super his omnibus oravit
» eos Princeps patientiam usque in mane : *Tunc*, inquit,
» *circa horam nonam vobis respondebimus :* atque ita manus
» eorum evasit. Ipsi vero perstiterunt tota nocte in loco, solli-
» cite custodientes pulverem et reliquam militarem provisio-
» nem. Ordinaverunt etiam inter se Capitaneos, Vicomagistros,
» aliosque Officiales; deliberaruntque de excubiis ad omnes
» portas stabiliendis : fama enim erat obsidionem ab Aula
» exspectandam, in auxilium Catholicorum.

» XI. xv Martii, Sabbato post mediam Quadragesimam, fecit
» Princeps in domum Aquensem convenire mane totum ple-
» num Consilium cum Magistratu et Vicomagistris; eisque
» exposuit propositiones Calvinistarum, coram se et Hogstra-
» tano declaratas, et commissas arbitrio trium praecipuorum
» Praedicantium, videlicet Doctoris Hermanni et cuiusdam
» Staffini, atque Doctoris Isembrandi, auctorum huius seditio-
» nis. Istis autem sic congregatis, praedicti iam nominati tres
» audacter ingressi sunt; et Hermannus coram omnibus fiden-
» ter impudenterque protestatus est, dicens : *Scitote, quotquot*
» *adestis in Consilio, quod nequeam amplius populum meum*
» *tenere suspensum : iam bis irruperunt in proximum Merae*
» *coenobium monachorum; voluntque tandem unum vel alterum*
» *scire : nisi enim impleatur contractus cum ipsis heri initus,*
» *dicunt, scire se quid agendum sibi sit. Ego autem cum duobus*

» *hisce sociis meis, dico, si quid aliter quam velletis eveniat,*
» *nolite hoc imputare Praedicantibus.* Ita ille in pleno consessu,
» tam imperiose ac si Dominus Civitatis fuisset.

» Responsum autem unanimiter est, nolle congregatos con-
» sentire ad eiectionem Catholicorum, sed paratos potius omnia
» experiri usque ad ultimum virum. Exivit ergo Hermannus
» cum suis, et acceptum responsum exposuit in Consistorio
» Calvinistico. Itaque omnia et singula praetensi contractus
» puncta statim in compitis affixa dependerunt cuilibet le-
» genda. Cum autem omnes Civitatis portas et aliquarum
» etiam claves haberent in sua potestate, Rubrae portae seras
» abstulerunt, cuicumque volenti ingressum egressumque per-
» mittentes, ac si omnia essent lucrati. Consultum quoque
» censuerunt cum Lutheranis seu Martinistis, quos *Confessio-*
» *nistas* appellant, foedus inire contra Papistas seu Catholicos.
» Verum isti rem sibi propositam prorsus audire noluerunt,
» nec illis auxilio esse; sed responderunt quod contra Regiam
» Maiestatem Civitatisque Superiores rebellare nollent, sed
» in eorum obedientia constanter perseverare: qui si eorum
» praedicationes prohiberent, aut Civitate exesse iuberent,
» continuo parituros se et discessuros.

« XII. Hac spe deiecti, Calvinistae statuerunt in Consistorio
» suo duos viros deputare cum tympanis, qui ad omnes
» viarum angulos proclamarent : *Audite, cives Antverpienses :*
» *quisquis novam fidem ac religionem propugnare vult, sta-*
» *tim veniat ad pontem Merae; ibique nomen suum conscri-*
» *bendum tradat.* Dictum factum, ipso die xv, ante meridiem,
» sed exiguo cum fructu : paucos enim sequaces habuere.
» Mandatum igitur iterarunt per duos viros valde conspicuos,
» Dominum vander Noot, olim Scabinum Curiae Lanariae, et
» Ferdinandum Beauvillie, potentem mercatorem, ferreum tho-
» racem indutos, sclopoque armatos; sed neque hi sequelam

» habuerunt. Tunc videntes Calvinistae per eiusmodi pro-
» clamationes nihil profici, mentiti sunt, et inter Catholi-
» cos spargi fecerunt, utramque sectam convenisse; ideoque
» moneri omnes veri Verbi Dei amantes, ut sine mora armati
» compareant in Mera. Commovit hic rumor omnes bonos
» cives, sed imprimis Confessionistas : quare tam ipsi quam
» exteri omnes, Germani, Itali, Hispani, Lusitani et Oster-
» lingi, animadvertentes quod Calvinistae sic dominarentur
» et vulgus expilationem Civitatis praestolaretur, unanimes ad
» eius defensionem conspirarunt, perque suos quique Officiales
» plebem commonuerunt, unicuique liberum per ipsos et
» Magistratum esse, quamcumque tenere Religionem, eiusque
» exercitium et conciones locis consuetis frequentare.

« XIII. Princeps vero Auriacus, de omnibus certior factus,
» rursus equum conscendit cum Marcgravio et D. Iacobo van-
» der Heyden, Consule interno; cum iisque ad Merae pontem
» accessit : verum tum quoque reiectus cum contumelia est.
» Praefatus ergo Dominus vander Heyden totam obequitans
» Civitatem, clamabat : *Boni cives, quotquot Regem Ducemque
» amatis et Civitati fidem iurastis, continuo armis accincti venite
» ad Arenarium* (DEN OEVER), *circa officinam monetariam : Cal-
» vinistis enim et vulgo male feriato ad Merae pontem coëun-
» tibus, agitur de vita et fortuna omnium nostrum.* Similiter
» D. Adrianus van Berchem, ad sonum tympani proclamabat,
» ut quisquis Civitatem salvam et Augustanam Confessionem
» assertam vellet, eodem accederet. Ad huiusmodi praeconia
» unanimiter in armis tetenderunt tam Catholici quam Confes-
» sionistae : Magistratus autem, cum aliquot vexillis peditum
» et Guldis, ad Curiam pergens, rursus Forum circumsepsit,
» dispositis ubique tormentis et custodiis; Nationum quoque
» tam pedites quam equites Kipdorpii viam, et eam quae
» Nova longa dicitur, occuparunt, in aciem dispositi, beneque

» animati ad impetum faciendum in Calvinistas; adeo ut
» nihil propius timeretur quam cruentus conflictus et ingens
» clades.

» Et Princeps quidem cum Magistratu deprecabantur bo-
» nos hosce cives, ne praecipitare negotium vellent: si enim
» ad pugnam veniretur, animis viribusque Catholicorum sic
» auctis, apparebat nec unum quidem Calvinistam vivum
» evasurum ex Mera. Catholici clamabant: *Vivant Papistae;*
» Nationes : *Vivat Hispaniae Rex Philippus;* Lutherani:
» *Vivat Confessio Augustana;* simul autem omnes : *Defen-*
» *damus Regem et Civitatem, quibus fidem iuravimus.* Hanc
» tantam animorum coniunctionem et tam generosum fer-
» vorem videntes Princeps et Comes Hogstratanus, cum
» Senatoribus et civibus bonae voluntatis, conabantur eum-
» dem fervorem exhortatione augere et inflammare magis,
» dicentes : *Macti animi estote, boni cives; contractum quidem*
» *talem ut volebant, ipsis, vi coacti consenseramus firmare; nunc*
» *autem zelo vestro pro aequitate ac bono publico fidentes, non*
» *amplius tam multum indulgebimus.* Tunc omnibus sibi pa-
» rentibus mandaverunt rubra signa assumere atque clamare :
» *Vivat Rex Philippus;* itaque distingui a Calvinistis, virides
» balteos gestantibus.

« XIV. Interim rebelles eorumque ductores, considerantes
» quantum numero animisque superarentur a Catholicis, neque
» fieri posse ut ipsi, longe pauciores, dominium Civitatis obti-
» nerent; certamque et magnam cladem praesagientes, fracta
» paulatim fiducia, coeperunt unus post alium a Mera discedere
» suam quisque domum, eodem Sabbato post meridiem, absque
» fistulis et tympanis; multi etiam, quos pudebat armatos in-
» veniri, sua arma ipso reliquerunt loco, nec unus quidem
» audiebatur clamare *Vivant Gheusii;* sed passim quasi pro
» tessera usurpabant : *Hoc nobis non placet.* Itaque, campo suo

» excedentes, disparuerunt. Catholici interim cum Nationibus, » volentes huic tragoediae finem facere, protestabantur quod » nollent Calvinistis ignosci tam manifestam rebellionem, nisi, » depositis viridibus balteis vexillisque, clamarent : *Vivat Rex* » *Philippus*; ni facerent, cogendos mox esse. »

« Sub vesperam, Nationes cum Domino Iacobo vander Hey- » den, explicatis vexillis in Meram venerunt, et per paucos qui » restiterant, medii equitantes, iubebant arma deponere et » clamare : *Vivat Hispaniae Rex Philippus;* quae autem illuc » advexerant tormenta, ad eumdem, unde acceperant, locum, » suis sumptibus revehere. Ingruente nocte, Auriacus simul » cum Ammano Nationes allocutus, gratias egit pro fideli opera » Regi praestita, et Civitate servata. Similiter etiam D. Anto- » nius Stralen fideles cives collaudavit, atque in signum victo- » riae iussit omnes explodere sclopos, itaque domum suam » quemque reverti. »

XV. « Paulo post, Comes Hogstratanus et Domini Stralen » atque Ammanus, et Consul foraneus, Henricus de Berchem, » Bruxellas se contulerunt, exhibituri Gubernatrici initum cum » rebellibus Calvinistis contractum, quem noluerant Consules » subscribendo firmare, nisi ab illa eiusque Consilio recogni- » tum probatumque. Quapropter diu illis ibi subsistendum fuit, » priusquam responsum acciperent; quia Domina Parmensis » negabat se absque Regis fratris consensu quidquam posse » in re tam contraria ipsius et Dei honori. »

« Malevoli interim murmurabant Antverpiae, dicentes : *Si* » *omnes istos Papistas occidissemus, iam haberemus quod vole-* » *bamus; verumtamen illud speramus adhuc consequi, et papis-* » *ticis illis simiis retribuemus iniuriam nobis factam in Mera.* » Sub idem tempus, tardantibus ab Aula venire Dominis » praenominatis, et gravibus in horas rumoribus pervolantibus, » multi ex opulentioribus civibus urbem deserentes, cum bonis

» atque familiis alio migraverunt: quidam in Angliam, alii
» Brugas aut Bruxellas; plurès vero Mechliniam, ubi adhuc
» quies erat. Osterlingi quoque vehementer anxiabantur,
» incerti quid agerent: multa enim ipsis debebat Civitas, non
» solum ratione constructae domus, sed etiam propter merces
» credito venditas, praesertim fruges; quibus etiam huc adve-
» hendis plures naves oneraverant, quarum aliquae iam appule-
» rant in Zelandiam; sed non audebant ultra pergere propter
» rumorum atrocitatem. »

XVI. « xxx Martii, in festo Paschatis, Comes Hogstratanus,
» regressus Bruxellis, ubi Deputati Civitatis remanserant,
» venit ad ecclesiam S. Mariae, solemnissimam tunc Missam
» auditurus, sub qua etiam cum praecipua Nobilitate atque
» Senatu ad oblationem processit; sed Princeps Auriacus non
» comparuit, ut solebat; quod populus haud parum mirabatur,
» mussitabatque animo et corpore aegro esse, propter nuntia
» per Hogstratanum allata. Eodem die non celebrarunt Calvi-
» nistae maledictam suam Coenam; solum vehementer concio-
» nati sunt, quamvis viderent se destitui a praecipuis Consistorii
» sui capitibus, videlicet Marco Peret, Ferdinando Bernouille,
» D. Ioanne vander Noot, Iacobo Hertze, aliisque pluribus,
» nec non aliquibus eorum qui praesumpserant tormenta in
» Meram convehenda mandare, captivos emittere, seras por-
» tarum diffringere, aut muneris aliquid in Mera habere. Hi
» omnes recedebant ex Civitate; fama enim vehemens vulga-
» batur, venturam Gubernatricem et supplicium de rebellibus
» sumpturam. Auriacus vero Princeps ad sui custodiam con-
» ductos habebat milites quadringentos, quos loricis nigris
» galeisque auratis induerat. »

XVII. « Secundo post festum Paschale die, eaque prima
» Aprilis, Antverpiae, nomine Regis, ex podio proscripti sunt
» DD. Henricus Brederode et Antonius Bombergen, bonaque

» eorum Regio fisco addicta; uti etiam bona Silvaeducensium
» ipsis adhaerentium; vetitumque fuit, ne iis aliquid solveretur
» donec in plenam libertatem restituissent Regium Brabantiae
» Cancellarium, D. de Petersem; quem Bombergius cum suis
» fecerat Silvaeducis attineri captivum. Eodem die, Bruxellas
» venerunt delegati Traiectensium, Gubernatrici declarantes,
» quod ea Civitas se Maiestati Regiae libera voluntate tradebat.
» v Aprilis, ab Aula Gandavum missi milites, funditus demoliti
» sunt rotundum templum, quod Calvinistae istic sibi erexe-
» rant; materiamque omnem vendiderunt. Die ix eiusdem circa
» meridiem, animos omnium toto Belgio tenuit horribilis
» eclipsis, duas fere tertias solis partes obscurans : et eodem
» die, Calvinistarum et Lutheranorum Praedicantes extremum
» concionati sunt, suisque complicibus valedixerunt. »

XVIII. « Die x Princeps Auriacus, convocato pleno Ant-
» verpiensium Consilio, declaravit quod, propter quaedam
» urgentissima suarum ditionum negotia, necesse habebat
» excedere e Civitate; cui agebat gratias pro fideli obsequio et
» auxilio sibi praestito; et die xi, cum novis militibus suis, ita
» ut dixi indutis, Bredam abiit omnino improviso, eo quod
» nemo quidquam de eius discessu inaudisset. Multaque erat
» apud omnes admiratio quod sic abiret, non exspectato
» Gubernatricis responso circa contractum cum Sectariis illi
» missum. Principem vero multi ex Calvinistis aliisque mali
» sibi consciis secuti sunt. »

XIX. « Postridie xii Aprilis, decretum in pleno Consilio fuit,
» admittendam Gubernatricem cum copiis quas secum addu-
» cere vellet in urbem : et die xiii, omnes utriusque Sectae
» Praedicantes, absque ulla contradictione, intermiserunt con-
» ciones suas; quamquam eas tenere magis licuisset Confessio-
» nistis, quia illos ex Germania Princeps accersiverat. Erant
» autem hi, Doctor Spanneberg et Illyricus qui docebant

» Confessionem Antverpiensem, noviter a se compositam, con-
» formem (ut aiebant) Augustanae : item Franciscus Alardus,
» Dithmarus Tymannus, Gratianus Valerius, Christianus War-
» nerus, Ioannes Scaliger, Ioannes Ligurius, et Balthasar Hau-
» waert: quos cives aliquot primarii magno habebant in honore,
» praebentes ipsis liberaliter victum vestitumque, ac toti
» ipsorum quam adduxerant, familiae. Et hi quidem maiori
» cum scandalo concionabantur contra fidem antiquam et
» Missam, Reliquias, Sanctorum cultum, et Romanam Eccle-
» siam, quam Calvinistae, a quibus etiam discrepabant in
» administratione Coenae, eam sub duabus speciebus distri-
» buentes pronuntiando consueta Sanctae Consecrationis et
» Christi verba. Hinc natum grande inter utramque Sectam
» dissidium; seque mutuo insectantes libellis, cantilenis, epi-
» grammatis, scommatis et invectivis, adeo commovebant
» plebem, ut utrisque fuerit indicendum silentium et absti-
» nentia a concionibus.

» XX. xv Aprilis, prohibitum sub gravissimis poenis fuit,
» ne quis arma, pulverem, nitrum, et aliud genus militaris
» annonae venderet, portandum extra Civitatem; et quatuor
» vexilla peditum, ad illius defensionem auctorata, sacra-
» mento soluta sunt, aliis quatuor in obsequio retentis;
» unde magna istorum murmuratio, quia eorum plerique
» civium filii erant. Die xvi, in ecclesia Mariana datum est
» mane, pro prima post destructionem vice, minori campana,
» quae *Schella* dicitur, signum funeris plebeii (EEN SCHELLYCK)
» sub meridiem deducendi. xvii, coepit iterum ex turri Mariana
» audiri lusus campanarius; et ex podio Curiae proclamatum
» est, ut se iudicio sisterent responsuri, omnes ecclesiarum
» spoliatores eorumque complices aut directores, quique mu-
» nus aliquod in Mera gesserant; carceris etiam effractores,
» et qui inde captivi fugerant. Eodem die, Bruxellis venerunt

» metatores hospitiorum circumcirca monasterium S. Michae-
» lis in adventum Ducissae Parmensis parandorum, quae
» mox ventura dicebatur, cum numeroso peditum equitumque
» comitatu.

» Die xxiii, exauctorati sunt reliqui milites, ad obsequium
» Civitatis conducti; et Guldae utriusque Balistae maiori
» campana signum dederunt ad primam Missam, in ipsarum
» altaribus curandam. Die xxvi Bruxellis advenerunt sedecim
» vexilla Walonum bene armatorum, sub ductu Comitis
» Mansfeldii, Equitis aurei Velleris, et filii eius Caroli, Colo-
» nellum habentia Dominum de Beauvais : et die xxvii,
» omnes qui Civitati militaverant, iussi sunt arma deponere.
» Missa autem Bruxellas legatio est, veniam commissorum
» Civitati petitura; quam licet meruisse videretur eiectis
» generose rebellibus, non obtinuit; iussa est tamen simpliciter
» deditionem facere.

» XXI. Ipso autem die vesperi, exauctoratorum militum
» duo ebrii magnum excitaverunt tumultum : unus, dictus
» Parvus Ioannes, quia Walones, stationem in Foro habentes,
» nolebant permittere ut armatus transiret; alius, professione
» tubicen, quia tubam inflaverat per viam Cammeriam ad arma
» sonando; sed sedatus per Dominos quosdam tumultus, utro-
» que ebrio in carcerem coniecto, et uterque die xxviii eiusdem
» in Foro appensus ad patibulum est. »

« Tunc etiam Rubrae Virgae Praepositus, SPELLEKEN, quatuor
» vagabundos Walones a se captos in urbem induxit, propter
» iniurias rusticis illatas; quorum tres continuo suspensi sunt,
» pro quarto gratia impetrata. Denique sub horam undecimam
» meridianam, ingressa est Domina MARGARITA Parmensis,
» Caroli v filia et Regis Philippi soror naturalis, tamquam
» Belgii Gubernatrix, magno cum Nobilium Equitumque
» Velleris aurei comitatu; in quibus Dux Arschotanus, et

» Comites Egmontius, Mansfeldius ac Barlaimontius, cum » quatuor equestribus turmis, scilicet Comitum Arembergii, » et Barlaimontii, et Domini de Beauvois, ipsiusque Guber- » natricis, leviter armata capitibusque centum aestimata; nec » non cum eiusdem Ducissae satellitio, nigris vestito nigrisque » galeato ac plumato. Ab his deducta Domina versus ecclesiam » B. Mariae, descendit ad eius cornu boreale cum Dominis » supra nominatis, exspectata ibi ab universo Capitulo eiusque » Decano, Rogerio de Tassis; qui salutavit eamdem eleganti » ac brevi oratione adventum felicem gratulatus, deduxitque » cum nobili comitatu ad chorum maiorem. Ibi, ex composi- » tione Mag. Gerardi Turnhoutani, quem Capitulum et Civitas » Phonascum habebant, decantatus fuit hymnus Ambrosianus, » *Te Deum laudamus;* et hinc ad suum in S. Michaelis Abbatia » hospitium deducta Domina fuit. »

XXI. « Prima Maii, eadem Gubernatrix, in ecclesia S. Iacobi, » sub sacro solemni audivit concionantem Gallum quemdam » Minoritam, antea Calvini discipulum; qui cum suo more » ferventer et eloquenter, ut tota quadragesima fecerat, Luthe- » ranos et Calvinianos errores refutaret, non ferens id civis » quidam Armudensis ex Zelandia, evaginato palam gladio » minatus est concionatorem interficere; sed, inventus pridem » amentia laborare, declaratus est talis atque dimissus. » Simile quid in iisdem quae sequimur manuscriptis factum repe- ritur sequenti anno post obitum Ducissae, die viii Februarii, in ecclesia Minorum, a quodam identidem Armudensi, Marco Saligunto Burton, qui etiam clamaverat falsa esse omnia quae Concionator dicebat; estque verosimile unum eumdem- que fuisse qui non satis bene custoditus huc redierit, idem- que eodem successu patraverit. Ut ut est, is qui hoc apud Minoritas fecit, denuo ob eamdem causam adductus in iudi- cium, anno M.D.LXIX, sententiam tulit xv Novembris, secundum

quam expositus est spectandus in lineis et laqueo collum innixus sub patibulo, morte plectendus nisi eum amentia praesumpta excusasset.

« Die IV Maii, pro prima vice coepit sacrum viaticum prae-
» sonante nola publice per Civitatem deportari ad aegros;
» deductaque est venerabilis Eucharistia ab ecclesia Mariana
» ad viam Cammeriam, in domum Ioannis Broot. sub insigni
» Minoris Lagenae prope Albas Sorores. Eodem die, inflato
» cornu ex veteri more, publicatae sunt Nundinae Penteco-
» stales; et in aeternum iussi exulare ex omni dominio regio,
» sub interminatione patibuli, omnes sacrarum religionum
» apostatae et monachi excucullati, atque presbyteri fidem
» Catholicam execrati, iconoclastae ecclesiarumque exspoliato-
» res; item quicumque arma contra Regem sumpserunt, vel
» pro militibus contra eum auctorandis pecuniam contulerunt
» aut distribuerunt, sive munus aliquod militare gesserunt
» Austrewelae vel alibi. »

XXII. « Die V Maii, in diebus Rogationum (nos *Crucum*, DE
» KRUYSDAGEN, dicimus) nusquam Antverpiae cum crucibus more
» solito processum est, sed unaquaeque parochia cum sua
» cruce circa ecclesiam propriam processit : quod a Dominis
» Capitularibus sic ordinatum fuisse Magistratus aegrius tulit. »

Eius interim vel mutandi vel continuandi tempus aderat, imo praeterierat; siquidem ea facienda fuissent Dominica III post Pascha, celebratum XXX Martii. Continuatum Magistratum communiter dicunt Fasti, continuationis modum aut diem explicat nemo. Credibile est ipsammet Gubernatricem, dum adhuc Antverpiae praesens adesset (nec enim ante XVIII Iulii hinc discessit Bruxellas), adeoque sub idem hoc tempus, vel per litteras, vel per aliquem delegatum mandasse, ut (donec aliter ipsa statueret) pergerent iidem Civitatem regere. Itaque hic ponatur :

CONTINUATIO MAGISTRATUS.

Consules dicuntur. — Dominus Henricus van Berchem VI. — Dominus Iacobus vander Heyden II.

ARGUMENTUM.

I. Resumitur officium Canonicum. Plectuntur rei. II. Episcopus Cameracensis ecclesias reconciliat. III. Festum Corporis Christi solemnissime agitur. IV. Destruuntur haereticorum templa. V. Walones tumultuantur extra Civitatem. VI. Alii excurrunt ad S. Bernardi Abbatem haereticum audituri. VII-VIII. Designato arci struendae loco. redit Bruxellas Gubernatrix. IX. Resumuntur amburbalia. Abbas apostaticus fugit. X. Adveniens Albanus Stralium Exconsulem, Egmondanum Ducem, Comitemque Hornanum comprehendit. XI. Plectuntur haeretici. XII. Prohibetur civium consternatorum discessus et fuga. XIII. Loco destructi Calviniani templi crux erigitur. XIV. Exigitur ratio nummi in caminos exacti. XV. Designata arce versus Meridiem exstruenda, destruuntur nova istic moenia. XVI. Croneburgica turris subvertitur. XVII-XVIII. Petuntur quadraginta millia florenorum. XIX. Discedit Ducissa Parmensis.

ACTA POSTERIORA.

I. « Die x Maii, festo S. Iacobi in ecclesia Mariana primum » resumpta fuit horarum septem Canonicarum psalmodia, et » militia Walonica curavit ad honorem dicti Sancti solemnem » Missam in sacello seu choro Deiparae; eodem autem vespere, » huius Laudes ibidem resumptae sunt.

» Isto etiam die suspensi sunt in foro maiori cives tres, » qui alterius fores effregerant, eumdem occisuri; convicti » etiam Austrewelae in armis fuisse. Denique, eodem die, » Praepositus Rubrae Virgae, ante officinam Monetariam in » Arenaria, suspendi fecit tres milites Walones, qui Hobocae » in domo Gasparis Dozzii et alibi insolentissime se gesserant; » et plures, eadem de causa, sub patibulo fuerunt flagellati. » Die xii, condonata militiae Walonicae sunt nova Calviniano- » rum et Lutheranorum templa; et die xiv, factum eorum

» destruendorum initium per eosdem Walones omnem mate-
» riam sibi habere et vendere permissos. »

II. « Die xv, ante Pentecosten, tunc celebrandam xvii eius-
» dem, D. Maximilianus de Bergis, Cameracensis Episcopus,
» reconciliavit Ecclesiam S. Mariae, cum novo choro eiusque
» altari et altaribus circum chorum positis. Die autem xix,
» in festis Pentecostalibus, D. Martinus Cuperus, Carmelita,
» eius suffraganeus, cetera per ecclesiam altaria reconsecravit.
» Eodem die, nobiles asseclae Dominae Gubernatricis in mo-
» nasterio S. Michaelis instituerunt currere ad annulum; pro
» larva autem assumpserunt singuli praelongum nasum, et
» in tergo stramineum fascem. Circa idem tempus pependit
» edictum ad omnes angulos viarum et portas ecclesiarum,
» quod sicubi simul invenirentur garrientes, intra duas portas
» Civitatis, quatuor aut sex homines, liceret circuitoribus vico-
» rum supremam vestem iis auferre. Tunc etiam vicatim et
» per omnes domos est quaestio habita, quot ibi inquilini,
» quot hospites essent, quae arma haberentur, et utrum suae
» an alterius forent aedes quas singuli inhabitabant.

» Die xxii, tempore Bursae, per praeconem fuit venale pro-
» positum templum Lutheranorum, situm in angiportu ab
» ardeis DE REYGERS nominata ad forum equinum : ipsum
» autem emit Carolus Mansfeldii Comitis filius, pretio mille
» quingentorum florenorum; et dicebatur quod omnes om-
» nium Sectariorum pseudo-ecclesiae militibus Walonicis erant
» donatae pro laeto suo adventu; multa enim illis debebantur
» stipendia, et ideo cives erant iussi eis praebere domum,
» oleum, acetum, focum et lumen. Die xxiv, Dominus Cuperus,
» Suffraganeus publice in ecclesia B. Virginis sacrum Pres-
» byterii ordinem contulit sex Clericis Dioecesis Cameracensis;
» plures autem ex eadem Dioecesi huc advecti pariterque
» ordinati erant Religiosi ordinum variorum.

» Die xxv Dominica Trinitatis, non fuit circumducta amburbalis processio, quia sacrum Praeputium, in eo circumferendum, sub iconoclasmo ablatum fuerat: abstulisse autem in Angliam dicebatur Praedicans Hermannus. Die porro xxviii, ex parte Aulae, lecta et publicata fuit iterata ordinatio, signata xxiv Maii, contra quoscumque sectarios, falsorum dogmatum praedicatores, templorum expilatores, iconomachos et perduelles Regi; qua denuo iussi omnes sunt Regiis ditionibus excedere. »

III. « Die xxix Maii, festo Venerabilis Sacramenti, venit Domina in ecclesiam Marianam sacrum auditura, quod ipse cecinit Cameracensis Episcopus, assistentibus pro Diacono et Subdiacono Canonicis duobus. Post sacrum, ducta fuit generalis et devotissima processio cum Venerabili, quod gestabat praefatus Episcopus : sequebatur autem Ducissa, media inter nobiles duos, quorum unus erat Comes Egmondanus; tum omnes qui aderant Aurei Velleris Equites, Camerariique et Gynaeceum aulicum totum; deinde Clerus, Magistratus et Ambacta; omnes cum cereis ardentibus in manu : mandatum enim erat per Centuriones et Decuriones, ut unusquisque pro sua facultate haberet cereum ad id praeparatum, adeo ut numeratae fuerint plus quam quater mille faces. Omnes etiam viae et domus ornatae erant tam speciose quam ullus umquam Antverpiae meminerat se vidisse. Ad singulos autem pontes, vicos et angulos, qua transibat processio, dispositi erant Walones et cives cum suis Capitaneis, singuli ad aemulationem suis armis decori, qui bombardas et lanceas transeunti Venerabili submittebant.

» Die xxx Maii, iussit Praepositus Rubrae Virgae ante Monetam decapitari militem Walonem, qui civem quemdam cum uxore, cymba per Scaldim vectos, traiecerat. Hunc

» cum lictor, CONSYNKEN dictus, id est *Cognatulus*, ferire
» vellet, reus sub ictu tertium se inclinans, ipsum fefellit.
» Circumstantibus autem Walonibus in lictorem gladios
» stringentibus, intercesserunt eorum officiales : nec enim
» imputari poterat lictori, quod sic deceptus ictum non
» pertulisset.

» Et die XXXI exauctorata sunt quatuor civilia vexilla peditum, Civitatis nomine conscriptorum. »

IV. « Die IV Iunii, coeptum est destrui templum Calvinistarum, situm in prato Talpularum, DE MOLLEKENSBAEM, iuxta Hoplandicam viam prope moenia Civitatis, materiam omnem ementibus fabris lignariis et caementariis, pretio in usum Walonum militum conferendo. Sequenti autem die, promulgatum est ne quis praesumeret Civitate egredi ad popinas armatus; neque post campanae, quae furum dicitur, pulsum armatus prodiret sub noctem in publicum; sed domi suae se continerent omnes, qualiscumque demum tumultus foris audiretur. Die XV, coeptum est etiam destrui rotundum Walonicae nationis templum, antiquo more ad formam Romani Panthei, sive (ut illi credebant) templi Salomonici constructum. Ut istud suis usibus servaretur multum institerant laniones Burgerhoutani, suas ibi carnes inter Pascha et Pentecosten venum expositori, prout nunc faciunt in eo quod ante Praedicatorum ecclesiam est pecuario foro, DE VEEMERCT : sed noluit Aula acquiescere petitioni eorum, ne qua falsae istius synagogae memoria in Civitate relinqueretur. »

V. « Die XV, steterunt in aciem ordinata quatuor vexilla Walonum, ante monasterium S. Michaelis, dum ibi coram Gubernatrice concionabatur Episcopus Atrebatensis mane hora sexta : et die XVIII, quatuor alia eiusdem Nationis vexilla versus limites Brabantiae emissa sunt, quae cum

» extra portam Georgianam pervenissent, ad coenobium Vir-
» ginum ab aegris curandis TER SIEKEN nominatarum, locum
» gravissimis damnis affecerunt, omnia confringentes; eius
» quoque Parochum indignissime habuerunt, Sanctimoniali-
» bus quaquaversum diffugientibus; sacrilegi enim illi passim
» clamabant *Vivant Gheusii;* et quos ministri Virgae Rubrae
» captivos ibi collocarant custodiendos, vi liberarunt. Antver-
» piam autem quatuor eius Nationis vexilla, quae stationem
» Burgerholti habuerant, ingressa sunt. Die XIX, hora quarta
» (alii primam nocturnam scribunt), Comes Mansfeldius cum
» filio, et satellitio Ducissae, profectus est post eos, qui in
» praefato coenobio tam insolenter egerant, si quos forte
» attingere possent, vinctosque reducere : quorum duo depre-
» hensi, et ante officinam Monetariam suspensi sunt, die XXIII,
» cum pridie cives duo, qui Austrewelae et Vianae nomen
» in militiam rebellem dederant, in foro fuissent suspensi. »

VI. « Die XXII Iunii, comparuit in ecclesia B. Virginis
» Ducissa ante Chorum maiorem, magno cum apparatu et
» comitatu; ubi coram ea in media navi gallice concionatus
» fuit Episcopus Atrebatensis, D. Franciscus Richardotus;
» et Cameracensis Archiepiscopus dicentem audivit, atque
» Evangelii librum Ducissae sub Missa osculandum attulit ac
» deinde Pacem.

» Die XXVII, venit in Capitulum Canonicorum iam saepe
» nominatus D. Maximilianus de Bergis cum Episcopo Atreba-
» tensi et Decano S. Gudulae Bruxellensis, exhibens commis-
» sionem sibi datam, tamquam Capituli illius supremo Capiti,
» ad ipsum visitandum ac reformandum secundum decreta
» Concilii Tridentini. Die XXVIII, circa octavam vespertinam
» grandis in nova Civitate tumultus excitatus est a nautis
» atque braxatorum ministris propter locumtenentem cuius-
» dam vexilli Walonici, qui civibus istic facessebat magnas

» molestias : quapropter Carolus Mansfeldius iussit Walones » arma capere, et sic tumultus repressus fuit.

» Die II Iulii, festo visitantis Elizabetham Virginis, mane » ingens multitudo curribus pluribus quadraginta et navigiis » vecta est ad monasterium S. Bernardi, ubi Abbas loci, » D. Thomas van Thielt, secundum doctrinam Confessionis » Augustanae dicebatur concionaturus; per viam autem cane- » bantur psalmi, teutonice versi. »

VII. « Die v, deputati ab Aula dimensi sunt, prope S. Michae- » lis, locum construendae arcis ad Civitatem contra malevolos » melius defendendam. Die XII, ex podio publicatum est ab Aula » mandatum, ut postera Dominica (nam Sabbatum tunc erat) » institueretur processio generalis cum Venerabili Sacramento, » quo Deus prosperum iter largiretur Philippo Regi, ex » Hispania in Belgium traiecturo: interimque ex eius ditio- » nibus abscederent omnes qui contra Suam Maiestatem arma » tulerant. »

VIII. « Die XVIII, Gubernatrix Bruxellas reversa est, cum » omni suo comitatu navibus ordinariis vecta, prosequente » illam multa bombardarum maiorum minorumque explo- » sione. Die XXX, in Foro suspensus est Leodiensis quidam » faber ferrarius, idemque musicus, convictus multis per » Brabantiam ecclesiis spoliandis operam dedisse, et iuvenem » unum in suae domus cavea occidisse. Eodem die, edictum » ante Curiam pependit, quo cessatura dicebantur mandata » omnia, quae Gubernatrix ab exitu Maii iusserat publicari, » usque in adventum Regis; et die ultima mensis, procla- « matione simili iussi sunt redire quicumque solius sectae » suae causa exulabant, promissa usque ad Regis adventum » indemnitate. Verum rumor tunc valde vehemens erat, ven- » turum Albanum Ducem, cum decem aut duodecim millibus » Hispanorum, ad Belgium pristinae tranquillitati restituendum.

» Huc etiam spectavit, quod naves mercatoriae non paucae, » quae iam onustae ad abitum stabant, debuerint quasi ad » Regis venturi obsequium exonerari; et earum quatuor, » perquam bene instructae, xii die Augusti, in Zelandiam » solverunt, istic illum exspectaturae. »

IX. « Die xiii Augusti, restituta in chorum est Deiparae » statua proximis amburbalibus circumferenda; et die sequenti, » Antverpia versus limites Belgii excesserunt x vexilla Walo- » num, numero circiter bis mille, qui, per menses quatuor » hic commorati, admodum graves civibus fuerant, horum » pluribus quam centum confossis aut traiectis. Die autem » eodem, sub meridiem, ingressa sunt quae Burgerholti » praestolabantur duodecim vexilla Italorum; Germanorum » vero circiter ter mille ducenti, quibus simul omnibus » praeerat Italicus Colonellus Comes de Lodron; iidem vero » coeperunt ipso die vinum Rhenanum in Foro et alibi vendere » ad tres asses in poculum. xvii die, processerunt, solemnia » amburbalia, tam apparata quam umquam, Germanis mili- » tibus, a primo mane usque ad ingressum supplicationis in » aedem Marianam, ordinatissime digestis per Forum, et » in Arenaria ante Monetam.

» Die xviii, Dominus Thomas van Thielt, Abbas S. Bernardi, » palam professus apostasiam, Presbyteratui et Abbatiae re- » nuntiavit, auferens ex ea xl millia florenorum; et cum » Hollandica femina Doesburgum in regione Clivensi profectus » est, ubi vi Septembris ipsam palam uxorem duxit, et per- » rexit haereticam doctrinam praedicare. Causa fugae erat » quod Rex Ducissae Parmensi mandaverat, ut ipsum appre- » hendendum et Bruxellas deducendum curaret : quia libello » supplici contra avitam Religionem subscripserat, et prava » dogmata proseminarat. »

X. « Die xxii, Bruxellas ex Hispania advenit Dux Albanus

» Carthagena Genuam devectus cum classe Ioan. Porea xxxii » triremium, quibus vehebantur octo millia dcc.lxxxix pedites, » equites m.cc. Ex his Genuae lustratis assumpsit secumque » Bruxellas deduxit equites Hispanos quadringentos in decem » vexilla partitos; tantumque sui terrorem attulit, ut plus quam » centum Belgarum millia dicantur alio migrasse, ablatis, quae » poterant avehere, bonis mercibusque: statimque ad Aulam » se contulit, salutaturus Ducissam Parmensem, quae ipsum » excepit in conclavi suo, coram Duce Arschotano et Comite » Mansfeldio aliisque Nobilibus; audivit autem eum dicentem, » missum se ab eius fratre, Rege Philippo, totius Belgii Guber- » natorem. xxiv, Antverpiae inflato cornu promulgatae sunt » liberae Nundinae, exesse tamen iussis qui contra Regem » arma gesserant etc. uti factum erat praeterita Pentecoste. » Eodemque mense ex Hispania allatum est corpus Mar- » chionis Bergensis, cui ex ardente (ut dicebatur) febre » exstincto, et die i Septembris Bergis ad Zomam sepulto, » factae sunt hic Antverpiae solemnissimae exequiae, coram » Ducibus Albano et Egmontio. viii eiusdem Septembris, » Commissarii ab Aula delegati Bruxellis ad monasterium » S. Bernardi venerunt, alium pro apostata profugo Abbatem » constituturi.

» Die ix, Dominum Antonium van Stralen, dum curru suo » veheretur Bruxellas, quo fuerat ab Aula evocatus, stitit » Comes de Lodron prope Luthagas ad sacellum veteris » (ut appellant) Dei, vexillis Germanorum duodecim stipatus, » et captivum Lyram deduxit, magna cum admiratione populi » et commotione, eo quod omnibus percarus esset Dominus » iste. Comes autem ipse misit Merxemium milites occupaturos » domum captivi; qui magnum ei damnum intulerunt; simili- » que modo occupata est domus quam habebat Antverpiae via » Kipdorpia, iuxta viam tunc a Rosa nuncupatam, » quae

domus spectabili valde turri instructa, aetate nostra conversa est in Convictum alumnorum Societatis Iesu. »

XI. « Die XIII, sex Anabaptistae, ex iis qui in via ab insigni » Nolulae dicta HET SCHELLEKEN, fuerant a Marcgravio depre- » hensi ad praedicationem convenisse die X Augusti, et ceteris » aufugientibus capti (quorum unus erat ipsorum Praedicans) » in maiori Foro strangulati atque combusti sunt; primi post » mutatum decretum, quo tales iubebantur non amplius » Scaldi palam mergi, sed in carcere clam exuri. Nam, quamvis » propenderet Rex ut cum Sectariis dissimularetur, maxime » iis qui serio converti videbantur, intellecto tamen quantum » multiplicaretur eorum numerus, voluit terrorem illis incuti » manifesto quorumdam supplicio, et evanuit sperata pro » ipsis gratia. »

XII. « XVIII Septembris, Cancellarius Brabantiae cum Procu- » ratore Generali venit, et Regis nomine mandatum publicavit, » quo cavetur ne quis propter praeteritos tumultus ex pro- » vincia vel Civitate discedat cum familia et bonis, alioque » negotia sua quaecumque transferat, nisi velit criminis ali- » cuius sibi conscius haberi, et ut talis rerum suarum confi- » scatione puniri. Procerum enim praefatorum captivitas mul- » torum animos consternaverat, et periculum erat desolandae » Civitatis. Propterea opificibus et plebeiis, per ignorantiam » et simplicitatem inductis in errorem, promittebatur impuni- » tas, modo posthac bonos Catholicos et Regi fideles se pro- » barent; si cui autem omnino certum esset, aut necessarium, » se suaque alio transferre, is nomen suum daret Magistratui : » in Civitate quidem intra mensem unum, in agro intra sex » hebdomadas ante suum discessum; obtenta autem disce- » dendi licentia, eam exhiberent per viam statutis ad invigilan- » dum ministris, per se vel per aurigas nautasve, quos adhi- » bere vellent, in rerum suarumque personarumque transvectione;

» contra autem facientibus his illisve, eadem quae fugitivis » poena esset, confiscationis vehiculorum navigiorumque. » Commendabatur etiam omnibus inspectoribus cognitori- » busque, ad portas portusque et transitus viarum dispositis, » absque ulla dissimulatíone commissum sibi munus exsequi; » teloniorum vero et vectigalium praefectis, nequaquam per- » mittere, ut navis vel currus onustus transeat, qui non » accurate excutiatur, et licentiae praefatae exhibeat testimo- » nium, simulque declaret quid et quo vehat.

» Die XXIX Septembris, devotissime ducta est generalis pro- » cessio, iam olim instituta pro impetrata tunc cessatione leti- » feri sudoris; quae processio superiori anno fuerat intermissa. »

XIII. « Die IV Octobris, Germani milites in prato Talpularum, » ubi Calvinistarum ecclesia steterat, erexerunt praecelsam » crucem, rubro colore tinctam, cum titulo Pilati tribusque » clavis, in opprobrium perpetuum illius sectae inimicae » Christi crucis. Die XV, datum est initium designandae et » fodiendae arci quae extra Croneburgicam portam construe- » retur per Saphirum Vitellium, Albani Ducis primum Capi- » taneum, idque coram Marcgravio atque Ammano, multis- » que Scabinis ac civibus, mirantibus amplitudinem loci ea » metatione comprehensi, et considerantibus magnitudinem » damni hortorum molarumque ibi frequentium, tali causa » amittendorum ab hominibus, alium saepe nullum fundum, » nec quaerendi victus spem habentibus. »

XIV. « Eodem tempore venit ab Aula mandatum, ut quicum- » que ab anno M.D.LV. collegerant nummos caminis indictos » (pendendus autem erat in singulos, quos quisque domi suae » haberet quamvis solum ad fornaces, unus nummus Caesa- » reus), rationem redderent accepti redditique, corrigendo » defectus eatenus commissos a reliquatariis; qui defectus » alias exigerentur a Vicomagistris. »

XV. « Die xxiv, venit Dux Albanus Antverpiam, cum equi-
» tibus quadringentis, caeruleas vestes vexillaque habentibus;
» et Comes de Lodron obviam processit cum duodecim vexillis
» peditum, deduxitque ad monasterium S. Michaelis, hospitio
» eius designatum. Postridie autem cum Marcgravio et Am-
» mano equitavit ad Kilam, ut designationem novae arcis
» lustraret. Die xxvi, cum eodem comitatu, societate et Co-
» mite Megano, audivit Sacrum in aede D. Virginis; et sequenti
» die datum est fossionis initium signatum hoc chronico :

IN VIGILIA sIMONIs ET IVDAE.

Auctor Deliciarum Belgii, pag. 125, Architectum operis nominat Paciottum Urbinatem, eique socium adiungit Colonellum Cerbellonem, qui praeesset fossoribus etiam ab exercitu emptis; ambitum autem moenium superne extendit ad bis mille quingentos passus. Ichnographiam vide apud Scribanium.

« Die v Novembris, mandavit Dux Albanus initium fieri
» destruendorum moenium et propugnaculorum Civitatis a
» porta Croneburgica usque ad reliquias veteris portae Geor-
» gianae, pro suggestu tormentario futuras; quorum moe-
» nium delineationem credo haud iniucundam visu futuram,
» acceptam ex grandi tabula anni M.D.LXV; licet non omnia
» forte adducta fuerint ad eam perfectionem quam Architectus
» designaverat; sicut nec tota lateris meridionalis moenia
» omnem, qui conceptus fuerat, ornatum acceperunt, mutatis
» subinde consiliis quoad eiusmodi accidentia. Eadem de causa
» aequari solo debuerunt nonnulla molendina, domus, horti,
» praedia, circa saxeam viam Kilanam, sita in loco aut prope
» locum designati castri, licet quereretur Communitas ita
» agi inconsulto Pleno Consilio, vel eo quod diebus Lunae
» congregatur. Die viii, convenit Duci cum Magistratu de om-
» nibus circa Civitatem pagis, pro cuiusque facultate taxandis

» in quotidianam contributionem ad stipendia militum, ab » ipsis pagis, ubi valde damnosi erant, in Civitatem traducen- » dorum; quam contributionem praestarent Domini proprie- » tarii fundorum. »

XVI. « Die xii, destrui coepit firmissima illa Croneburgica » turris, quae, ibi in marcam S. R. Imperii erecta, dicebatur » stetisse annis cccc.xxii, prout patere credebatur ex notatis » in ea litteris chronicis. Simul etiam destrui debebat circum- » ductum ipsi turri munimentum, cum adiuncta eidem aqua- » tica mola; et die xvi, eaque Dominica, ex turri praefata » demissa est grandis ex ferro inaurato corona superne clausa : » qui autem eam deposuit, cum eadem demissus est : erat » enim tam grandis ut duos homines sedentes caperet, habens » quinque ulnas in peripheria.

» Dicitur illa multis postea annis inter amburbales machinas » asservata fuisse, tandemque ad alios usus dissoluta ex » mandato hominum incuriosorum, ne hoc quidem sollici- » torum, ut scripto exciperent et memoriae traderent epigra- » phen inscriptam, testem futuram posteris tam venerandae » antiquitatis, vel saltem traditionis maiorum de ea. »

» Die xviii, mane hora nona, Officiales Comitis de Lodron, » adductis militibus quadringentis, circumdederunt Curiam, » sic ut nemo intrare aut egredi posset; ipsi vero ascendentes » ad Cameram Senatoriam, Magistratum captivum tenuerunt, » quia nolebat consentire in stipendium unius aurei, quot- » mensibus singulis militibus dandi, sicut antea dabatur Walo- » nibus Civitati auctoratis. Deinde iidem Officiales et Capitanei » procurrerunt ad aedes D. Henrici de Berchem, Consulis » foranei, Domini Rockox, et Ioannis de Pape, supremi » hospitiorum metatoris, rapientes inde praetensa stipendia, » non sine magna consternatione civium; qui cum undique » circa meridiem congregarentur ad Curiam et Magistratum

» liberandum, discesserunt inde milites, et liberum Senatum
» dimiserunt, »

XVII. « Die xx, Dux Albanus iussit in novo castro patibulum
» erigi cum suggestu, atque in hoc constitui fossores duos,
» qui mutuo sibi abstulerant ligones; et sequenti, ad sonum
» tympani sub poena suspendii vetitum est, noctu destruere
» horrea ulla vel domos, pro lignis ad focum inde ferendis.
» xiv, congregatum Consilium Plenum fuit, cui Senatus pro-
» posuit petitionem Ducis, pro constructione novi castri
» exigentis quatercentena millia florenorum, per decennium
» quotannis conferenda, conficiendaque ex quinto nummo
» domibus imposito, et a proprietariis solvendo; sic ut quaeque
» domus ad centum florenos elocabilis, penderet florenos
» decem, decimum autem locatarius, et ita ceterae res immo-
» biles cum proportione. Propositum etiam est ut in volatilia
» atque huius generis alia, puta capones, lepores, perdrices,
» ficedulas, dimidius assis penderetur per singula capita, et
» unus in singula pocula vini minoris *(sic dicti, credo, distin-
» ctionis causa, ut maius intelligatur crematum)*. Quinque autem
» stuferi solvendi a caupone in singula vasa eius cerevisiae,
» cuius vas sive tinna non excederet pretium octo schellingo-
» rum; atque in singula pondo carnis bubulae vel ovillae
» dimidius quadrans; quod porro ad opus consummandum
» deesset, suppleret Rex; super quibus deliberandis tempus
» Consilium petiit. »

XVIII. « Die xxvii, Consilium, ad petitionem sibi propositam
» responsurum, convenit consensitque ex bonis omnibus vel
» reditibus immobilibus decimum nummum; vigesimum au-
» tem ex domibus elocatis aut elocandis penderet locatarius,
» siquidem elocationis pretium staret infra centum florenos;
» qui vero habitabat in domo, centum aut pluribus florenis
» conducta, solveret nummum vigesimum, aeque ac Dominus,

» qui etiam solveret florenum unum annue pro singulis cen-
» tenis quibus unaquaeque domus aestimaretur, si venumda-
» retur; hac tamen conditione, ut onus istud liceret redimere
» intra primum quidem annum ad rationem nummi decimi
» sexti, intra secundum, decimi octavi, et vigesimi quarti
» intra tertium; quod ultra differretur, haberet rationem per-
» petui et in aeternum irredimibilis census. In volatilia singula
» praetaxata stuferus unus definiebatur, octantes vero novem
» in libram carnis ovillae aut bovinae, idque ad unum dum-
» taxat annum; similiter consensum est in praedictum grava-
» men vinorum ac cerevisiarum. Insuper oportuit ut cives,
» qui nullos domi suae praesidiarios habebant, hebdoma-
» datim penderent quatuor, sex aut etiam decem stuferos,
» pro sua quisque facultate; qui vero eos habebant, iis tota
» hieme praeberent focum et lumen. Quibus ita ut Dux voluit
» constitutis, ipse navigio ad Ducissam Parmensem abiit, die
» XXIX Novembris. »

XIX. « IV Decembris, suppositus est ignis machinis Crone-
» burgicam turrim operose suffossam sustinentibus. Eodemque
» die, Hugo quidam, Minister veteris Balistae, ipse balistarum
» faber, memorabile edidit artis suae specimen, plus quam
» centies ex horto Guldae suae attingens scopum in pomoerio
» positum et nulla ratione sibi conspicuum; aciem semper
» intendens in folium unum cuiusdam tiliae supra moenia
» interiecta positae; eoque ad omnium stuporem facto grandia
» praemia retulit.

» XXX Decembris, Ducissa Parmensis discessit Bruxellis,
» lento tamen itinere, cum singularis amoris testificatione,
» magna quaqua transiit accepta laetitia; nec ante Februarium
» Belgii fines egressa; huius vero regimen tenere perrexit
» Albanus.

A. C. M.D.LXVIII.

ARGUMENTUM.

I. Consilium quod Sanguinis dicebant, Bruxellis institutum. Rei quidam puniti. II. Citati ad dicendam causam multi Proceres; haeretici capti plures exulare iussi. III. Auriaci filius Lovanio in Hispaniam abductus. IV. Rebelles multi extremo supplicio affecti. V. Processio propter detectam conspirationem. VI. Nova onera imposita. VII. Haeretici varii capti et capite plexi. VIII. In arce prima Missa dicitur et praesidium constituitur.

ACTA PRIORA.

I. Paulo post abitum Ducissae, Dux Albanus novum instituit Bruxellis Senatum, contra eos qui vel arma adversus Regem gesserant, vel praedicationes haereticorum frequentando mandata contempserant: quem Senatum vulgo *Consilium Sanguinis* (den bloetraet) appellabant; « et die viii Ianuarii, illius man-
» dato quidam Hispanus Capitaneus sclopis ibidem traiectus
» publice fuit, quia convictus proditionem molitus esse contra
» Ducissam, et cum Hispanis nonnullis transfugium in Fran-
» ciam tentare, Principi Condaeo pro Calvinistis militaturus,
» ex octodecim vel viginti eiusdem nationis militibus depre-
» hensis, ex gratia singulari vita donatis, duo, ceterorum
» concitatores, fuerunt ad triremes damnati. Antverpiae vero
» poena leviori castigati sunt Germani circiter ducenti, qui
» Burgundicas rubri coloris cruces sagulorum suorum tergis
» detraxerant, quia negabant se eius velle gestare insignia,
» cuius non percipiebant stipendia; sed ingurgitaturos se
» dicebant eodem iure, quo ipsorum Capitanei debitam mili-
» tibus mercedem pergraecando consumebant; coacti autem

» sunt sagulorum pretia dupliciter ex suo menstruo persol» vere, et cruces suo impendio resuere. »

II. « Die xx Ianuarii, Bruxellis ad omnes viarum angulos » cum clangore tubarum, nomine Regis atque Ducis Albani, » intra sex hebdomadas iudicio se sistere omnes iussi sunt, » qui contra Maiestatem Suam arma sumpserant, sub poena » capitis atque bonorum; in quibus nominabantur praecipui » quidam Belgii Proceres et Velleris Aurei Equites : videlicet » Princeps Auriacus, Comites Hornanus, Hoogstratanus et » Egmondanus, Marchio Berghensis et alii tres, quorum » nominibus parcitur; item Domicelli plures, Vasalli Regis, » ac nominatim Henricus Brederodius, Comes Ludovicus, frater » Principis Nassavii, D. Toparcha Culenburgicus, et Comes » Berghensis; nec non Capitaneus Limellus, dux eius militiae » quae vulpinas caudas pro tessera sumpserant. Eodem die, » Antverpiae coepta sunt fodi moenia nova, a porta Caesarea » usque ad arcem ducenda; fundusque, quem vetera destructa » occuparant, dicebatur condonandus eorum agrorum posses» soribus, quorum loco arx exstrueretur, sed eos vana spes » fefellit. »

« Die v Februarii, Domini Ioannes de Grave et saepe iam » dictus SPELLEKEN, tamquam Drossardi Rubrae Virgae, noctu » de lectis suis abduxerunt octo cives, atque in vico dicto » Arena, HET ZANT, in hospitio Angeli captivos constituerunt, » Bruxellas vehendos. Item, diei sequentis nocte, similiter » Walones aliquot, Calvinistas et reos iconoclasmi, eductos » ex xenodochiis coniunxerunt prioribus. Hoc facto commotus » Magistratus, legavit Bruxellas qui Albano factum Drossar» dorum exponerent; mandatumque ab eo retulerunt, ut » Drossardi ipsos captivos ducerent in communem carcerem, » secundum leges Civitatis diiudicandos. Die x, Consules Pleno » communitatis Consilio proposuerunt exigendum ex domuum

» singularum pretio nummum quintum et decimum quando » elocarentur; postulatumque est tempus deliberandi; quo » concesso, postridie datus consensus est, sed secundum » veterem domuum singularum aestimationem. »

III. « Die xvi, adductus Lovanio ex studiis Antverpiam est » iunior Princeps Auriacus, Comes Buranus, quindecim aut » sedecim annos natus, in Hispaniam ducendus; interimque » custodiae Comitis de Lodron traditus, a quo vitam impetra- » vit nonnullis Germanis peditibus, ad furcam damnatis. Ave- » ctus vero hinc cum nobili comitatu est ii Martii.

» Die xxi, publico praeconio iussi sunt se Antverpiae intra » tres hebdomadas sistere, sub poena capitis et bonorum, » utriusque sexus personae omnino quinquaginta duae, » quarum nomina et cognomina accurate et concorditer recensent Mss. Snyderi et Valkenissii, quos inter octavus utrique est Tornacensis quidam, Lucas Hailly, cum sua uxore Anna Cocqueel; deque illo additur quod anno M.D.LXXV, die xxi Aprilis, in ponte Merano capite plexus fuerit, et in partes quatuor, ad Civitatis portas exponendus, dissectus; quod profecto crimen illius haud vulgare arguit, antiquum vel novum.

IV. « Die xxiii Februarii, novo plumbo contecta fuit antiqua » turris Rubea, pulvere tormentario et frumento Civitatis » plena; cumque ea per plumbatoris incuriam ignem conce- » pisset, cito et feliciter exstincta est flamma, utpote clara » luce animadversa.

» Kalendis Martii proclamati sunt, et ad se purgandos iussi » redire Antverpiam, intra tres hebdomadas, xi cives cum suis » uxoribus, et alii absque iis viginti tres (quorum omnium » nomina et cognomina habentur), accusati sese iunxisse rebel- » libus in ponte Merano. Postridie autem prima Bacchanalium, » Rubrae Virgae Drossardus, cum Praetore Antverpiensi,

» noctu ingressus viginti aut triginta domos civium, quos
» constabat complices fuisse in ecclesiarum expilatione; viri
» cum uxoribus e lecto ad carcerem rapti sunt; idque etiam
» in aliis civitatibus factum est. Ex iis autem tam Antver-
» piae quam alibi extremo supplicio affecti sunt multi, prae-
» sertim qui, Gheusiorum factioni addicti, pecuniam operamque
» ad haereticorum templa exigenda contulerant, vel tumul-
» tuantium duces fuerant, aut aliquid muneris inter illos
» gesserant.

» Die v eiusdem mensis, iidem Domini noctu circumierunt
» requirentes alios quosdam rebelles Sectarios; quorum nemi-
» nem domi suae invenientes, eorumdem aedes, tam intra
» quam extra Civitatem, militibus impositis custodiendas com-
» miserunt. »

V. « xiv die, Magistratus et Capitulum indixerunt pro se-
» quenti die generalem processionem cum Venerabili, in
» gratiarum actionem quod tali die praecedenti anno mise-
» ricors Deus Civitatem liberasset a conspiratis ad Merae
» pontem Calvinistis, et iuratis omnem Ecclesiasticum ordinem
» eliminare. Ipso autem supplicationis die xv, comparuit super
» doxali basilicae Marianae crucifixus novus, priori specio-
» sior; et die xvii, in Foro maiori tres Anabaptistae vivi com-
» busti sunt, pater scilicet cum utroque filio.

» Denique xxi, iterum triginta cives citati in iudicium sunt;
» Burgerholti autem deprehensi et capti atque in Civitatem
» adducti septemdecim, istic simul congregati, quorum multi
» Walones Tornacenses erant. »

VI. « Circa idem tempus nova quaedam gravamina imposita
» civibus fuerunt; ac primum, ut pro ea cerevisia quam cives
» ad proprios usus in Martio coqui faciebant, appellabantque
» Martiam, dimidiam dumtaxat accisiam pro ea solventes,
» penderent duos stuferos amplius; et sic pro alia quavis

» cerevisia, cum proportione ad cuiusque pretium, tam intra » quam extra Civitatem, stuferos duos; itaque pro cerevisia » octo assium, in singulas tinnas pendebantur stuferi decem. » Carnium quoque, tam internis quam externis lanionibus, » aucta accisia est, iussique sunt pendere pro quovis bove » stuferos XLII, pro vacca XXXII, pro vitulo V, pro porco XII, » pro vervece VI, pro agno III, pro capone dimidium stuferum, » pro lepore unum; similiter actum circa omne genus fru- » menti, praeterquam secale; unde negotiatio Antverpiae, » praesertim circa victualia, vehementer elanguit.

» XV Aprilis, uterque Drossardus Virgae Rubrae, SPELLEKEN » et Ioannes de Grave, Antverpiam venerunt per omnia diver- » soria et cauponas, quaesituri Capitaneos aliquos, qui hic » dicebantur clam militem scribere contra Regiam Maiestatem: » et die postero, pulsatis tympanis proclamatum est quod qui » Regi servire vellent, lautum stipendium accepturi essent. »

VII. « Die XX, praesumpserunt Sectarii supra Scaldim con- » cionari, in duabus navibus grandioribus, ad littus Flandri- » cum ex adverso Austrewelae constitutis. Quapropter eo ex » parte Civitatis directa fuit navalis custodia. Die autem XXVI, » ex lignaria Civitatis apotheca (DEN HOUTEN EEKHOF) Comes » de Lodron educi in novam arcem iussit multam munitionem » militarem, ultra bombardas quinquaginta, tam ferreas quam » aeneas, globorumque saxeorum et ferreorum, nec minus » pulveris tormentarii copiam magnam; a quo etiam, die XXVIII, » deductum est in arcem quidquid talium rerum adhuc in » Curia servabatur.

» Interim, die XXVII, suspensus fuerat in Foro maiori quidam » equiso, seu stabuli curator, qui Civitati militaverat, sed, » deserta legione sua, Austrewelam transfugerat ad Sectarios; » ubi, in conflictu supra memorato, a Regiis acceperat viginti » octo vulnera, et pro mortuo spoliatus ac relictus; resumpto

» paulatim spiritu, subduxerat sese ex campo ad Sectarios in » Merae ponte collectos, apud quos vulnera sua ipsemet » curaverat, solo sale et linteis puris, verba quaedam super » illa pronuntians (sicuti pro tribunali confessus est, cum » suam sibi legi sententiam audiret), nulla prorsus alia cuius- » quam olei, unguenti aut herbae medicina adhibita.

» xxviii, ipsemet Comes de Lodron civem quemdam compre- » hendit, et duci ad novam arcem in carcerem iussit ibique » torqueri. Eodem etiam die, edictum est ne quis alicuius » alterius stipendia quam Albani Gubernatoris mereret; neve » rumores vagos, quos quisque sibi pro genio fingebat, divul- » garet per Civitatem. »

VIII. « Denique, die xxix Aprilis, Hispanus Sacerdos, ex » ordine S. Dominici, primam in novo castro Missam cecinit.

» Mense Maio ineunte, die ii, in idem castrum inducta sunt » duo vexilla Germanorum, praesidio deinceps futurorum, qui- » bus oportuit a veteramentariis lectos, linteamina et stragula » praeberi. Die vero xviii, rursus plures tam viri quam feminae » proclamatione publica citati nominatim fuerunt ad sui ex- » purgationem; eodemque mense proscripti ex omnibus Regis » ditionibus sunt Princeps Auriacus cum Comite Hogstra- » tano, pluribusque Proceribus aliis. »

RENOVATIO MAGISTRATUS.

xxx maii, *per Ducem Albanum, post Pascha celebratum* xviii *Aprilis.*

Diem notant fasti Mss., non item modum, neque Commissarios per quos facta sit. Valkenissii historia nos docet, ipsum Ducem Albanum, tunc Antverpiae praesentem, eam renovationem fecisse : qui autem sic nominati sunt Consules, optimae, haud dubium, notae in causa Religionis fuerunt, uti et Scabini,

quorum septimus electus est ad Consulatum internum; ut saltem Consulum designatio more antiquo facta videatur.

Consules. — Dom. Ioannes de Schoonhoven IV. — vii. Dom. Henricus van Etten.

Scabini. — Dom. Lancelottus van Ursele. — Dom. Ioan. vande Werve. — Dom. Iacobus vander Heyden. — Dom. Ioannes Wolsaert. — M. Iacobus Houtappel. † — Martinus van Ranst. — Gerardus des Pommeraux. — M. Gislenus dele Cigny. — Ioannes vander Meeren. — Wilhelmus Schoyte, — M. Antonius van Mansdale. — M. Adrianus van Heylewegen. M. Petrus van Lyere. — M. Ioannes Bax. — M. Franciscus vander Willigen. — Ioannes van Woensele. — Aegidius van Martzelaer.

ARGUMENTUM.

I. Captivi Proceres decollantur. II. Antverpiae ex levi causa turbatur nonnihil; puniuntur studiosi; expiatur coemeterium B. M. III. Gheusii in Frisia vincuntur. IV. Punitur qui processionem turbarat. V. Mira annonae vilitas. Inquisitio in religionem Ludimagistrorum. VI. Rixae contra et inter milites arcis. VII. Vilvordiae decapitantur Exconsul Stralen et Secretarius Auriaci. Prior Corsendonckanus suffocatus Antverpiae invenitur. VIII. Auriacus irrumpit in Brabantiam et recedit in Galliam. IX. Frigidissima hiems. Angli in domo sua Antverpiae arrestantur, eorumque bona describuntur, ob favorem haereticis Belgis a Regina impensum. X-XII. Ingens hoc tempore numerus incolarum et navium atque negotiationis abundantia.

ACTA POSTERIORA.

I. « Mensis Iunius triste Bruxellis spectaculum dedit, cae-
» sis in Sabulone, primo eius die, Nobilibus viris novemdecim,
» titulo perduellionis a Duce damnatis; quos, die iv, secuti
» sunt Dux Egmondanus et Hornanus Comes. »

II. « Nec Antverpiae quieta fuerunt omnia; nam praeter-
» quam quod Anabaptistae duo, sua in haeresi pertinaces,

» vivi in Foro exusti sunt; haud levis etiam perturbatio orta » ex eo est die v, quod Comes de Lodron suspendi iussisset tres » praecipuorum civium filios, eo quod pridie vesperi, portis » clausis, transcenderant novum et imperfectum ad portam » Begginarum vallum, vigilibus id permittentibus. Cum enim » iam ducerentur ad locum supplicii, tantus subito tumultus » exortus est, ut continuo officinae omnes clauderentur, quasi » seditionem spectarent omnia. Sed interventu potiorum mer- » catorum Nationumque, apud Comitem intercedentium, res » composita est, iuvenesque parentibus restituti; unus tamen » eorum, tam praesenti mortis periculo consternatus, ipso die » domi suae obiit.

» Nihilo minor conturbatio fuit die ix; cum enim custodia » Germanica supra Scaldim excubaret, ex ea quidam impru- » denter laxavit sclopum suum in cymbam, multos vectores » transmittentem ex Flandria, et quemdam in eadem Scotum » occidit; unde. consternatis ceteris, atque in unum cymbae » latus declinantibus, eversa ea est : quo tumultu excitati » omnes qui in castro erant Germani, ad arma surrexerunt; » sed intellecto fortuitum eum esse casum, pacati quieverunt. »

« Die xviii, de mandato Aulae plures centum viri ac » feminae, causa haeresis fugitivi, citati ad purgationem » publica proclamatione sunt, sub poena capitis atque bono- » rum. Die autem xxv, in Foro suspensi sunt quatuor panni- » tonsores, convicti in ponte Merano fuisse comminati mortem » Auriaco Principi, directis in eius pectus sclopis, cum eo » venisset tumultum compositurus, ut supra dictum. Eodem » die, Antverpiam venit Dux Albanus cum trecentis equitibus; » eique omnes civium Capitanei obviam exiverunt; qui deinde » ultima Iunii hinc discessit Silvamducis.

» Die xv Iulii, expiavit Dominus Martinus Cuperus, Camera- » censis Suffraganeus, coemeterium ecclesiae Marianae, figens

» ibi quinque ligneas cruces; ac deinde cum Magistratu » magnoque Catholicorum civium numero, audivit concio- » nantem eodem loco Protoparochum D. Sebastianum. »

III. « Die xx, advenit nuntius, quod Dux Albanus Calvinistas » expulerat e tota Frisia; quapropter maior campana pulsata » aliquoties fuit, et in primario choro sacrum factum solemne » in gratiarum actionem. Hanc gratulationem postridie auxit » nuntius de duobus circiter millibus eorumdem Calvinistarum » Dammo Embdam fugientium, per Hispanos non plures » quam quingentos caesis. Cumque in die S. Mariae Mag- » dalenae, ad Groeningam quoque tam feliciter pugnatum » esset ut, caesis Gheusiorum millibus septem, ex Hispanis vix » viginti nec nisi Capitaneus unus fuerit desideratus, man- » datum est ut, die III Augusti mane, clausis officinis, cessa- » retur ab opere propter indictam ea causa generalem » processionem. In hac venerabile Sacramentum ferente » Decano, praelatae faces innumerae sunt, subsequentibus » cum Comite de Lodron omnibus officialibus militiae Re- » giae qui aderant. »

IV. « Die sequenti, D. Iacobus Henexthoven, novi castri » Auditor, ante ipsum suspendi fecit quemdam fossorem, » homicidii reum, expilatoremque Gandavi templorum; qui » iustitiae actus primus ab eo, et primus eo loco exercitus » fuit. Eodem quoque die, quidam collector luti, qui proces- » sionis ordinem cum sua carruca perruperat, contra expressum » Magistratus mandatum, in illa ipsa carruca primo ad Bursam » Anglicanam ubi peccarat, deinde ante Curiam virgis caesus » est atque octennali exilio mulctatus. »

V. « Porro tanta hoc mense fuit frugum et annonae abun- » dantia, quantam nemo meminerat se vidisse : nam plaustrum » feni quod viginti florenis solebat vendi, comparabatur pro » quinque; dicebaturque pro certo quod Valencenis per unam

» solam portam numerati sint currus, in urbem invecti ac
» feno onusti, plures sexcentis.

» Eodem mense Augusto, D. Franciscus Doncker, Canoni-
» cus et Scholaster Antverpiensis, cum duobus de Magistratu,
» Domino Houtappel et Martino van Ranst, Scabinis, accersivit
» omnes ludimagistros et magistras, examinavitque qualiter
» puerilem aetatem instruxissent praevalentibus in Civitate
» Gheusiis; et plerosque docendi munere privaverunt, quia
» inveniebantur proposuisse discipulis haereticos Catechismos
» a Calvinistis compositos; Psalmos vernacula lingua traductos
» canere docuisse, pueros et puellas deduxisse ad conciones
» Sectariorum. Itaque, die XIII mensis, ad sui expurgationem
» citati nominatim sunt magistri viginti et unus (quorum no-
» mina habemus, nec operae pretium ducimus hic pertexere,
» uti nec nomina magistrarum tredecim). Die autem XIV, in
» Sabbato, vivus combustus in Foro est cerdo quidam, idem-
» que Praedicans, convictus in suo solario exercuisse quod
» sibi arrogaverat munus; qui obiit ad extremum pervicax
» in suo errore.

» Mense Septembri die XVI, ludimagister quidam, accusatus
» scholarum censores et examinatores irreverenter excepisse et
» reiecisse, coactus fuit publice poenitere in lineis et pedibus
» nudis, primum in Curia, deinde in Capitulo Canonicorum,
» atque ante altare Venerabilis offerre cereum quem gestabat. »

VI. « Die XIX, quid ammilites, Crubekae in Flandria superve-
» nientes epulo nuptiali, istic instituto, cum bene pasti ac poti
» essent, diripuerunt quidquid novae nuptae erat a convivis
» collatum. Cum ergo eorum insolentiam diutius non pateren-
» tur rustici, pulsata campana ceteros exciverant ad arma; qui
» concurrentes vulneraverunt multos eorum, quosdam etiam
» occiderunt alios, captivos fecerunt.

» Eodem autem ac praecedenti die, grandis Antverpiae rixa

» exarsit et tumultus, contra milites Hispanos Walonesque, » propter insolentias, quibus civium patientia exercebatur ab » illis; pleno quoque die et palam, pileos chlamydesque ra- » pientibus, violenter etiam irrumpentibus in domos, cistasque » effringentibus; sicubi autem iis contradicebatur, ancillis ac » filiabus ipsisque uxoribus, coram patre familias in eius despe- » ctum, vis et stuprum inferebatur; quapropter coactus fuit Do- » minus le Reulx, eorum praefectus, aliquos in vincula coniicere.

« In ipso quoque castro quotidianae rixae erant, et pugnae » ac duella, inter praesidiarios Walones et Hispanos, ita ut » utrimque eorum multi laederentur et occiderentur, etiam » in civitate; donec sub poena capitis ad sonum tympani » ter quaterque prohibitum est invicem verbis aut factis » laedere, vel gladium stringere. »

VII. « Die XXIV Septembris, in foro Vilvordiensi, iussu Dros- » sardi SPELLEKEN, decapitati sunt primo Dominus van Ber- » chenseel, Secretarius Principis Auriaci; deinde, in sella » propter podagram sedens, Dominus Antonius Stralen, eius- » dem Principis vicarius Antverpiae, qui multis annis servie- » rat Civitati, qua Scabinus, qua Consul; tum autem cum » captus est, Quaesturam agebat. Huic imputabatur, quod in » suburbana sua Merxemii domo, tamquam Pastorem habuerat, » contra voluntatem Capituli, haereticum hominem; quodque » Auriaci Vicarius, non se fortius opposuisset iconoclastis, » sed cum iis dissimulasset. Sequenti autem die, Marcgravius » Antverpiensis comburi fecit in Foro, ut pertinacem in haeresi, » argentarium quemdam Armenteriensem, iconoclasmi con- » victum; et quia S. Georgii ecclesiam violenter aperuerat, » atque inter rebelles ad pontem Meranum fuerat unus ex » Capitaneis.

» Die XV Octobris, P. Hubertus Dicastratius, Canonicus » Regularis S. Augustini et Prior Corsendonckanus, propter

» monasterii sui negotia Antverpiam advectus, repertus est
» in fossa Falcontina obvoluto capite suffocatus. A Gheusiis
» illuc praecipitatum, opinio erat; vehemens tamen etiam
» suspicio, quod debitores infidi, quibus multam monasterii
» pecuniam ad censum commodaverat, auctores mortis fue-
» rint; siquidem postea neque syngraphae debitorum (quas
» verosimiliter secum tulerat, solutionem canonum exacturus)
» repertae sunt; neque pecunia ulla recuperari potuit, nemine
» debitorem se fatente. »

VIII. « Die xxi Octobris, subito evocata Bruxellas sunt de-
» cem vexilla Walonum, quia civitati isti timebatur Auriacus,
» multis cum copiis adventans, post Trudonopolim et Leeu
» occupatas. Hinc tota Brabantia fuga magna rusticorum,
» nec minor Antverpiae, omni milite vacuae, trepidatio; cum
» cives iam cogerentur simul et Senatores urbis excubare ad
» portas. Sed consternatio haec diuturna non fuit, Hispanis
» praevalentibus; adeo ut Auriacus, dimisso tandem Braban-
» tico et Leodiensi agro, in Galliam discederet; quamobrem,
» die viii Decembris, publicitus Deo actae sunt gratiae cum
» generali processione. »

Tota autem aestate atque autumno tam frequens erat exitus ingressusque copiarum militarium, ab auctore huius historiae dietim adnotatus, ut piguerit designare minutim numerum, et nationes commutationesque eorum, nec non sigillatim descri-bere quoties vel militum aliqui, propter rixas inter se vel factam civibus insolentiam, vel cives complices rebellionum praeteritarum, peculiariumque in iis criminum, suspendio ne-cati sint; satisque habuimus potiora dedisse; quod porro etiam factum velim intelligi. Notabile est autem quod inter male-factores fuerint leprosi duo, plurium scelerum convicti.

IX. « Mense Novembri, initium habuit frigidissima indeque
» celeberrima hiems, cum continuo gelu nivibusque per

» hebdomades circiter decem, neque remittere ea coepit ante » diem xix Februarii sequentis; materia autem ad focum erat » carissima, eo quod, fluviis omnibus canalibusque constrictis, » nihil eo spectans per aquam advehi posset. Ad calamitatem » vero accedebat, quod eodem tempore, de consensu Civitatis, » exigebatur decimus et vigesimus nummus a domibus quibus- » que, a locatariis aeque ac locantibus solvendus.

» Die xxi Decembris, Comes de Lodron, de mandato Ducis » Albani, iussit portas Civitatis omnes, ab huius ad sequentis » diei vesperam, clausas teneri, ut interim describerentur om- » nium, quotquot hic erant, Anglorum bona; eo quod Regina » Angliae, bellum ab Rege Hispaniae metuens, omnes suspe- » ctae sibi nationis naves arresto detineret in portubus suis; » seu potius praesentis praedae et quasi in sinum influentis » cupidine capta, fovendaeque in Belgio rebellionis atque hae- » reseos studio, subtractura Albano pecuniam ipsi destinatam. » Erant enim in istis navibus septies centena aureorum millia, » cum pretiosissimis mercibus ad valorem plurium millionum. » Imprimis autem a Comite occupata fuit domus Anglicana, » mercium istius nationis promptuarium; quod omnes eos » vehementer conturbavit, quibus aliquid circa lanam operis » aut negotii erat. Custodiendis autem Anglis, ibidem detentis, » praepositus est Capitaneus quidam Germanus cum sua cen- » turia; sed ipsi, sequenti anno die xvii Martii, suos custodes » fefellerunt, indeque elapsi sunt; ob quam suorum vel culpam » vel negligentiam, ipse Capitaneus in vincula iussu Ducis » coniectus est. »

X. Quanta interhaec fuerit civium inquilinorumque et acco- larum frequentia, quanta undique advenientium navium plau- strorumque copia, quanta negotiatio, ea brevitate explicat Scribanius, cap. viii, pag. 73. Originum, ut dignus hic locus sit hic transcribi : « Frequentatissimos annos reperio , inquit,

» quinquagesimum sextum, et qui sequuntur, usque septuage-
» simum septimum, quibus erant urbem incolentium supra
» centum millia. Desumam, in huius rei fidem, e veteri codice,
» anni M.D.LXVIII numerum. Censa illo anno civium capita
» in prima regione seu tribu (WYKEN lingua nostra nominant)
» 6239; in secunda, 5929; in tertia, 6124; in quarta, 6512;
» in quinta, 5218; in sexta, 5810; in septima 9627; in octava,
» 6943; in nona, 7419; in decima, 7529: in undecima, 7234;
» in duodecima, 7164; in decima tertia, 8248; capita ergo
» universim 89,996. Haec civium. Erant eodem anno varia-
» rum hic gentium familiae plures, quae domicilio locum
» delegerant: capita in his 14,985. Erant proinde capita
» 104,981. Atque hae extra nautas, quorum ingens numerus
» in navibus. Erant super haec in suburbiis capitum quinqua-
» ginta millia, quibus ius civitatis, non secus ac in urbe natis.
» Iam peregre adventantes quis enumeret? lego anno M.D.XLIX,
» LVI, LIX et LXI numerata civium et aliunde accedentium capita
» supra ducenta millia. Nemo mirabitur qui cogitaverit, quanti
» hic e varia gente: Germani, Hispani, Lusitani, Angli, Genuen-
» ses, Florentini, Mediolanenses, Lucenses, Pisani, quantique
» e reliquis Italiae, adeoque et Galliae urbibus. Sane e sola His-
» pania trecentas hanc urbem incoluisse familias accepimus,
» potentes plerasque, et quae ingentes post se opes traherent. »

XI. « Transeamus ad res ipsas. Naves non semel in flumine bis
» mille et quingentas spectavimus, cum in anchoris posteriores
» starent duas, et tres etiam septimanas, priusquam terram
» aut tenerent cominus, aut onere se levarent; nec erat dies,
» qua non quingentae ad minimum adnavigarent aut enaviga-
» rent, omnium generum mercibus onustae; ac uno non raro
» maris aestu quadringentas appulisse accepimus. Iam currus
» vix fidem inveniant. Nulla dies non ducentos vidit vectoribus
» gravidos. Taceo Germanica plaustra, Hanseatica, Lotharingica,

» Gallica, quae nulla non septimana millia adaequarunt, » sub amico pondere gementia. Taceo rusticos carros, omni- » genum commeatum deportantes, qui hebdomadatim decem » millia superarent; taceo in animorum laxamentum, in luxum » etiam fastumque destinatas rhedas quingentas; quae singula » quanta fuerint, nemo non videt. »

XII. « Quod si ad negotiationes ipsas remque pecuniariam » oculos animumque reflexeris, maiora videbis. Dixeram, in » Antverpia mea, quinquaginta auri milliones, annis singulis, » in rerum emptionibus ac venditionibus in una hac urbe » absumi solitos. Corrigo : invenio namque accuratiore dis- » quisitione, nullo non anno e supra recensitis quingentos » argenti milliones, auri nimirum centum triginta tres, et » quod excurrit, in rerum emptionibus venditionibusque ero- » gatos; atque hoc extra campsualem pecuniam illam recipro- » cam, et tamquam allabentis relabentisque Oceani aestu » affluentem refluentemque, stata accessione et fuga; dum » per universum orbem inambulat fenerario itu redituque. » Hanc nulli prope numeri, arithmetica nulla expleat. » Hactenus loco citato Scribanius.

A. C. M.D.LXIX.

ARGUMENTUM.

I-II. Venerabile Sacramentum ad D. Virginis loco suo reponitur. Albanus in arce Antverpiensi sibi statuam erigit. III. Rex huc mittit ex Hispania Ariam Montanum ad curandam Plantinianis typis Bibliorum regiorum impressionem. IV. Turbatur coetus Anabaptistarum et cum iis severe agitur. V. In Comitiis generalibus petitur centesimus nummus; decimus et vigesimus admittitur. VI. Quaesiti et puniti haeretici. VII. Terrae motus gravis. VIII. Reformantur Bogardi. IX. Plectuntur haeretici quidam. X. Invenitur thesaurus.

ACTA PRIORA.

I. « Die vii Februarii, in aede D. Virginis repositum est » venerabile Sacramentum, eo ubi antea steterat loco, et in » proprio sibi choro collocatum est. Dux autem Albanus, xvii » Martii, ex tormentis in pugna Gemingensi Ludovico Nassavio » ereptis conflari fecit statuas aeneas duas, ingenio Ariae » Montani, opus faciente Iungelino quodam, quibus ipse ad » vivum exprimebatur, totus excepto capite cataphractus; » sub pedibus habens biceps prostratum corpus sex brachio- » rum; quarum unam in Hispaniam mittere consilium erat, » altera supra marmoream basim erecta fuit in umbilico arcis, » dexteram contra Civitatem minaciter intendens. Titulus talis » subscribebatur :

Ferdinando Alvarez *a Toledo Albae Duci, Philippi* ii *Hispani apud Belgas Praefecto; quod exstincta seditione, rebellibus pulsis, Religione procurata, Iustitia culta, Provinciae pacem firmarit; Regis optimo ministro fidelissimoque positum.*

« Ad unum latus erat altare, hoc titulo DEO PATRUM » NOSTRORUM; ad alterum aurora conspiciebatur, tenebras » noctis discutiens, cum hoc titulo ΑΛΕΞΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ. Hoc » opus egregium varias interpretationes habuit, omnibus qui- » dem pro ingenii captu coniectantibus, paucis Albani mentem » assequentibus. Quidam dicebant ea duo capita in uno trunco » Egmondanum et Hornium Comites designare; alii fratres » Nassavios illos duos, Guillielmum Principem Auriacum et » Ludovicum Comitem Nassavium, quos Albanus, magnis » copiis stipatos, Belgio expulerat; quidam vero coniungentes » scripturam cum figura, quam erecti tropaei propriam » debere esse interpretationem dicebant, explicabant eam » hunc in modum : »

II. « Corpus a statua supplantatum Belgii Status aiebant

» designare, quorum duo ab Albano fuerant debellati, Eccle-
» siastico in sua libertate et auctoritate relicto; duo vero
» capita in corpore prostrato dicebant Nobiles et Plebem
» significare, quoniam ii supplices libellos Margaritae Austria-
» cae obtulerant; et protestantibus adversus Pontificis doctri-
» nam atque auctoritatem favorem et auxilium praestiterant,
» ritus Romanae Ecclesiae abrogare, et reformatorum (quos
» vocant) Religionem, a Pontifice damnatam, tueri et propa-
» gare cupientes. Tria brachia, quae malleum, securim, clavum
» tenebant, ad Plebem dicebant pertinere, quoniam iis instru-
» mentis imagines demolita erat. »

Hactenus Leo Belgicus, pag. 106 et 107; ubi etiam dicitur altera statuarum reapse in Hispaniam missa, provido consilio, ne gloria tam superbo monumento illustrata evanesceret, posteris ad aeternam memoriam futura, si statuam aliquando cum castro diruerent Antverpienses, recuperata post annos aliquot libertate, uti revera contigit. An autem haec secunda statua eo unquam, quo destinabatur, pervenerit, nusquam legisse memini. Certe, si pervenit, credibile est nunquam erectam esse, utpote non Hispanis minus quam Belgis invisam; et Rex sic Albanum aestimabat prae ceteris suis ducibus, ut nihilominus prae se ferret, ne plurium contra ipsum odium in se traheret; certus interim de fide hominis, ne contemptu quidem sui labefactanda; ut postea patuit in acquirendo regno Lusitanico et tuendo Neapolitano. Interim iam dictae statuae ectypon (quod coelo sculptum et excusum Antverpiae, mirum est ad Aitzingeri manus non pervenisse, Leoni Belgico inserendum) hic proponere placet, in formam minorem contractum.

III. Porro melius quam Albanus suae famae, Rex Hispanus consuluit Reique publicae ac Religioni, Antverpiam mittendo supra laudatum *Benedictum Ariam Montanum*, virum perquam eruditum; quo dirigente, impressa Antverpiae sunt apud

Christophorum Plantinum, impendio maximo, *Biblia* vulgo *Regia* appellata, Hebraïca, Graeca, Latina et Chaldaïca linguis, quorum duodecim exemplaria impressa fuerunt in membrana pergamena, empta ad valorem sexcentarum librarum Flandricarum: quam operam Reipublicae Christianae utilissimam, adeo gratam habuit Rex Philippus, ut, praeter *Typographi Regii* titulum, Plantino et posteris eius in Civitate nostra ferendum, etiam ei concesserit privilegium, quo eius ex filia nati nepotes *Moreti* adhuc fruuntur, imprimendi Breviaria ac Missalia, quae sola per ditiones Regias venum exponi possint, totisque Hispaniis atque Indiis distrahi. Est autem familiae Plantinianae traditio, typos, ad Biblia praedicta fusos, argenteos fuisse omnes, atque una cum multis exemplaribus Regi in Hispaniam missos; sed in navi iis onusta submersos, quod damnum Rex compensatum voluerit supra notati privilegii indulto. Sed istorum Bibliorum nihil lucem vidit ante annum M.D.LXXI, quando simul prodierunt sex praegrandes tomi, cum ipsius Ariae luculenta praefatione; sequenti autem anno accessit illis duplici tomo Apparatus Biblicus, trium peregrinarum linguarum lexica et institutiones grammaticas continens.

IV. « Mense Martio, comprehendit Marcgravius in quadam » domo, OP HET SCHELLEKEN, viginti Anabaptistas, ad suae » sectae exercitia congregatos; plures habiturus, si suae » expeditioni tantillam moram indulsisset. Ex his autem per» tinaces quatuor, die XIX mensis praedicti, in Foro combusti » sunt, non sine grandi tumultu, concurrente undique seque » comprimente vulgo, ita ut plurimi pileos chlamydesque » amitterent; quaedam etiam mulier gravida abortum pate» retur, prout patuit reperto foetu mortuo pedibusque obtrito: » sed mater ignota mansit. Similis severitas eodem anno contra » plurimos eiusdem sectae exercita fuit, ac plerumque per » ignem; unde aliquando contigit domum in Foro positam,

» cui Pallii Pellicei insigne, flammas concipere; sed hae mox » exstinctae fuerunt. Quia vero videbatur tumultui causam » dedisse reorum sub exitum interque ipsas flammas cantus » et clamor, ideo die eiusdem mensis penultimo, cum tres » alii ibidem puniendi et exurendi essent, provisum est, ut » ora eorum ferro constringerentur, obductoque linteo tege» rentur; quod nullibi quam Antverpiae visum, multorum » commovit animos et audaciam compescuit.

» Tanto autem rigore contra haereticos agebatur, ut etiam » ii qui deprehendebantur sine extremis Sacramentis obiisse, » ligato ad collum fune raptarentur ad campum patibularium » ibidem sepeliendi; alii eodem veherentur iniecti carucis, » lutum ac sordes colligentibus, alii de sepulcris eruti ad » eumdem campum deportarentur. Sic, XI Iunii, capite plexus » est quidam lignorum vector, causa patrati (ut dicebatur) » homicidii; qui cum caedem casu accidisse protestaretur, et » eos qui sibi mortis causa erant, ad Dei iudicium provocaret, » magnam excivit in populo commotionem, fortassis ad mor» tem non perducendus, nisi conatus esset Anabaptistas » aliquos carcere liberare. »

V. « In diem XXI Martii convocata Bruxellas sunt omnium » septemdecim Provinciarum Belgii Comitia Generalia : quod » ab annis fere nonaginta, et post tempora Maximiliani non » fuerat factum, anno scilicet M.CCCC.LXXVIII et IX. Ibi Dux, » Regis nomine, a Statibus petiit centesimum nummum om» nium bonorum immobilium, in stipendia militum. Exhinc » frequentissime convocatum est Antverpiae Plenum Civitatis » Consilium, super modo conficiendi pecuniam a Duce requi» sitam; petebat enim decimum nummum ex omnibus mercibus » bonisque mobilibus, pro cuiusque facultate; et hanc in rem » nunquam voluit Communitas consentire; metuebat enim » amittere omne cum exteris commercium, quo potissimum

» res Antverpiensium stabat, neque ex historiis doceri poterat, » quod tam grave onus subditis suis unquam ullus Principum » nostrorum imposuerat, quamvis cum Turcis, Anglis, Fran- » cis, Hispanis, bella saepe atrocissima gesserant. Istis tamen, » et demonstrata multipliciter impossibilitate rei, non move- » batur Albanus, sed in sua petitione persistebat.

» Die VI Aprilis, interdictum Antverpiae per Aulam est » omne commercium, non solum cum Anglis, sed etiam cum » Hamburgensibus, propter frequentes et gravissimas contra » utrosque querelas, de captis per eorum piratas Belgarum » navibus mercibusque.

» Die III Maii, consensit Civitatis Plenum Consilium in » solutionem vigesimi et decimi nummi, ex bonis immobilibus » colligendi, nec non ex mercibus, quoties hae venderentur; » quod plebem vehementer commovit. »

VI. « Die VIII, praesumpserunt Calvinistae circiter ducenti, » in silva ad locum TER ERTBRUGGE dictum, inter Wyneghem » et Oeleghem convenire ad praedicationem. Huius rei fama » erumpens, fecit ut duobus diebus post caperetur quidam » veteranus Causidicus, Mag. Hieronymus Franx nuncupatus; » qui, tortus, multos complices prodidit, etiam proprium filium » quem seduxerat; tractus autem Bruxellas erupit ex carcere. » Quapropter, die XIII, Plenum Consilium convocatum est, a » quo praedictus Hieronymus civilitatis iure privatus fuit, » utpote non solum convictus praedicationi in silva habitae » interfuisse, sed etiam Paulinas epistolas praelegisse, interim » dum primarius Praedicans exspectabatur.

» Venit etiam, die XV, mandatum ab Aula ad omnes Dros- » sardos, Mayeros et Officiales omnium oppidorum, munici- » piorum atque pagorum Brabantiae et Marchionatus nostri, » ut diligenter ubique locorum eam in rem vigilarent; neque » paterentur ullam uspiam in agris, silvis, aut segetibus

» congregationem Sectariorum convenire. Facta est autem » omnibus et singulis eorum potestas, viros aliquot armatos » et conductos secum habendi ad executionem sui muneris; » in quo ne defectus esset, loco ipsi, ubi id contingeret, » intentabatur impositio militum, qui conventus eiusmodi » impedirent. »

VII. « Die xiv Maii, hora tertia matutina, toto Belgio terra » horrendum tremuit, ac si omnia sus deque vertenda essent; » quod Albanum vehementer consternavit, tunc Bruxellis » existentem; ubi etiam atque per reliquam provinciam, ad » horas quinque vel sex, conspectus in coelo fuit terribilis » ignis, ad horrorem omnium intuentium.

» Die xvi, feria ii, Clerus Georgianus, in corpore cum Cruci» bus suis, processit ad novum castrum, ibique solemnem » Missam cecinerunt, et praedicarunt. Die autem xvii, rursum » voluit Albanus convocari Plenum Consilium, non solum » Antverpiae, sed etiam Lovanii, Bruxellis, ac Silvaeducis » ad exprimendum civitatum consensum in decimum, vigesi» mum atque centesimum nummum; omnes autem unani» miter petitionem reiecerunt, impotentiam suam causantes. »

VIII. « xxx Iulii, Antverpiam in monasterium Bogardorum » venit Minorita, cum potestate Legati Pontificii, et commis» sione ipsos totumque per Belgium Ordinem reformandi, » subiiciendique Guardiano Minorum; superiores autem eo» rum, si qui reformationem admittere recusarent, abdicandi » et alios instituendi; unde per omnes ubique conventus, » ipsaque oppida, in quibus illi erant, perturbatio et discordia; » nec enim tale quid umquam hic visum fuerat. » Ita historia Ms. nostra. Est autem verosimile ipsosmet Bogardos, agnoscentes reformationis necessitatem, nec tamen volentes Minoritarum Provinciali subiici, medium convenientius elegisse, ut se unirent et subiicerent nuper natae in Dioecesi Leodiensi

Congregationi et Capitulo Zepperensi, Ordinis Conventualium Generali immediate subiecto, prout fecerunt, ut infra dicetur.

IX. « vi Augusti, vivi exusti sunt sectarii duo, quia contra » edictum Regium domi suae clam praedicationes instituerant, » suaque in haeresi mori eligebant; res tamen non sine » tumultu et periculo plurium acta fuit, comprimentibus » mutuo sese malevolis; militibus autem, qui circumstabant, » lanceas suas in turbam vellentibus, atque percutientibus ut » fors ferebat. Idem supplicium pati debuisset eamdem ob » causam octogenarius senex, sed, educendus ex carcere cum » animi deliquium pateretur, perduci ad Forum nequivit, » inclususque est sacco et flumine mersus. »

» viii eiusdem mensis, sublatum fuit remotumque a Foro » patibulum, quod multis annis ibi steterat : quia ante Curiam » paranda erat area decursioni equestri, instituendae in honorem Gubernatoris castrensis, Sancii de Avila, sponsam » ducturi.

» Die xxiii eiusdem, in patibulario campo reperta est vetus » scortea Bursa post furcam, in eaque regales aurei multi » trium florenorum ac decem assium, cum pluribus magni » valoris monilibus ex auro; apparuit autem illa post grandem » pluviam, qua humus, in cumulum aggesta, dissoluta concíderat. » Ita ex Ms. Caukerkius.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Commissarii xv *Septembris.* — *Feria* iv *hebdomadae* xxiii *post Pentecosten.* — Dominus de Grobbendonck Schetz. — Dom. Cancellarius Scheyff.

Consules. — Dominus Henricus van Berchem VII. — iv. Dom. Ioannes Wolsaert.

SCABINI. — Dom. Lancellottus van Ursele. — Dom. Didericus vande Werve. — Dom. Iacobus vander Heyden. — Dom. Ioannes van Schoonhoven. — Henricus van Etten, *Thesaurarius*, pro quo M. Lucas de Meere. — Henricus van Baesdonck. — Gerardus des Pommereaux. — Ioannes vander Meeren. — M. Cornelius de Wyse. — M. Ioannes de Pape. — Aegidius Happaert. — M. Adrianus van Heylewegen. M. Ioannes Bacx. — Franciscus van Willeghem. — Barth. Peeters, alias de Mouliers. — Dom. Melchior Groenenberg, *suff.* — Blásius Bejar. — Wilhelmus Borrewater.

Notant Secretarii, Commissarios, huic renovationi delegatos, non habuisse in mandatis ut ante novi Magistratus denominationem, veteri, ex parte Regis vel ipsius Ducis, gratias agerent, pro superioris anni fideli ministerio, ut erat moris, seque commeruisse existimabant: quare non omiserint de hoc sui neglectu conqueri.

ARGUMENTUM.

I. Gheusiorum Aquaticorum piratica. Supplicium sumptum de septem grassatoribus. II. Obitus Iacobi Masii, Consiliarii, antea nostri per annos xx Pensionarii. Duorum proditorum poena.

ACTA POSTERIORA.

I. « INITIO Septembris ex Anglia solvit navis piratica capitum
» ferme octingentorum, colluvies nobilium et ignobilium Sec-
» tariorum, exulum et fugitivorum ex Brabantia, Hollandia
» atque Zelandia; qui naves quascumque capiebant, nautasque
» et vectores avehebant, non nisi grandi lytro soluto redimen-
» dos, divenditis quas ferebant mercibus. Illi autem etiam
» noctu egredientes in terram, maxima per agros faciebant

» damna, tam rusticis quam nobilibus, laicis et ecclesiasticis,
» spoliando et incendendo templa, monasteria atque abbatias,
» et sacra vasa profanabant in comessationibus suis, magnum
» sui terrorem ubique incutientes : vulgus *Gheusios Aquaticos*
» appellabat. »

Die xx eiusdem mensis, septem grassatores, qui rusticos per vias publicas diu vexaverant, in patibularium campum deducti sunt ad supplicium, eorumque suspensi tres, quatuor vivi cremati. Atque haec fuit prima iustitia, quam post iconoclasmum executus est Praetor *Ioannes van Immerseel.* Notat autem Rotulus octennalis, de quo mox, non ante medium duodecimae ad supplicium eductos fuisse, quia inter iudices diutius fuerat disceptatum, propter enormitatem criminum, quae patraverant, et ipsorum aetatem, quae simul omnes non numerabant annos cxxiii.

II. Leo autem Belgicus, pag. 109, docet, quod « xiii Decem-
» bris, obiit anno nativitatis suae climacterico, id est sexa-
» gesimo tertio, omnibus fere hominibus fatali, clarissimus
» Iurisconsultus Dominus *Iacobus Masius,* olim annis viginti
» primarius Reipublicae Antverpianae Pensionarius, et inde
» quoad vixit, Caroli Caesaris Regisque Philippi, primarii
» ordinis in supremo Brabantiae Senatu Consiliarius.

» Die xi Novembris, huc Bruxellis adducti sunt captivi duo,
» in totidem curribus et comitatu aliquot equitum; quorum
» unus vir opulentus et Censor rationarius regius, vulgo *Con-*
» *trarollarius,* accusabatur tractasse cum Auriaco Principe, de
» tradendo ei novo Castro Antverpiensi; et sequenti die, a
» carcere Civitatis deductus ante ipsum castrum, capite plexus
» et in quatuor partes est sectus, ipsis partibus ad patibulum
» dimidium appensis, sed postero die inde ablatis humatisque;
» caput vero supra Caesaream portam infixum stipiti, diu
» spectaculum ingredientibus praebuit; ipse tamen ad extremum

» professus est innocentem se mori, nulliusque criminis » conscium. »

Quod attinet ad Rotulum praecitatum, is ab huius anni Ianuario incipiens, octennalis deinceps appellabitur, quia desinit cum anno M.D.LXXVI. Repertus apud Advocatum Nys, qui eum habuit ex Gevartiana Bibliotheca, in quadam instrumentorum Antverpiam spectantium collectione Ms. sub titulo PIECES CONCERNANTES LA VILLE D'ANVERS. Est autem iste multo copiosior aliis, proceditque per menses singulos aut etiam dies quam ordinatissime. Quare, licet eum non acceperim, nisi his Annalibus iam fere totis digestis, operae pretium censui pro hoc octennio eos recognoscere, et hinc supplere locis nonnullis.

A. C. M.D.LXX.

ARGUMENTUM.

I. Obitus et epitaphium Gisleni d'Asseliers, viri Senatorii, ac posterorum. II-III. Drossardus Brabantiae ob crimina suspensus, eiusque locumtenens, Secretarius et ancilla flagris caesi. IV. Aquatici Gheusii praedantur pecuniam Albano destinatam. Mandatur observantia Quadragesimalis ieiunii. Publicatur Indulgentia praeteritorum. V. Miles in Zelandiam contra Anglos mittitur. Clausa et excussa Bibliopolia per Belgium. VI. Ducta in Palmis processio cum asina. VII. Praesidiarii arcis Germani exauctorati.

ACTA PRIORA.

I. ORDIOR ab epitaphio GISLENI AB ASSELIERS, cuius meminerunt Fasti Mss. velut ab anno M.D.XLI per quadriennium Magistri pupillorum; quemque Scabinum habent iidem Fasti annis M.D.XLVII et VIII, nec non M.D.L, IV, V. Invenitur illud epitaphium sub huius anni nota, marmoreo in scutó, insculptum lapidi, versibus, non quidem optime tornatis, dignis tamen hic legi :

Hospes viator, qui pedem huc refers tuum,
Subsiste, quaeso, paululum, atque respice,
Ut cuius istud sit monumentum intelligas.
Hic e regione conditus est GISLENIUS
AB ASSELIERS; *cui patria quidem fuit*
Bruxella; sed is muneribus hic publicis
Antverpiae, cum laude summa et gratia
Functus, per annos plus minus octodecim,
In dignitate huius rei ipse publicae
Feliciter versatus, obiit annum agens
Nonum atque quinquagesimum; decima die
Ianuarii, superstite coniuge ipsius
Et quinque liberis; qui eidem hoc et sibi,
Et posteris, piae posuere memoriae.

Ex filiis fuerit ille, ab insigni in Regem affectu laudatus, sub Ordinum tamen regimine, Brabantiae Cancellarius, eo tempore, quo Antverpiam obsidebat Parmensis; tum filia una, cuius atque mariti nomina continet sepulcro superpositus e regione praefati monumenti lapis caeruleus cum vulgaris linguae inscriptione, sic latine reddenda: « *Hic sepultus iacet* D. CORNELIUS WACHMANS, *Consul Bredanus, coniugio iunctus Domicellae Clementiae* VAN ASSELIERS, *Gisleni filiae, defunctus* XXII *Septembris* M.D.LXXXI; *et filius eius Andreas Wachmans, Scultetus Lilloae, Berendrecht, etc. defunctus* XXII *Octobris* M.DC.XLIV; *atque domicella Maria Kieffel, uxor eius, mortua* X *Iunii* M.DC.XXX. Crediderim ab his simplici primum epitaphio Gisleni infra supraque additum eum qui nunc cernitur marmoreum ornatum, cum insignibus familiae Asseleriae, et ea quam dixi nota anni, in epitaphio praetermissi.

II. « Die XI Februarii in Sabbato, Bruxellis, iussu Ducis, ad » palum sub patibulo ligati et flagellati fuerunt Locumtenens,

» et Secretarius Drossardi SPELLEKEN, eiusdemque ancilla, quia
» cum rebellibus et haereticis comprehensis dissimulantes,
» pecuniam acceperant. Post istos eodem a duobus militibus
» suis adductus est ipsemet Drossardus, eiusdem criminis
» convictus; qui duos istos osculatus, perrexit cum lictore ad
» scalas; laqueumque suomet collo innectens, ultro desilivit,
» itaque pependit, pectori affixam habens mortis suae causam,
» grandibus litteris descriptam; nemine mortem eius lugente,
» quia dicebatur ter mille trecentos septuaginta tres extremo
» supplicio afficiendos curasse. Miraculo autem omnibus fuit,
» quod rufum eius capillitium et barba cum vultu subito
» nigerrima apparuerunt, tamquam Aethiopis: mox tamen
» depositus ex patibulo atque in ecclesia Praedicatorum hono-
» rabiliter tumulatus fuit, quinquaginta facibus praelucentibus,
» et Hispanis funus comitantibus. »

Supplicii de illis sumpti insignem iconismum vide in Leone Belgico, pag. 109 v.° et seqq. ubi titulus causae, ex gallico latine sic redditus: *Haec est iustitia, quam vult et mandat fieri Sua Excellentia de hoc homine, propter excessus sequentes.* Eadem verba praemittebantur sententiis contra Locumtenentem Conradum et Secretarium Ioachimum; et ubique subscribebatur: *Executioni data est illa iustitia* XI *Februarii* M.D *et* LXX. Primae autem additur *Bruxellis in palatio Suae Maiestatis*, quo nomine etiam comprehendi spatium ante portam palatii, egregii ex lapide sculpto operis, apparet ex iconismo; subscribitur autem grandiusculis romanis F. DE TOLEDO.

III. Nunc ipsas sententias accipe, nonnihil Antverpiam spectantes, quoniam bona pars criminum hic commissa fuit:
I. « Ob id, quod accepta pecunia gratias concesserit, rebellio-
» nisque et aliorum enormium criminum reos dimiserit; quod
» innocentes vexaverit, atque etiam executionem fecerit de
» famulo suo, cum tamen consilium iudiciumque Magistratus

» superioris haberet contrarium; quod sub praetextu iustitiae
» commiserit varias enormesque extorsiones et concussiones.

» II. Quia fuit minister Drossardi in concussionibus et
» extorsionibus, indeque lucratus est, revelavitque secreta
» iustitiae et salvos conductus dedit.

» III. Quia fuit minister Drossardi in concussionibus, extor-
» sionibus, scrutationibus, et oppressionibus; nec non quia
» pecunias nonnullas in suam utilitatem convertit.

» Addunt Registra nostra Mss. quod eiusdem Februarii die
» XVI, ancilla ipsius Drossardi multorum criminum cum magi-
» stro commissorum rea, ante palatium cum laqueo ad collum
» alligata patibulo, et virgis caesa fuit; iussaque patibulum
» osculari, in exilium est acta. »

IV « Circa idem tempus Dordracum in cymba applicuere
» undecim Aquatici Gheusii, ceperuntque et spoliarunt na-
» vem unam ibi anchoris stantem; ex ea sumentes quinqua-
» ginta millia dalerorum; quorum pars, collecta ex confisca-
» tionibus Hollandicis, ad Ducem Albanum pertinebat; alia
» pars ad quosdam mercatores Antverpienses. Praedam illi
» avexerunt in Angliam, consuetum talium receptaculum;
» navi tamen prius in vadum protracta, ne insecuturis auctiori
» numero epibatis habitio esset.

» Die autem XXV, Magistratus edixit, sub poena centum flore-
» norum, ne quis per quadragesimum carnibus vesceretur,
» absque licentia sui Parochi, subscripta ab Officiali ecclesiae
» Marianae atque Marcgravio. Deinde prima eiusdem Quadra-
» gesimae Dominica, in diem XXVII cadente, ducta devotissima
» processio fuit, cum Venerabili magnisque Indulgentiis, con-
» cessis a PIO PAPA V, in favorem eorum, qui, dominantibus
» Gheusiis, aliquid contra Catholicam Religionem commise-
» rant, quacumque ratione cooperati ad iconoclasmum, eccle-
» siarum direptionem, sacrorum profanationem, aut conciones

» Sectariorum; in foro scilicet conscientiae dumtaxat modo
» sincere poeniteret commissorum, et propositum verum
» haberent deinde Catholice vivendi.

» Die II Martii, processio iterata est, comitante toto Magi-
» stratu et pompa fuit solemnissima; similisque processio,
» earumdem Indulgentiarum causa, habita est die IV, a Basilica
» S. Mariae ad ecclesiam S. Georgii, atque finita cum solemni
» Missa, hac et praecedentibus diebus cantata. »

V. « Die IX eiusdem Martii, Antverpia egressa sunt quatuor
» vexilla peditum Germanorum Lodronianae Legionis, Vlis-
» singam in Zelandia defensuri ab Anglis, classem centum
» bellicarum navium instructam habentibus, et sistentibus
» quidquid ab Hispania veniebat; unde proxime timebatur
» gravissimum bellum. Die XVIII, iussu Ducis et regia auctori-
» tate, clausae sunt toto Belgio omnes officinae typographo-
» rum, bibliopolarum, et bibliopegorum, apposito, ne quis
» ingredi eas posset, sigillo, donec visitatae fuissent, omnium-
» que ac singulorum istic repositorum librorum confectus
» catalogus; quod, coram deputatis a Clero et Magistratu, mox
» ipso die factum est, positis ante domos custodiis, non sine
» obmurmuratione vulgi, dicentis hoc esse principium Inqui-
» sitionis Hispanicae inducendae. Hinc multi ex praedictis,
» male sibi conscii, fugam ceperunt; qui omnes, die XXVIII
» mensis, publicitus sunt citati comparere Bruxellis, intra
» tres hebdomadas, coram Duce Albano. »

VI. « Die XIX, Dominica palmarum, Paschate in XXVI
» cadente, instaurata est consuetudo ducendi processionem
» a Basilica Mariana per vetus Burgum, una cum effigie Sal-
» vatoris, asina insidentis, et duodecim personatis Apostolis,
» Equitibus Hierosolymitanis, quotquot aderant, ramos, obitae
» peregrinationis testes, gestantibus. » Asinum istum Icono-
clastae confregerant, una cum effigie Christi; sed novum

suffecerat zelus Catholicorum; cui obstrepentes hodie novatores quidam processionem ipsam duci patiuntur ad S. Walburgis ecclesiam, sed Christum in asino vetant loco moveri; ex quo Iansenistici fermenti sapor fastidium induxit priscae simplicitatis, per quam praecipua Evangelii capita, non auribus solum, sed etiam oculis fidelis populi exponebantur. »

VII. « Die xxiii Martii, prodiit edictum, ne quis extra regias » ditiones filios mitteret studiorum causa; cum severo man- » dato, ut quotquot eo titulo peregre degebant, domum sine » mora revocarentur. Eodem die, Comites Lodron et Hierony- » mus exauctoraverunt quatuor reliqua in hac urbe vexilla » peditum Germanorum, et, soluto stipendio, remiserunt do- » mum, vel quocumque libuisset; hoc autem peractum est in » planitie patenti post Curiam Tapetiariorum, quae nunc Fori » Brabantini frumentarii nomen habet. » Atque hic desinit vetus seu Chronica, seu rotulus Canonici Snyderi. Exhinc in Ms. Secretarii Valkenisse, eadem, nec antiqua manu, continuatur historia usque ad annum M.D.LXXXIV, citanda deinceps sub nomine Appendicis, sed circumspecte; neque enim Auctor tam Catholicus fuit quam prior, haeresim et haereticos ubique abominatus.

CONTINUATIO LEGIS.

Facta ante prandium XXIII *Aprilis, post Pascha.*

Ita expressissimis verbis Fasti Mss. post iterata nomina Consulum et Scabinorum anni praecedentis. Fuit autem praedicta dies Dominica IV post Pascha, actum XXVI Martii. Sunt ergo iterum huius anni :

CONSULES. — Dominus Henricus de Berchem VIII. — Dominus Ioannes Wolsaert II.

Ex Scabinis notatur, in Ms. Advocati Nys, obiisse Henricus van Etten, *eique suffectus est* Lucas de Meere.

VIII. « Hunc in modum continuato Magistratu, consequens » erat officiales omnes continuari, neque videtur dubitatum » fuisse de iis, qui pariter cum Scabinis solebant adscribi » Fastis; sed circa Vicomagistros et Ambactorum Decanos, » praescripsit Albanus, ut quos legisset Magistratus, deinceps » recognoscendi traderentur Thesaurario generali, Domino » Gaspari Schetz. Perstitit nihilominus Magistratus in manu-» tenenda electione sua, qualem hactenus usurpaverat, abso-» luta et libera; neque inter Decanos opificum mutatus est » quisquam nisi apud Fabros murarios, quibus pro *Luca van* » *Kerckhoven* electus est *Ioannes Boonaert.* » Ita in suis Analectis Secretarii.

OBSERVATIO.

De vario apud varios annorum inter Belgas initio, per Albanum ad uniformitatem ad Kalendas Ianuarii reducto.

IX. Non frustra est quod Fasti Mss. huius anni Magistratui, potius quam tot aliis, iam antea tempore Paschali renovatis, praemittant haec verba : *Annus* (scilicet Senatorius) M.D.LXX *coepit die Veneris Sancto post meridiem, quod erat* XXIV *Martii.* Cur autem hoc potius quam aliis annis tale anni initium, Antverpiensibus peregrinum, annotatur? Existimo, quia hic ultimus erat annus, quo Aula nostra, ab annis CLV solita annum suum inchoare in Parasceve Paschatis, eo stylo usura erat, Albano ipsum improbante, neque conveniens iudicante, quod Aula haec discreparet a ceteris Regis sui Provinciis in ratione anni inchoandi. Confirmat hoc Canonici Snyderi Rotulus, ipsiusmet manu ab anno M.CCCC.LXXVII usque ad annum M.D.LXVIII ex Chronico vetustiori transcriptus; qui alia deinde ac multo recentiori manu (ex eodem tamen, ut videtur, originali) pertextus usque ad Octobrem anni M.D.LXIX; sed quia ultima folia non erant cum prioribus colligata, deest totus October,

November, et December, cum omnibus foliis acta anni istius M.D.LXIX complexis. Interim in isto rotulo inveniuntur residua duo folia, ex nescio quam multis, et in his tale principium: *Item die* XXXI *Ianuarii anno* M.D.LXIX, *stylo Brabantiae, sive* LXX, *stylo novo;* atque haec verba iterantur ad XVI Februarii, atque ad XV ac XXII Martii; omittuntur autem VI Aprilis, in die Paschae, et simpliciter additur annus M.D.LXX, velut utrique stylo communis.

X. Hinc intelligitur quod anni principio, a Paschate ad Kalendas Ianuarii translato apud Francos, non continuo ipsos secuta sit Aula Burgundica in signandis Actis publicis; ideoque, ad confusionem vitandam fuisse opus, ut stylus uterque notaretur, sicut qui anni principium sumebant a Paschate, dicerentur sequi *Stylum Brabantiae;* istum vero, quem Franci susceperant ex edicto Caroli IX, ita iubentis anno M.D.LXII. appellarent *Stylum Novum*, quamvis revera antiquissimus esset, et Antverpiae solus in usu; sicuti a Romanis acceperant nostri, et sub Comitibus Lovaniensibus primum, deinde sub Lotharingiae Ducibus tenuerant; esto quod Burgundiae Duces, Belgio potiti, Bruxellis veterem Francorum stylum induxissent, quem ex Burgundia attulerant quemque maluerunt *Cameracensem* appellare, a Francico imperio prorsus absoluti.

Nec tamen diu tenuit mos iste utrumque stylum notandi in Curia iam dicta, aut necessaria fuit distinctio illa ultra annum M.D.LXXV. Tunc enim, ex Consilio Commendatoris Castellae, Belgium gubernantis, die XVI Iunii, publicatum est edictum per omnes Provincias, in quo expenduntur difficultates, oriri solitae ex varietate anni inchoandi, quibusdam initium sumentibus a Natali Domini, aut Kalendis Ianuarii ipsum sequentibus, qui stylus tunc passim obtinebat; aliis a Vigilia Paschatis aut praegrediente Parasceve; quem nonnulli *Stylum Curiae* vocant; aliis aliter scribere solitis, pro Dioecesium varietate.

XI. Edictum ipsum exstat vernacula lingua tomo II Ordinationum Belgicarum, pag. 727. Sicut autem pro brevi isto sex vel octo annorum spatio, utile fuit stylum veterem novumque distinguere, sic hodiedum necesse est provinciis, non admittentibus reformationem Kalendarii, a Gregorio Papa XIII cum omnium Catholicorum Principum assensu inductam anno M.D.LXXXII; talibus, inquam, necesse adhuc est utrumque stylum signando coniungere, et scribere I *Ianuarii* XI, *stylo veteri et* I, *stylo novo;* quam necessitatem, pertaesis tandem ipsismet qui illam sibi fecerunt, speramus cito omnino tollendam e medio, saltem in Provinciis Belgii foederati; nec diu pertinaces in tenendo errore futuros Anglos, cum regnis Septentrionalibus; utinam tam facile ad veram Christi Religionem, a qua per haeresim abscesserunt, revocandis! Secretarii nostri, ad annum M.D.LXXV allegant decretum eadem de re Pontificium, quod hactenus nec vidi, nec ab alio visum legi.

ARGUMENTUM.

I. Silvaducis Antverpiam translatus Episcopus Sonnius. Iesuitae utiliter laborant. II. Synodus Mechliniensis Concilium Tridentinum promulgat. III. Albanus generalem praeteritorum indulgentiam publicat. IV. Lusitani mercatores committunt se Patribus corrigendos in negotiis suis; et pro impetrando ipsis Collegio laborant serio, sed frustra. V-X. Exemplariter castigatur Germanorum insolentia, qua Comitem de Lodron Ducem suum Valencenis iniuriosissime tractaverant. XI-XIV. Transit hac Anna Austriaca, futura Hispaniarum Regina, et splendide excipitur.

ACTA POSTERIORA.

I. Kalendis Maii Antverpiam venit, ab Episcopatu Silvaeducensi, cui VII annis utiliter praefuerat, evocatus *Franciscus Sonnius,* post publicatum istic Concilium Tridentinum, tantumdem hic facturus; nam qui fuerat primus nominatus

Philippus Nigri, privati Bruxellis Consilii Cancellarius et S. Gudulae Decanus, anno M.D.LXII defunctus erat, neque hactenus induci Civitas poterat ut Episcopum admitteret.

« Morabatur tunc Antverpiae P. *Robertus Clayssonius*, ex » Societate Iesu, cum sociis paucis; illius autem conciones, ut » populo semper gratissimae, ita erant valde utiles, confutandis » praesertim haereticis, et Catholicis confirmandis; adeoque » satisfaciebat, ut rogatus a Capitulo sit concionari in hono- » raria primi, quem dixi, Episcopi introductione, quae fiebat » in frequenti celeberrimoque coetu Ordinum totius patriae. » Sed Patre Clayssonio valetudinem excusante, id muneris » delatum est a Reverendissimo Atrebatensi ad Patrem *a Costa*, » Clayssonii collegam. Tunc autem hoc memorabile accidit, » quod, cum quidam haereticus concionator, habitu et profes- » sione Carmelita, magno cum populi concursu audiretur, » opera atque industria *R. P. Francisci Costeri* (qui forte tum » etiam Antverpiae concionabatur) et Patris *a Costa* factum » sit, ut is de suggestu magna cum ignominia deturbaretur.

» Interim et a Capitulo et a Civitate valde exspectabatur » collegii institutio, sed inexorabili ad stabilis fundi posses- » sionem indulgendam Albano (quo refragante, nihil per se » facere audebat Civitas), dum commodiora exspectantur tem- » pora, communi consilio domum conduxerunt Patres, quae » quandoque videbatur idonea fore exstruendo collegii aedificio, » in eamque commigrarunt. Ibi illi, quatenus licebat, ex suo » instituto vivebant, aucto personarum numero, ut quatuor- » decim essent, qui antea ut plurimum dumtaxat tres aut » quatuor erant, modo sibi viventes, modo apud alios victum » ementes; in ipsa autem sic conducta domo sacellum deputa- » verunt ad rem divinam faciendam, omnibus cum titulo » Superioris praesidente *Patre a Costa*. »

II. Die XI Iunii, Mechliniensis Synodus convocata initium

habuit, in eaque decretum est, « ut Tridentini Concilii Ordi-
» nationes toto Belgio, simpliciter et absque ulla restrictione,
» reciperentur; tum ut Episcopi singuli, suam Dioecesim sedulo
» visitantes, per civitates et oppida reformarent quidquid repe-
» rirent sacris Canonibus contrarium. Huic Synodo, xiv Iulii
» absolutae, subscripserunt *Martinus Riethovius*, Synodi Prae-
» ses, pro illustrissimo *Antonio Perennotto*, Mechliniensi
» Archiepiscopo primo, tum publicis apud Albanum rebus
» occupatissimo; *Franciscus Sonnius*, Antverpiensis; *Guiliel-
» mus Lindanus*, Ruremondensis; *Cornelius Iansenius*, Ganda-
» vensis; *Remigius Druits*, Brugensis; *Laurentius Metsius*,
» Silvaeducensis; *Maximilianus Morilionus*, praefati illustris-
» simi Mechliniensis Vicarius generalis. »

III. « Mensis Iulii die xvi, Antverpiam advectus Dux Albanus,
» coram se, post solemne sacrum ab Episcopo Cameracensi
» decantatum, et sermonem habitum ab Antverpiensi, fecit a
» praefato Cameracensi legi Bullam Pii v, omnes in haeresim
» lapsos et poenitentes absolventis; et Episcopus Antverpiensis
» iterum gallice ad populum dixit; sed ne peroraret impedivit
» subita aegritudo, quae eum corripuit cum sub finem dictio-
» nis suae populum adhortaretur ad agendas Pontifici ac Regi
» gratias; et, utroque collaudato, ad Albani quoque laudes
» descenderet; ideoque ex suggestu fuit reportatus in hospi-
» tium seu domum suam; id quod plerique verterunt in omen
» parum felicis successus. Ad vesperam vero idem ipse Albanus,
» Nobilium stipatus agmine, in Forum maximum venit; con-
» scendensque sublimi in pegmate thronum inauratum, gladio
» etiam atque galero, nuper a Pontifice missis, ornatus, prae-
» conis voce iussit, infinito qui convenerat populo, praelegi
» diploma Regis, praeteritorum omnium veniam indulgentis. »

IV. « Hoc circiter tempore, Dominus Ruiz, Administrator
» rerum Lusitanicarum in negotiis mercaturam spectantibus,

» nomine Regis sui vehementer urgere coepit apud Patrem
» a Costa institutionem Collegii, multa pollicens pro domo et
» ecclesia, quae nullum effectum habuerunt; et sic ad tempus
» suspensa haesit spes illa, cum Provincialis Costerus privata-
» rum personarum eleemosynas, ad haec sibi oblatas, mallet
» impendi aliis iam coeptis, nec ita facile perficiendis Collegiis,
» quam videbatur perfici unum posse in civitate tam ampla
» opulentaque. Interim contendebat idem Procurator, ut prae-
» fatus Pater a Costa operam suam ponere vellet in refor-
» manda Lusitanica natione; cuius non solum negotia tempo-
» ralia multum turbata erant, in tanta reipublicae confusione,
» sed etiam disciplina moralis, Christianae negotiationis ratio.
» Res sane ardua : hanc tamen curam suscepit idem Pater,
» accepta etiam in scripto licentia Provincialis sui, ac reliquo-
» rum qui Antverpiae erant Patrum; sed constantiam non
» tenuit; cumque clam ceteros Romae impetrasset discedendi
» ex Belgio facultatem, in Hispaniam revertit cum serenissima
» Anna Austriaca, Maximiliani II, Imperatoris filia, Philippo
» Regi quartis nuptiis iungenda. Die ergo XIII Novembris, ex
» Belgio (de qua re mox infra pluribus) solvens a Costa, negotii
» suscepti administrationem reliquit, substituto in suum locum
» P. Clayssonio; quod intelligens Costerus Provincialis, et
» sciens quam officeret rebus bene agendis frequens mutatio
» eas administrantium, scripsit Romam, et, intra paucos ab
» abitu prioris menses, impetravit hominem qui posset et
» vellet diutius Antverpiae remanere. »

V. Regredior ad finem mensis Iulii mensemque Augustum, quibus exemplariter castigata insolentia militum Lodroniano-rum contra Capitaneum suum, triste Antverpiensibus spe-ctaculum, aliis exemplum praebuit. « Praefuerat Comes iste,
» cum tribus peditum Germanorum vexillis, custodiae arcis;
» quem, satis invisum civibus, cum officio movere et Germanis

» Hispanos substituere intenderet Albanus, eum suosque ius-
» sit, persolutis quae debebantur stipendiis, sacramento absol-
» vere, misso salvo conductu et potestate migrandi quo vellent.
» Factum id XXII Martii prope Hallam Tapetiariorum. Non
» multo post idem Comes Valencenis redivit Antverpiam, hos-
» pitatus ipse in via Coriariorum, domi Gasparis Dulcis;
» milites autem extra Civitatem collocati, hospitibus suis ma-
» gnae fuerunt molestiae; donec ille, plena abeundi licentia
» accepta, multa cum pecunia monilibusque Italiam versus
» tendere coepit. Sed Valencenis detentus Comes, et in
» vincula coniectus ab iisdem militibus suis, stipendia septem-
» decim mensium promissa exigentibus, multaque indigna
» passus bimestri quo istic mansit spatio, tandem autem
» dimissus, illis apud Valencenas relictis, Antverpiam rediit.
» Die XXII Iulii (credo, sub praetextu quaerendae pecuniae :
» revera autem consultaturus cum Albano, qua ratione ulturus
» esset illatas sibi iniurias) rursumque regressus Valencenas,
» exauctorare eos voluit, oblatis in solutionem pannis; quos
» cum recusassent, totamque in pecunia poscerent, iuxta
» articulos petitionis suae, hac accepta, persuaderi sibi sive-
» runt, ut, ad obsequium Regium denuo recepti, secum Ant-
» verpiam remearent, ibi intellecturi quam eis stationem
» designaret Albanus. »

VI. « Illis, XXVII die, huc appulsis, sequenti nocte accesse-
» runt Bruxellis, Mechlinia, Lovanio duae equitum bene arma-
» torum turmae, cum duodecim vexillis Hispanorum, et tria
» illa Germanorum vexilla; die XXIX, summo mane, praetextu
» lustrationis faciendae, in pratum publicum Burgerhoutanum,
» ubi suas haeretici conciones habuerant, educta obstupue-
» runt, cum sese ex improviso circumcingi viderunt, sic
» ut nulla uspiam spes evadendi alicui esset. » Leo Bel-
gicus, pag. 115, paucis verbis, quibus totam hanc tragoediam

perstrinxit, subiicit elegantissimum iconismum, in quo spectandos exhibet duos Germanorum manipulos, equitibus cinctos, et per unum ex suis adequitantem propius cum paucis Lodronio excusantes sese; sed quasi e Burgerhouto traductos ad campum Caesareae portae obiectum; unde sculptor Hogenbergius spectandam exhibet Civitatem a castro usque ad Rubram portam, tam perfecte quam usquam alibi vidisse memini, exprimiturque supplicium de nonnullis sumptum.

« Sicut dictum est, circumsessi Germani, demissis vexillis » tympanisque cessantibus, et tamquam agni in medio luporum » mutuo se circumspectantes, trepide exspectabant quid sibi » futurum esset. Eodem mane, civitate egressus Comes illuc » equitavit una cum Domino Frederico, Albani filio, Domino » Carolo aliisque Capitaneis Hispanis Germanisque, ea inten» tione ut, immissis in deditos equitibus, pedites omnes » iuberet contrucidari. Verum D. Fredericus nulla ratione » committendum censuit ut indiscriminatim omnes noxii cum » innocentibus, et indicta causa, plecterentur; sed suasit prae» cipuos auctores facinoris comprehendi, captivosque abduci. » Ex omnibus ergo electi centum viginti, et Comiti praesentati, » sigillatimque accusati ab eo sunt de iniuriis contumeliisque, » quas ab eis passus erat. Qui eidem in facie et intrepide » responderunt, dicentes, non nisi ex merito a se tractatum, » qui acceptam pro solvendis stipendiis pecuniam, iuxta » patentium suarum articulos, avertisset, et clam misisset » Coloniam; quo subsequi intendebat, ipsis vacuis relictis, » aut saltem coactis accipere solutionem dimidiam in pecunia, » alteram in vili panno, quibus nollent esse contenti; solum» que poenitere quod eum non interfecissent, illatis etiam » post mortem vulneribus decem; neque dubitare se quin, si » militari iudicio audirentur, exhibitis suae dimissionis litteris, » causam suam essent evicturi. »

VII. « His ille auditis, omnes continuo apprehendi iussit; et
» Hispanorum Alcaldo traditos, firmiterque colligatos, sedecim, octodecim, viginti et triginta aut quadraginta simul,
» deduci in carcerem Antverpiensem; reliquos vero ad sua
» quemque hospitia in Burgerhouto recedere, donec aliud
» mandaretur; quomodo etiam Hispani recedere sunt iussi,
» in Berchem, Deurne, Wyneghem et Ranst. Proceres autem
» sub horam duodecimam per Meram transeuntes, rediverunt
» in arcem. Ultima die mensis, venerunt Burgerhoutum Hispani, assumptisque Germanorum vexillis et tympanis, ceteris
» indicarunt, sub poena capitis mox excedendum esse ex tota
» ditione regia, exceptis vexilliferis et tympanistis, quos
» secum Antverpiam ad carcerem abduxerunt.

» Prima Augusti, centum illi et viginti captivi fuerunt in
» carcere examinati; et die postero, ad sonitum tympani
» proclamatum, ut omnes trium vexillorum sclopetarii ante
» solis occasum Civitate et Burgerhouto excederent; lancearii
» vero intra triduum, simulque ex omni regia ditione sub
» poena patibuli. Deinde rursum examinati sunt captivi super
» viginti articulis, quibus rei essent capitis et bonorum amittendorum; et mox eorum viginti et unus sunt damnati ad
» mortem. Hoc intellecto, eorum uxores, magno cum eiulatu
» suo et parvorum liberorum suorum, prostratae ad pedes
» Ducis et Comitis, deprecabantur pro maritis, adhibita intercessione nationum Germanicae Italicaeque, imo etiam
» Hispanorum nonnullorum; sed frustra omnia. Ergo ad carcerem accurrentes, totam noctem ibi egerunt lamentantes,
» extremumque vale dicentes maritis; qui ipsis per clathros
» carceris proiiciebant in sinum quidquid penes se habebant
» pecuniae; quidam etiam vestes suas, tam tenero cum
» affectu, ut multis civium excuteret lacrymas spectaculum
» miserabile. »

VIII. « Die III Augusti, per noctem, ante novum castrum,
» iuxta vetus patibulum erecta sunt alia duo nova, eoque
» bene mane adducti novem ex condemnatis simul colligati,
» ex quibus octo mox suspensi, unus, quia Nobilis, capite
» plexus est; et sub meridiem sepulti omnes iuxta vetus
» patibulum. Eodem die, Lovanio Antverpiam adducti quinque
» eorumdem manipulares, qui sine licentia clam aufuge-
» rant; ceterisque captivis iuncti sunt in carcere, unde ad
» intercessionem Osterlingorum dimissi fuerant vexilliferi
» et tympanistae praefati. Die IV, sub auroram, ad Lodro-
» nianorum manipulorum Iudicem (Praepositum vocant) ad-
» ducti sunt octodecim alii colligati, quorum novem ante
» patibulum decollarentur, omnes egregii valentesque viri;
» ipsius Comitis officiales, Centuriones, Decuriones, ac domo
» Nobiles. Quidam etiam inter eos erant equestri militia et
» aliqua praefectura insignes, qui Valencenis sese ad peditum
» partem adiunxerant contra suum Ducem; alii autem novem
» duobus in patibulis sunt suspensi. Inter hos erant fratres
» duo, quibus primum resecti sunt duo priores digiti manus
» dextrae, tum ipsa manus, eo quod Valencenis Antverpiam
» scripserant commilitonibus suis seditiosas litteras, hortando
» ne in panno vel aliter quam in pecunia sibi promissa, cum
» militiae adscriberentur Augustae Vindelicorum scriptis arti-
» culis, a Comite solutionem acciperent. Hi simul in coemeterio
» S. Georgii sunt sepulti. Eodem die reliquis, adhuc Burgerhouti
» manentibus, remisit Comes vexilla et tympana sua; sub
» quibus eos Capitanei sui duxerunt ad pratum post capellam
» lustrandos, missionemque accepturos cum salvo conductu,
» ut, eo muniti, secure possent quo vellent tendere. Eodem
» die, Antverpiae damnati ad mortem a Comite sunt alii trede-
» cim, qui ante clathros flebiliter eiulantes, civibus ostende-
» bant et commendabant uxores et liberos, eorumque preces

» apud Deum pro se iam morti addictis petebant adeo mi-
» serabiliter ut vix quisquam absque lacrymis et tam severae
» iustitiae admiratione discederet. »

IX. « Die IV, eaque feria VI, egressus hinc equo est Dux
» Albanus Bredam, et inde postridie Silvamducis, excepturus
» ibi praenominatam Maximiliani Caesaris filiam, ANNAM,
» Philippo Regi nupturam. Sabbato autem sequenti, Praepo-
» situs Lodronensis ex carcere deduxit primo mane praedictos
» tredecim ad planitiem castri, ubi quinque ex eis suspensi
» sunt, reliqui (utpote Nobiles) decapitati; et eorum duo iam
» genuflexi, Mag. Ioannem, Comitis lictorem, oraverunt liceret
» ipsis gladium iustitiae videre, visumque devote exosculati
» sunt, fatalemque ictum intrepide exceperunt. Interim mu-
» lieres tres, et earum duae, tamquam adhuc virgines crinibus
» passis, flectentes ante Praepositum genua, tres ex afficiendis
» supplicio petierunt sibi in matrimonium concedi; sed repul-
» sam retulerunt. Mortui autem ad S. Georgii fuerunt sepulti.
» Eodemque die, in aede Deiparae comparuit iuvencula, cum
» uno sequenti die supplicium capitale subituro, nisi illa ipsum
» sibi a Comite, non sine multa consanguineorum suorum
» Germanorumque plurium deprecatione, impetrasset in ma-
» ritum, natione tota laetante et congratulante. »

X. « Die VII, mane, ante castrum ex carcere adducti sunt
» veterani duo milites, quorum unus septuagenario maior;
» amputataque prius dextra, suspensi cum corona papyracea
» picta, eo quod se Valencenis fecissent Reges appellari, tor-
» mentaque ex regio armamentario educi ad moenia Civitatis
» in despectum Comitis Lodronii, quem detinebant captivum.
» Postea vero alii duo eiusdem Germanicae nationis ibidem
» supra currum decollati, sectique sunt in partes quatuor,
» quia accusati fuerant coniurasse ad Civitatem spoliandam in-
» cendendamque, et haereticis Gallis tradendam. Horum autem

» corpora quadrifariam secta sunt, et partes affixae furcis in » patibulario campo, capitaque infixa lanceis in altum erectis » tamquam proditorum.

» Die XIII, in eodem campo suspensus est ille nauta, qui » anno M.D.LXVI formosum crucifixum in ecclesia D. Virginis » iniecto rudenti e doxali abstraxerat, tertio post iconoclasmum » die, ad id a Gheusiis mercede conductus.

» Die autem XX, rediit Breda Albanus, et permisit ex » carcere Antverpiensi relaxari milites Germanos XLV ex Lodro- » nianis, probata eorum innocentia. XXVI die, in Sabbato, valde » mane, Lodronius Germanum militem, qui suus scriba » fuerat, fecit prope castrum suspendi, tamquam furem; » utpote convictum commissae fraudis in dimetiendo panno » qui erat stipendio militari destinatus; corpus autem trans- » latum est ad aliud patibulum, prope infirmorum Curatrices, » iuxta corpora duorum fictitiorum Regum; eodemque die, » fecit Vilvordiam navibus deportari alios XVII ex suis, ibidem » (ut dicebatur) morte afficiendos; atque ita eorumdem LXXIII » extremo supplicio sunt affecti Antverpiae ad exemplum » omnium, ne praesumant superioribus rebellare. Ac denique » Comes ipse, satis superque sese ultus de illis, die XXV Martii » anni M.D.LXXI Antverpia in Italiam, unde venerat, solvit. »

XI. « Interim ANNA AUSTRIACA, Maximiliani II filia, Philippo II » Regi, iam tertium viduo, desponsata, ex Germania in Belgium » properabat; quam Dux Albanus Antverpiae excepturus, Breda » Neomagum excurrit, indeque Bergizomium; unde ea, die » XXIV Augusti, sub vesperum huc appulit cum duobus suis » iunioribus fratribus, Alberto et Wenceslao, ac nobili comi- » tatu Germanicorum Procerum et nobilium puellarum. Exce- » pit eam perhonorifice Dux ipse Albanus, cum filio et tribus » Velleris Aurei Equitibus, videlicet Dominis Barlaimontio » atque Megano et Duce Arschotano. Aderat etiam Magnus

» Magister Teutonici Ordinis, Reginae Gubernator. Comita-
» bantur Albani cohortes duae equitum, rubra et caerulea saga
» portantium cum longiori sclopo; qui ante et post ceteros
» procedebant. Rubram portam ingressae Reginae occurrit pro-
» cessionaliter Status Ecclesiasticus, cappas aureae et argenteae
» telae indutus; deinde Senatus totus cum sex Guldis, omnes
» cum cereis ardentibus; et per viam portae Vaccinae deduxe-
» runt illam in aedem Deiparae Virginis. Invehebatur ipsa equo
» gradario, speciose maculato, supra stragulum pretiosius acu
» pictum, in sella muliebri ex argento deaurato, sub taber-
» naculo panni auro texti. Per forum deinde equinum gradiens
» usque ad sacellum S. Eligii, habuit a sinistris erectum spe-
» ciosum pegma, per quod dispositae complures virgunculae
» pulcherrimae stipabant eam, quae *Antverpiae* personam sus-
» tinens, indeque descendens, Excellentiae suae obtulit ser-
» tum roseum cum ramo laureo, gratulataque est patriis
» rhythmis felicem adventum. »

XII. « Ita deducta fuit Regina ad magnificas illas ac splendi-
» dissimas Hansae Teutonicae aedes, illuc perstitura donec
» propitio in Hispaniam vento avehi posset. Ingressam illuc
» excepit coena splendide apparata; postridie autem eodem
» in comitatu deducta, ad urbem propius et pleno die spe-
» ctandam, atque ante omnia Deiparam, eius patronam, saluta-
» tura, processit per forum equinum iam dictum ad pontem
» portae Vaccinae, ubi Lucensis natio erexerat supra castellum,
» ibi efformatum, *Gigantem* magnum; et in foro lacteo stabat
» currus amburbalis, solitus virginem, quae *Antverpia* dicitur,
» cum suo virguncularum comitatu vehere; et haec ibidem
» denuo Reginam salutavit. In maiori Foro vidit *Balaenam* a
» Neptuno insessam iucunde subsilientem. Deinde ibidem con-
» stitutum maiorem *Gigantem*, cum suis *Gigantulis* faces
» ferentibus, ipsamque salutantibus. Ibidem salutarunt eam

» Ambacta, quorum istic Camerae a foris erant splendide » adornatae; et Curiam circumvecta per pontem Ferreum » trans fossam sacchariam (nomine nunc exoleto) *Elephantem* » amburbalem, magnae et rarae artis opus, ibi positum. In » ipsoque ponte descendens de equo, una cum duobus frater- » culis suis, altero octenni, decenni altero totoque nobilium » virorum ac feminarum comitatu, processit ad chorum Maria- » num maiorem; ubi cum Deum adorasset, Doctor Sonnius, » Antverpiensis Episcopus, ipsam solemni cum caeremonia » salutavit; ac denique conscensis rursum equis, per Meram » processit ad suum hospitium, praeparatum in aedibus Hiero- » nymi Delrio. Ad has Genuenses et Germani intra triduum » construxerant singuli triumphalem arcam, ex quibus festivo » vocum ac instrumentorum musicorum concentu honorabatur; » sicut Hispani milites, supra Meranum pontem ordinati, » non desinebant scloporum explosione testari laetitiam suam.

» Per tres deinde noctes, ex omnibus Guldarum et Amba- » ctorum multorumque honestiorum civium fenestris luxerunt » dispositae faces laternaeque, nec non ex turribus SS. Mariae » et Iacobi. Procurator autem nationis Lusitanicae vespertinis » horis fecit triduo eodem fluere vinum, cuicumque bibere vo- » lenti, in eamque rem dicitur sex vel octo vasa absumpsisse. »

XIII. « Die xxvii Augusti, eaque Dominica, processit Regina » cum suo nobili comitatu Procerum ac matronarum, quarum » quinque argenteis sellis invehebantur, in ecclesiam D. Vir- » ginis; ibique cum illis ac fraterculis, sub rubri damasceni » specioso tabernaculo Missam audivit, solemnissime decan- » tatam ab Episcopo Sonnio, qui deinde omnibus istic » praesentibus largitus est quadraginta dierum Indulgentiam. » Eodem die, post meridiem, processum est ad novum castrum, » ubi multa cum explosione, tam tormentorum muralium quam » scloporum, a duobus Hispanici peditatus vexillis, splendide

» armatis, salutatam, excipiens Dux Albanus manu apprehendit circumduxitque per moenia, commonstrans ei sigillatim propugnacula ac tormentarios suggestus, eorumque rationem reddens.

» Die xxviii, post meridiem, equitavit ad novam Civitatem, omniaque ibi recentia lustravit, ac praecipue Osterlinganam domum; venientique in Wervam ex navibus arcibusque salutationis officium praestitum est, magno cum fragore ac laetitia. Regressurae autem per veteris Burgi pontem et carcerem transeunti, certatim acclamavere captivi, petentes misericordiam; quam etiam praestitit, iubens in singulos sex thaleros distribui, pollicensque eorum nonnullis impetrandam libertatem.

» Antverpiae porro existenti Reginae a variis nationibus et civitatibus oblata sunt multa pretiosa munera. Civitas nostra donavit duo vasa auri. Italica natio, duos fasces pretiosorum ex auro pannorum; alii, malluvium aureum cum pelvi; Ultraiectini bovem rufum, enormiter grandem ac pinguem, emptum trecentis quinquaginta Rhenensibus; quem, qui Antverpiae emit lanio, sub signo Leonis rubri, pro dimidio asse vivum dabat spectandum; erat enim crassus palmos xxxviii, longus xxxii, altus xix, pendebatque libras mmm.cc. Hic in proximum annum servatus usque ad Quadragesimam, feria v (quam *Pinguem* vocant) per urbem circumductus, spectatusque ab omnibus cum admiratione fuit; simulque alius niger unus, quem laniones nutriverant, et, ut cresceret ac pinguesceret magis, iam inde a Natali Domini quotidie potaverant novem cantharis crassioris cerevisiae; dicebaturque pendere mmm.ccc libras. Utriusque autem mox caesi carnes in macello venum expositae vendebantur sex vel septem stuferis in singulas libras; nec erat quisquam qui maiores aut pinguiores umquam visos meminisset. »

XIV. « Porro decessit hinc Regina die ultima Augusti Bergizomium, cum toto suo comitatu, deducente ipsam Duce Albano, tribusque Velleris Aurei Equitibus praefatis, ac duabus Equestribus illius turmis, praestolaturam ibi Euroborealem ventum, quo flante, in Hispaniam cum classe navigaret illa ad sponsum suum. Interim decima Septembris, pro eius felici itinere instituta Antverpiae est perquam devota processio, cum venerabili Sacramento; et illa XXIV eiusdem mensis, Bergizomio avecta in Zelandiam, ac denique, die XXV, Armuda solvit cum classe navium trecentarum quam ipsa cum duobus fratribus conscendit, Middelburgo digressa die XXVI; ideoque prima Octobris rursum ex aede D. Virginis instituta processio generalis est, pro eius prospera navigatione; ac deinde ex omnibus Parochiis privatim, ad eumdem finem; precesque indictae sunt in omnibus Monasteriis ac piis locis. »

ARGUMENTUM.

I. Consecratur novus Chorus Fratrum Minorum. II-VI. Moritur Franciscus Floris, famosissimus pictor; describitur eius familia, discipuli, domus. VII-VIII. Guido Fabricius, alias Guy Lefevre, Gallico elegantissimo metro et typis Plantinianis divulgat Encycliam de secretis aeternitatis, interpretatus prius Testamentum Novum ex lingua Chaldaica et in Bibliis regiis auctor Chaldaici Dictionarii. IX. Intumescens Scaldis magna damna infert praesertim Falcontinis. X. Castigatus fraudulentus proxeneta. Tumultuatur plebs ob nimis leviter punitum Hispanum. XI. Turris Georgiana fulmine corripitur. XII. Consecratur altare S. Luciae. Popinae et ludi Dominicis Festisque prohibentur.

I. « XXIX OCTOBRIS, tunc Dominica, consecratus est novus Chorus Fratrum Minorum, per novum Episcopum Daventriensem, eiusdem Ordinis, *Aegidium de Monte*, coram Antverpiensi Episcopo Sonnio, et Mechliniensis Episcopi suffraganeo *Doctore Laurentio*, Parocho Bruxellis in Sabulone,

» pluribusque Canonicis Antverpiensibus et consulibus Da-
» ventriae. »

Hactenus fere verba octennalis, quem supra laudavi, Rotuli, praetermisso dumtaxat Anabaptistarum plurium, hoc anno inter flammas exspirare iussorum, supplicio, non nisi paucissimis errorem eiurantibus, itaque mitius tractari promeritis.

II. Ab his priusquam cum eodem Rotulo transeam ad damna exeunte hoc mense per Scaldim illata, redeundum mihi est ad eius initium, ne praeteream famosissimum sui aevi Pictorem *Franciscum Floris*, mortuum ipsis huius mensis Kalendis. Constat hoc ex epitaphio, quod patri avoque et aviae posuit filius Cornelius anno sequenti, affixo muro Orientali ecclesiae Franciscanae versus coemeterium, in quo ipso fortassis fuerit commune familiae monumentum; nec enim tunc ita usitatum erat ut nunc, homines plebeios intra ecclesiam sepeliri. Est autem illud ex candido lapide sculptum, pedes circiter senos altum ac latum; cuius supremam oram obtinet tumba, et subtus describitur titulus quadratus huiusmodi :

BEATI QUI IN DOMINO MORIUNTUR. 1571.

Sub hoc titulo ex fundo tumbae procedit saxum grande, inscribendis ibi tumulatorum et tumulandorum nominibus, usque ad annum M.DC.L continuatis, per lineas duodecim, remanente spatio vacuo aliis sex lineis cum tempore sculpendis, ac denique communi illa formula, BIDT VOOR DE ZIELEN, *Ora pro animabus*. Totum vernacula lingua decurrit, dignum latine reddi et legi, in specimen continuandae plurium consequenter, uno in monumento, memoriae familiaris. Est ergo hic sensus :

« Hic iacet sepultus CORNELIUS DE VRINT, alias FLORIS, Latomus,
» qui obiit anno M.D.XXXVIII, XVII Septembris; et uxor eius
» MARGARITA GOOS, quae obiit anno M.D.LXXVII, XI Octobris; et
» illius filius FRANCISCUS FLORIS, Pictor, qui obiit anno M.D.LXX,

» i Octobris. Et filius huius CORNELIUS FLORIS, Statuarius et » Architectus, qui obiit anno M.D.LXXV, XX Octobris: cum » ELIZABETHA MACHIELS, eius uxore, quae obiit anno M.D.LXX, » XXIII Aprilis. Et IACOBUS FLORIS, coelator vitriarius, qui obiit » anno M.D.LXXXI, VIII Iunii, cum MECHTILDE IACOBSEN, uxore » sua, defuncta anno M.D.LXXX. Et SUSANNA, filia Cornelii Flo- » ris, quondam Cornelii, Pictoris et Statuarii, quae obiit » anno M.DC.XV, XII Maii. IOANNES FLORIS, filius Cornelii tertii, » qui obiit II Martii anno M.DC.L. »[1]

Post spatium vacuum, ut dixi, subiicitur scutum plebeio more inscriptum Cruce †, cum hisce sub utroque eius brachio litteris C. F. designantibus CORNELIUM FLORIS, atque littera duplo maiori V ad pedem eiusdem crucis; quae an indicet antiquum proavorum cognomen VRINT, non divino.

III. Carolus Manderus, in suo de Pictoribus libro, ad annum M.DC.II, prolixius laudandus, fol. 158 v.° usque ad 162 v.° pluribus de *Francisco,* deque aliis ipsum spectantibus agit; et maiores eius altius repetens, proavum nominat *Ioannem de Vrint,* alias *Floris* cognominatum, virum ingeniosum, et fundorum accuratissimum diribitorem, quod magni apud nos momenti exercitium censetur; cuius an. M.CCCC mortui duo filii fuerunt, *Cornelius* et *Claudius;* hic insignis statuarius, et multa eius opera praeclara

[1] HIER LEET BEGRAVEN CORNELIUS DE VRINT ALIAS FLORIS, STEENHOUWER. STERF A° 1538, DEN 17 SEPTEMBER. ENDE SYN HUYSVROUWE MARGRIETE GOOS, STERF A° 1577 DEN 11 OCTOBER. ENDE SYNEN SONE FRANCOIS FLORIS, SCHILDER, STERF A° 1570 DEN 1 OCTOBER. ENDE SYNEN SONE CORNELIUS FLORIS, BEELTSNYDER ENDE ARCHITECT, STERF A° 1575 DEN 20 OCTOBER. MET ELISABET MACHIELS, SYN HUYSVROUWE, STERF A° 1570 DEN 23 APRIL. ENDE JACOB FLORIS, GLASSCHRIVER, STERF A° 1581 DEN 8 JUNY. MET MECHTEL JACOBSEN, SYN HUYSVROUWE, STERF A° 1580 ENDE SUSANNA, DOCHTER VAN CORNELIS FLORIS, ENDE CORNELIS FLORIS, CORNELIS SONE, SCHILDER ENDE BELDTSNYDER, STERF A° 1615 DEN 12 MEY. ENDE JAN FLORIS, SONE VAN CORNELIS DEN DERDEN, STERF DEN 2 MEERT A° 1650. — BIDT VOOR DE SIELEN.

Antverpiae adhuc exstabant cum scriberet Manderus; iste Cornelius scilicet fuit *Francisci*, de quo agimus, pater, quod noto, ut appareat, artificem istum genium quasi per traducem in ista familia fuisse propagatum. Idem Manderus de *Francisco* narrat, quod « usque ad annum aetatis vigesimum latomiam » exercens, ac fere sculpendis sepulcrorum epitaphiis occu- » patus fuerit, tandemque istius parum gloriosi laboris per- » taesus, Leodium se contulerit, picturae discendae causa, sub » disciplina cuiusdam ibi tunc famosi *Lamberti Lombardi*; » cuius artem brevi sic assecutus est, ut ille, audita discipuli » sui post annos plures fama (qui etiam Romae annis aliquot » fuerat multumque profecerat), eius videndi gratia excurrerit » Antverpiam; ubi amanter et genialiter exceptus, mensae » subduxit latenter se ipsum, ascenditque in solarium, ubi » discipuli opus faciebant; multaque de eorum magistro cum » laude locutus, addidit: Attamen, cum iuvenis esset, magnus » erat fur. Ad quam magistri sui clarissimi contumeliam, ut » rebantur, moti illi, parum aberat quin hominem deturbarent » de gradibus, nisi is sese explicuisset, narrato Apollodori » veteris simili dicto de discipulo Zeuxi, artem sibi suam » suffurato. Descendens autem ad convivas narransque quid » sibi accidisset, magnam omnibus ridendi materiam dedit. »

IV. « Et vero observatum in Francisci operibus semper est, » ipsi aliquod Lambertinum omni vita adhaesisse, quamvis » magistrum longe superaverit. Porro in Brabantiam reversus » ille, cum esset ingenii perquam faceti, et in liberalibus studiis. » historicis praesertim poeticisque haud mediocriter versatus; » ita plerorumque Procerum, Auriaci nominatim Horniique, » amorem sibi demeruit, ut apud eos frequens, et hi vicissim » apud hunc essent. Cumque id uxorem eius Claram, alterius » prorsus indolis parumque urbanae feminam, et rei servan- » dae augendaeque cupidam, male haberet, et inter illorum

» nobilissimas uxores earumque ancillas nihil discriminis face-
» ret, non semel marito creavisset periculum, nisi is lepide in-
» terpretatus inofficiosas uxoris phrases, risum omnibus ipsique
» etiam stomachanti excuteret, dicens, Graece ipsam loqui,
» aliterque Teutonice intelligendam, ut meras blanditias verba
» sonarent; quo pacto et ipsam et fratris Iacobi uxorem,
» eadem querentem et domo exesse iubentem, a iurgio cessare
» vel invitas cogebat. »

Haec et alia partim laudans, partim improbans in *Francisco* Manderus, « ad laudem eiusdem magnam, eminet, inquit,
» quod plurimos excellentes discipulos post se reliquit : in hoc
» enim pictores omnes superavit, cum in omnibus totius
» Christianitatis Regnis atque Provinciis dispersi sint, et ubi-
» que magni fiant. »

« Loquenti aliquando, inquit Manderus, mihi cum uno
» eorum, *Francisco Mont*, Alkmariensi, interrogantique quî
» potuerit fieri ut tantopere et tam cito sibi commissos perfi-
» ceret, respondit, quod, cum multa et magna opera simul
» haberet conficienda, ea, post rudem aliquam creta signatam
» delineationem, ipsis tradebat primis coloribus initianda,
» ob oculos eis ponendo varias diversarum conditionum
» facies, quarum magnam penes se habebat copiam; eorum
» arbitrio et ingenio relinquens delectum, cum facultate de suo
» etiam conceptu ordinandi quidpiam. Hinc illi scilicet animos
» fiduciamque sumebant audendi per se quidquam, ac cito
» etiam proprio marte integra lintea ordiendi et perficiendi.
» Cum autem vice quadam ex illorum senioribus aliqui inter
» se ea de re conferrent, plures quam centum et viginti tales
» numerabant, quorum praecipuos aliquos mihi notos, inquit
» Manderus, nominabo. »

Mox autem plures quam viginti recenset, in quibus Antverpienses duo, *Crispinianus vanden Broeck*, magnus insuper

architectus, et *Ioannes Daelmans*, de quo hoc memorabile refert, quod « cum, mortuo suo illo magistro, in servitium *Francisci* » *Franken* transiisset, ab eoque accepisset assimilandum » Christum, cruce ligni albicantis onustum, grandis quaedam » et longipes aranea in prototypon descendit; quam cum in suo, » quod faciebat Ioannes, assimilasset, superveniens Franken: » Video, inquit, te non valde laborasse, quando etiam araneae » opus tuum concacant; et, arrepto pileo, abigere eam voluit; » sed pictum agnovit, atque erubuit; quod cum Dalmannus » postridie socio Geldorpio narraret: Zeuxis, inquit, aves; » ego magistrum meum decepi pingendo araneam. »


V. Longus sim, si cum Mandero velim prosequi praeclara Francisci Floris et grandia opera, tum Antverpiae, tum Gandavi, ubi in Abbatia S. Bavonis, in gratiam Lucae Abbatis, Evangelistam plurimis modis expressit; et in ipsomet Praelato assimilando ostendit, nemini cessurum se fuisse, si isto in genere studii occupari maluisset. « Adiacet autem, inquit Manderus, » Abbati in unà valvarum canis aquaticus, expressus tam » feliciter ad vivum, ut saepe viderim, inquit, canes alios » venientes in nostram officinam (ubi post iconoclasmum val- » vas Bavonias servabamus), more suo olfacturos accedere. » Antverpiae vero fecerat maiori altari ecclesiae Marianae » Assumptionem Deiparae, quam iconoclastae discerpserunt. »

Haec Manderus; sed imprimis memorabilis est tabula, quae hodiedum spectatur in aede Mariana super altari Guldae Gladiatoriae, repraesentans lapsum Luciferi et Angelorum eius, ab Archangelo Michaele, Guldae Patrono, eiectorum e coelo; quam Manderus notare praetermisit; item frontispicium domus, quam in via Arembergica aedificatam reliquit, totum eleganter supra tectoriam calcem depictum; de qua domo sic scribit Manderus:

VI. « Habebat *Franciscus* magnam et praeclaram in Mera

» domum, sed culinam fumigabundam; de quo incommodo
» cum identidem expostularet uxor, deieraretque se istic diutius
» nolle manere, emit a Maiori Nosocomio, ad cuius possessio-
» nem tunc pertinebat tota illa planities, quae a platea Arember-
» gica, tum primum a Gilleberto Schoonbekano instrui domibus
» coepta, usque ad portam ecclesiamque Georgianam proten-
» debatur, nunc fere undique domibus cingitur; emit, inquam,
» in campis Nosocomio circumpositis, fundum amplum, in
» quo novam domum et Romanis palatiis forma ac magni-
» ficentia comparandam exstruxit, Cornelio fratre, Architecto
» (ut dixi), ideam designante, ipso autem totius frontispicii tec-
» torium pingente, iuxta eum, quem in Italia viderat, modum. »

Ibi inter fenestras apparent omnes eae conditiones, quae ad pictorem perficiendum requiruntur; supra portam vero in grandiori tabula pingens ipse exprimitur, eique assistentes artes operis directivae; quod tectorium, hactenus utcumque servatum, et annos circiter centum sexaginta perdurans, ne totum denique, ut coepit, diffluat, ipsum brevi forma excipiendum in chartam mihi curavit optimus et saepe mihi laudatus laudandusque senex, Exconsul della Faille; et ego aeri incidendum dedissem, nisi per mortem pictoris, cui chartam commodaveram ipsam, cum aliis defuncti chartis venisset in manus alias quam oportuisset. Non ausim polliceri opus totum a Francisci manu esse, cum supra dixerim, discipulorum manibus uti solitum, ad ea quae facienda suscipiebat opera.
« Ita cum pro ingressu triumphali Caroli V arcus pararentur
» triumphales, grandes pingebat statuas ex asseribus exciden-
» das, quotidie septem, pro singulis pactus libram Flandricam
» unam; opusque absolvit hebdomadis quinque, licet septem
» dumtaxat horis per diem laboraret, sero surgens, et cito
» discedens ab opere; in quo si quando discipulos suos iuvabat,
» solvebant ipsi in diem octodecim aut viginti florenos. Pari


INDUSTRIA.

» celeritate, die unico, ad ingressum Philippi, praegrandi in
» linteo pinxit victoriam, cum multis sub ea captivis omnique
» bellico ex antiquitatis more apparatu. Ultimum eius opus
» fuit pro Magno Commendatore; unde, ipso mortuo, reperta
» sunt absoluta duo, singula viginti septem pedes alta, Cruci-
» fixionis et Resurrectionis. Erat autem homo adeo propensus
» ad laborem, ut etiam semipotus et amplius, eidem se
» applicaret, et saepe tunc etiam melius ei cederet, solitus
» dicere : *Dum operor, vivo : dum ludo, morior.* »

VII. Ab hac satis prolixa digressione de pictoribus, quorum ars praeclara patriam nostram illustravit, transeo ad viros eruditos, qui ibidem insignem operam contulerunt compilandis et elucidandis Bibliis regiis, sub Plantiniano praelo, et cura praelaudati Ariae Montani sudantibus. Hic eos nominat in sua ad lectorem praefatione, ubi, post ipsum *Plantinum*, eiusque generum *Franciscum Raphelengium*, primus merito venit *Guido Fabricius Boderianus*, tamquam *vir de quovis linguarum genere optime meritus, et ecclesiasticae disciplinae studiosissimus;* qui in illud vere Regium opus, quintumque tomum, quo Novum Testamentum Syriacum continetur, accuratissimam suam versionem latinam, in patria
» privato consilio laboratam, anno M.D.LXVII accuratiori deinde
» studio Lovanii expolitam, obtulit eidem et isti operi inse-
» rendam, atque adeo se ipsum, una cum fratre *Francisco*
» *Fabricio*, Hebraicae linguae peritissimo, nulla habita ratione
» patriae, affinium, domesticorum, ac denique privatae utili-
» tatis; unde etiam eidem quinto tomo duplex praefixa epi-
» stola dedicatoria est, ad Philippum II, vastae illius molitionis
» auctorem, una; ad lectorem altera; simulque elaboravit
» amplissimum Syro-Chaldaicae linguae dictionarium, quo
» finitur tomus primus Biblici apparatus.

Tali intentus labori, Fabricius iisdem typis commisit suam

poemate Gallico elegantissimo decantatam *Encycliam de Secretis Aeternitatis* (orbem disciplinarum latine dixeris), « in quam » deductum se praefatur laudabili contra Atheos zelo, in quos » admodum adolescens inciderat, furtim insusurrantes, nec » Deum, nec Providentiam divinam esse, sed casu fieri omnia : » quorum iam tum impietatem aversatus, coeperit cursu toto » disciplinarum, quas avide hauriebat, studio inquirere, quibus » rationibus naturalibus posset fidei nostrae articulos probare, » Entisque aeterni existentiam, omnipotentiam, sapientiam, » bonitatem sibi aliisque persuadere. » Ex talium ergo rerum dulcissima meditatione opus istud suum composuisse profitetur in octo circulos seu libros divisum; quorum gustum aliquem cum ex relatu aulicorum suorum percepisset Dux Alençonius, Regis Franciae frater, hortatus sit anno M.D.LXVIII, ipsum nomini suo inscriptum typis dare, prout fecit, occasione Regiorum Bibliorum (ut dixi) Antverpiam invitatus, humanitate Plantini et Regis Philippi auctoritate. »

VIII. « In hoc, inquit, reperies aliqua, deducta ex sacrario » Platonicae philosophiae, de anima mundi, de intelligentiis » sphaeras coelestes moventibus, de harmonia coelorum, alia- » que similia, quae nolim aliter ex me recipi quam de iis » definierit Romana et universalis Ecclesia, cuius iudicio sub- » mitto, non solum praesens opusculum, sed quidquid dein- » ceps in lucem daturus sum; imo dicta actaque mea omnia; » certus quod extra eam nulla salus inveniatur, atque in eius » manibus esse clavem omnis veritatis, quia regitur a Spiritu » Sancto, illius inexhauribili fonte. »

Encycliam sequitur ingens farrago poematum, sive odarum etiam sacrarum, ex Graecis Nazianceni versibus; post quos reperiuntur, pag. 335 et seqq. *Cantus Regii* (sic eos appellat) *super pura Virginis Sanctissimae Conceptione*. Complura quoque ad amicos varios, in iisque, pag. 273, *ad Patres Societatis Iesu*

eorumque Rectorem et Magistrum Ioannem Harlemium, atque *Magistrum Robertum Bellarminum;* inter quos scilicet expolivisse praelaudatam suam Testamenti Syriaci versionem, in sua ad hanc Praefatione fatetur.

Si librum inspicias, videbis, versa tituli pagina, effigiem viri quasi quinquagenarii, aut etiam sexagenarii, talemque credes, nisi desuper impressum legas, *Aetatis suae anno* XXX. Miraberis ergo tantam linguarum rerumque sacrarum ac profanarum scientiam, intra tam paucos annos, comparari potuisse; sed hanc grandioris aevi speciem induxisse potuit studii improbi assiduitas, quo etiam bis in gravem morbum incidisse se anno M.D.LXX et LXXI asserit, pag. 305; quamdiu autem supervixerit, et ubinam obierit, nusquam invenio.

IX. Idem mensis October, unde huc delapsi sumus, luctuosum valde exitum habuit; nam iuxta octennalem Rotulum, Caukerkium aliosque, « in Pervigilio Sanctorum omnium maxi-
» mum damnum passa Antverpia est, agrique vicini, ad Kilam
» et Hobokam perruptis aggeribus. Damnum autem quod
» Civitas pertulit in mercibus domibusque, aestimatum fuit
» ad centum millia florenorum; nec minus passa sunt nova
» moenia Civitatis. Cum autem puella quaedam, cum lumine
» intra laternam, intrasset ovile quoddam circa domum Oster-
» linganam, suas inde C.XX oves eductura, suffocata ibidem
» est, et candela lapsa excitavit incendium. Tam alta vero tunc
» fuit aqua, ut supra Kayam Anglicanam evexerit constituerit-
» que praegrandem navem, centum quinquaginta vasorum. »
Reliquam vero per maritimas provincias Belgii desolationem Strada copiose describit.

Falcontinum Registrum, domesticis damnis enarrandis intentum, eoque intelligendum relinquens quid acciderit aliis, ita loquitur: « Stabat aqua unum pedem alta in camera superiori,
» et murum, qui pomarium ab area lintearia secernit, deiecerat;

» latrinaeque perfractae, et per omnes monasterii apothecas » diffusae, quidquid edulium rerum iis reconditum erat, cor- » ruperant : puta duodecim boves salitos et cetera cum » proportione, suillam carnem et butyrum cum integro vase » olei. In domo, peste infectis destinata et segregata, Religiosa » una aegra submersa est; et quae infirmae aderat Soror, » diu pependit ex limine fenestrae, cui manus iniècerat, aqua » iam ad eius os attingente. Ea quamvis inde educta fuerit a » famulo, qui equo vectus per braxatoriam praesenti morti » ipsam eripuit, non multis tamen annis supervixit. Fuerunt » tunc Religiosae in tanta rerum omnium penuria, ut talis » calamitatis auditae sibi vel lectae nulla meminerit. Sed Dei » et bonorum amicorum misericordia eis non defuit. Moniales » enim Viae Novae *(eae scilicet quae ex prima Falcontinarum » sede depulsae, ceteris ad illam revertentibus, ibi remanserant » et priscum adhuc institutum tenebant)* panes candidos submi- » serunt; atros ex secali, Domicella van Ranst, vidua D. Ler- » miti; ollam vero integram bene coctarum carnium, Domicella » de Roomer; Minoritae, circumeuntes per Civitatem, cere- » visiam conquirebant, alii aliter succurrebant desolatis; nec » singula capere littera potest, quae scripta sunt in libro » vitae. » Sic bonae istae Virgines memoriam benefactorum suorum posteritati consignarunt, ad exemplum gratitudinis pluribus haec lecturis.

X. « Die IX Novembris, Antverpiam Bruxellis veniens » Procurator Generalis, in Ponte Merano e regione Bursae, » ex dimidio patibulo suspendi fecit proxenetam (MAKELAER) » quemdam Italum, convictum gravissimam fraudem, cum » maximo plurium damno commisisse, contrahendo super » assuratione cuiusdam navis, quam pretiosis mercibus one- » rasse se finxerat; sed, conventione cum nauclero clam facta, » de eadem nave, mox ut portum attigisset, perforanda, sic ut

» mergeretur. Sed cum ab urinatoribus extractae ab aquis » essent cistae quaedam, lineis pannis, ut praeferebatur, fartae, » in quibus nihil praeter saxa reperiebatur, in aliis vilia » scruta, compertus et fassus est veras, quas acceperat navi » imponendas, merces furto subtractas distractasque ab se » clam fuisse, non hac tantum, sed aliis pluribus vicibus; » unde contigerit, varios honestissimos mercatores foro cedere » compulsos, impares damno ferendo.

» Die xxiii, Alcaldus Hispanorum, tamquam Iustitiae prae- » positus, Hispanum quemdam militem, propter plurimam » contra cives insolentiam, iussit per cordam humeris laxatis » torqueri; qua tam levi poena hominem adeo sceleratum » defungi videntes qui adstabant cives, coeperunt in Alcaldum » scommata iacere; ille autem virga sua vociferantes percutere. » Tum unus Hispanorum, stringens gladium, caesim pun- » ctimque feriens, ita in resistentes saeviebat, ut nonnulli » mortui caderent, plures sauciarentur. Hinc in area ante » Monetam, ubi res agebatur, tumultu exorto, cum in Hispa- » num saxa iacta convolarent, necesse habuit in domum » vicinam fugere, alias certo obruendus lapidibus.

XI. « Die xxix, coelum tertio horribiliter intonans, tria ful- » mina iecit in turrim S. Georgii, cuius mox apex subito » incensus, tribus horis arsit; incendio tota turri tectoque » ecclesiae diffundendo, nisi scandularii fabri malum aver- » tissent, sic ut crux suo loco manserit. Eadem quoque » tempestate deflagravit in Flandria speciosa Abbatia Baude- » loensis.

XII. « Mense Decembri, die i, Episcopus Sonnius in aede » D. Virginis consecravit Sanctaeque Luciae dedicavit altare » Sellariorum; et die xv, fecit ex podio proclamari, ne quis Do- » minicis festisque ante prandium praesumeret, potandi causa, » ad popinam aliquam accedere, vel sphaeristeria scholasque

» tripudiantium, vel aleatorum aut pictis ludentium coetus » accedere, sub poena vestis superioris amittendae. »

A. C. M.D.LXXI.

ARGUMENTUM.

I. Silvaducis abducti et supplicio affecti Antverpiae arcis Lovensteniae proditores. II. Celebrata Antverpiae synodus Dioecesana. Consecratur Episcopus Harlemensis. III. Chorus Sanctissimi in D. Virginis, sanguine per tumultum effuso pollutus, expiatur. IV. Pastor Berchemiensis cum suo Capellano a nocturnis grassatoribus domi suae crudeliter trucidatur; duo ex sacrilegis comprehensi forcipibus candentibus publice laniantur. V-VI. Iesuitae inter Lusitanos et Hispanos utiliter laborant; vetantur nihilominus Missas facere domi suae, alienato ab eis Albano et filio eius Frederico. VII. Obitus et epitaphium Ioannis Godschalchi, laudatissimi ludimagistri.

ACTA PRIORA.

I. « Prima Ianuarii Antverpiam tribus curribus advecti Silvaducis sunt ab Alcaldo Hispano (*nos Rubrae Virgae Praefectum diceremus*) septemdecim Walones Gheusii, qui cum suo Capitaneo, Hermanno Ruyter, die viii praeteriti Decembris, interceperant arcem Lovensteniam prope Worcomium, occiso Castellano loci, eamque Gheusiis tradere moliebantur; sed generose pro ea recuperanda agentibus Hispanis, numeroque vincentibus, Hermannus quidem caesus occubuit, ceteri autem in manus victorum devenere, et, una cum caesi Capitanei sui corpore, naso, auribus et virilibus mutilo, Silvamducis adducti sunt; ubi defuncti cadaver quadripartitim ad portas expositum, caput vero supra patibulum pinnae infixum est. Erant fere omnes cives indidem oriundi; et Hermannus quidem professione lanio. Alcaldus vero, die xii,

» eorum decem suspendi fecit, duos autem aliorum incentores » ossifragio tolerando addixit; qui deinde in partes secti, » rotisque appensi sunt super calceata Dammipontem du- » cente, inter duas molas; post mensem vero inde assumpti, » et in campo patibulario sunt humati.

» Fuit autem frigidissima haec hiems, gelu per novem » continuas hebdomades durante, niveque densissima sine » intermissione diu noctuque cadente; unde factum, ut silvis » egressi lupi Mosamque transgressi, homines et equos per » vias devorarent. »

II. « Mense Februarii, Episcopus Sonnius, qui festo Puri- » ficationis coram Duce Albano eiusque Aula, in aede Cathe- » drali sua, benedictionem distributionemque cereorum, ac » deinde Missam, quam solemnissime celebraverat, die VI » eiusdem, auspicatus est Concilium Dioecesanum in Biblio- » theca Capitulari, intra ipsius ecclesiae claustrum, post invo- » catum in choro Spiritum Sanctum, praesentibus Abbate » S. Michaelis, in habitu suo solemni, cum mitra et pedo, Cano- » nicis autem omnibus sedentibus in cappa chorali circa sum- » mum altare, Parochis aliis et Curatis ruralibusque, in toga » presbyterali cum superpelliceis; nec non coenobiorum » utriusque sexus Superioribus aut Directoribus, ac Senatu » Civitatis, congruum cuique locum occupantibus; quibus, post » dictum hymnum de Spiritu Sancto, propositum est iuramen- » tum super observatione Conciliorum Tridentini et Mechli- » niensis; et, hoc praestito, *D. Franciscus Donckers*, tamquam » supremus sigilli episcopalis custos atque Canonicus Scho- » lasticus, totum diem continuavit lectionem sacri Concilii » Mechliniensis, anno superiore celebrati; et totum exacte » observandum edixit Episcopus Sonnius, adhibita etiam, qua- » tenus opus foret, potestate brachii secularis. Tertio autem » die, *D. Philippus d'Almaras* in maiori choro solemnem

» Missam decantavit de sanctissima Trinitate; et D. Donckers, » praefatus insignem ad omnes habuit orationem; Conciliumque solvens Episcopus cunctos cum sua benedictione dimisit. Denique, die XI, idem Episcopus in conventu Praedicatorum consecravit Doctorem *Godefridum*, eiusdem Ordinis, » in Episcopum Harlemensem; qui postridie ibidem reconciliavit, et, ubi opus erat, consecravit altaria eiusdem Praedicatorum ecclesiae, ab haereticis aut profanata aut diffracta. »

III. « Die XV Martii, hora IX matutina, ingens tumultus » in ecclesia Cathedrali fuit, occasione unius Lusitani Hispanique; qui cum in foro mulieri, istic ficus venales habenti, » eriperent aliquas, ipsaque resistere volens, accepto in caput » vulnere, deliquium patiens, cecidisset in terram; ad tumultum accurrentes iustitiae ministri, cum eos comprehendere » vellent, fugam illi ceperunt in ecclesiam et chorum venerabilis Sacramenti; ubi tunc Missa dicebatur. Hac finita, » cum nullus inde pateret exitus, observantibus ostia ministris, » voluerunt strictis gladiis viam sibi per obstantes facere. Ita » mox octo vel novem gladii exerti micuerunt, laesique sunt » aliqui; et, accurrente in auxilium ministrorum plebe, intortitiaque et candelabra arripiente, atque impetum in reos faciente, » unus eorum prostratus in terram est, alter etiam graviter » sauciatus in capite, sic ut chorus sanguine aspergeretur. » Re examinata, iussit Episcopus, die XVII, in Sabbato, cessare » sacra et ecclesiam claudi, affixa ad valvas charta, quae causam indicaret. Sequenti autem die, idem Episcopus, cum » summo mane ecclesiam expiasset, hora VI reserata illa fuit, » cum solemni compulsatione campanarum; et coepit Episcopus pollutum sanguine chorum Venerabilis, assistente sibi » universo Clero, reconciliare benedictione et lotione consuetis; ductaque intra ecclesiam processione, pontificali in » habitu populum luculento sermone docuit, quae reverentia

» locis sacris habenda esset, et monuit ab eis violandis cavere » sub poena capitis et bonorum; suam denique omnibus im- » pertitus est benedictionem cum Indulgentia quadraginta » dierum. »

IV. « Decima quinta Aprilis, ipso Paschalis festo, sub horam » undecimam, latrones quinque, tamquam amici admitti petie- » runt in domum *Bernardi Gerardi*, Pastoris Berchemiensis » et Decani ruralis, alias bene munitam; apertaque per famu- » lum ianua, violenter irruperunt, mandantes ancillae ut lumen » accenderet, sibique monstraret Pastoris, iam dormientis, cubi- » culum. Tum huic excitato dixerunt: Eia, Papa, nostra erunt » omnia quae habes; prius vero quam hinc discedamus, manus » nostras in sanguine tuo lavabimus. Audita comminatione » tali, vir bonus, suppliciter eos deprecatus, prompte tradidit » quidquid domi erat, promittens nullo umquam tempore re- » velaturum se quod actum erat. Sed nihilo mitiores effecti, » ipsiusmet armis coeperunt eum caedere et percutere, in- » flictis homini punctim caesimque vulneribus quadraginta » duobus; unde mox exspiravit coram vetula ancilla, quae » cogebatur lumen homicidis praeferre. Tum processerunt ad » aliud conclave, in quo dormiebat Dominus Petrus, Capel- » lanus Pastoris. Hunc cum nequirent a somno excitare, » dixit unus eorum: Volo quovis pignore deposito certare, » quod Papam istum cito faciam exsilire e lecto: sclopumque » fartum pulvere naribus eius supposuit, et laxata rota ex- » plosit glandem, quae retro post caput exivit; ipse autem » experrectus et consternatus exclamavit: Quid agitis? quid » vultis? Tunc audientes eum adhuc vivere, nudum de lecto » extraxerunt inflixeruntque ibidem iacenti duo lethalia vul- » nera, unde etiam ipse mox est mortuus. Biduo post delatum » in chorum est Pastoris corpus, positumque ante altare; » sacellanus vero ante organum quod pulsare solebat. Hinc

» Ducis Albani Alcaldus cum Domino Marcgravio, Dominoque
» Henrico van Berchem, ac Drossardo sumpsit notitiam rei
» gestae; atque post diligentem inquisitionem, duo ex malefi-
» cis deprehensi sunt, deductique captivi in turrim Pistorum.
» Torti ergo et crimen confessi, mortique adiudicati, die
» xxx Iunii educti sunt e turri, toti nudi, et supra iusticiarium
» pegma devecti sunt in Forum ante novam Curiam; ubi forci-
» pibus candentibus lacerata eorum caro est, ad singulas
» stricturas tubicine signum dante, quod toto Foro audiretur,
» coram Golca, Ducis Alcaldo, et D. Ioanne van Immerseel,
» Marcgravio, atque Drossardo Brabantiae, tamquam Officiali,
» post currum equitantibus. Itaque per pontem Vinearium,
» viamque Clarissarum, ac pontem Meranum, porro devecti
» sunt usque Berchemium; dum interim in singulis pontibus
» candentes forcipes applicarentur discerpendis frustatim mi-
» seris, sed bene meritis; iuniori ante domum Pastoris primum
» rescissa manus est, quod etiam factum fuisset seniori grand-
» aevo, nisi nimium debilitatus fuisset stricturis, sexies vel
» septies iteratis. Tum denique devecti sunt in patibularium
» campum prope leprosorium, ibique combusti vivi. » Huc
usque Rotulus octennalis, anni huius initia exactius prosecutus.

V. « Lusitanicae nationis reformationem quod attinet, eius
» curam, una cum domus regimine, suscepit *P. Petrus Frigo-*
» *sus*, et, divina aspirante gratia, commissum sibi negotium
» brevi confecit; usque adeo sua gravitate et severitate omnes
» in officio continens, ut in posterum semper eamdem refor-
» mationem retinuerint, et gratitudinem pro tam arduo labore
» ostenderint, assignata domui annua viginti librarum pen-
» sione : ceteri autem Hispani, Castellani et Baetici, quorum
» subsidiis praecipue fovebantur Patres, per singulos menses,
» magna cum caritate et alacritate, coeperunt certam eleemo-
» synam conferre ad sustentationem eorum. Quamvis autem

» postea ab hac contributione se subducerent Baetici, non
» satis concordes cum Castellanis, ab his deinde solis tantum
» collatum est quantum antea ab utrisque. Delatum est etiam
» pretium locatae domus, usquedum Rex Hispanus signifi-
» cavit, nolle se creditam a Castellanis pecuniam (cuius magna
» vis erat) restituere; quod alibi non observatum, hic placuit
» indicare.

Ad initium eiusdem Patris Frigosi alia exstitit difficultas.
« Inhibebat Reverendissimus ne domi suae celebrarent Missam
» Patres in altari portatili; quod perquam incommodum illis
» fuit, quia plures iam erant, neque tam facile reperiebant
» ministros et templum commodum ubi sacrificarent; neque
» munia domestica patiebantur multos a domo abesse. Auctores
» inhibitionis credebantur aemuli quidam, aegre ferentes
» magnum concursum militum poenitentium ad sacellum
» Patrum; iidem scilicet, qui Duci Albano suggesserunt
» timendum esse, ne per eiusmodi administrationem adiretur
» paulatim possessio domus, a qua permittenda alienissimus
» Dux erat; quare etiam Episcopum ipse monuit, interdiceret
» Iesuitis ne domi rem sacram facerent. Fecit autem Episcopus
» quod rogabatur, animo tam obfirmato, ut a sententia neque
» amicorum precibus, neque ullis rationibus abduci potuerit.
» Idem tamen eodem tempore multum contendebat ut Societas
» Seminarii sui curam susciperet, impenseque, tum e suggestu
» tum aliis locis, Patres commendabat; saepe etiam ad se
» evocabat, utebaturque eorum opera tum in visendis captivis
» in carcere, atque aegris in nosocomiis, tum in catechizandis
» pueris orphanotrophii. Mire etiam placebant illi Patrum
» Costeri et Frigosi conciones, et rudium in elementis fidei et
» doctrinae Christianae institutiones; quas ut audirent, popu-
» lum universum hortabatur frequenter ad initium ieiunii
» quadragesimalis. »

VI. « Interim passim notum erat, quam alieno a Societate » animo esset Dux Albanus; et filius eius Don Fredericus » aliquando in coetu plurium illustrium virorum palam fassus » est, Iesuitas in hac regione admittendos non esse, nec id » patriae consultum videri, cum ipsorum institutum minime » (ut aiebat) probaretur Ecclesiae et viris doctis. Atque illud » quoque non obscure testabantur pater et filius, eo facto, » quod cum Antverpiae essent, et hospitium haberent ex » adverso ubi unus Patrum concionabatur Hispanice, nec ea » lingua alius quisquam tota Quadragesima in Civitate, con- » currentibus fere omnibus ad audiendum ipsius Aulae Nobi- » libus; cumque a domesticis saepe invitarentur ut idem » facerent, numquam tamen illuc prodirent. » Credo autem divina providentia id factum, ne Patres, quos haeretici et impii, quia contra vitia erroresque ipsorum detonabant, nitebantur in odium populi adducere, in istis suis principiis duplici laborarent et premerentur invidia, quae eis provenisset ex favore et benevolentia Albani, propter exactiones praefatas vulgo exosi; ut ei potissimum a populo fuerit imputata paulo post secuta defectio a Rege et Religione.

VII. « Die III Iunii, obiit *Ioannes Godschalchus*, qui cum hic » ludum litterarium aperuisset, iuventutem cum laude docuit » annos XL, iam inde a principio Magisterii sui probatus per » Observationes linguae Latinae, anno M.D.XXXVI hic editas, et » intra quadriennium Coloniae recusas; Civitatis autem gratiam » et memoriam hic promeritus, elucubrata anno M.D.LXI, » *Antverpiani Emporii Topographia*, et quidem carmine. » Hoc priusquam laudem, videre cuperem; laudabit ipsum interim epitaphium suum ad Divi Iacobi positum, hoc modo :

D. O. M.

« Insigni probitate viro, M. Ioanni Godscalco, bonarum » artium scientia summa praedito, optimeque de iuventute

» Antverpiensi merito, Ioanna vanden Brule, carissima eius » uxor, desideratissimo optimoque marito, liberi, honorando » patri, dolenter posuerunt. Vixit annos circiter LXXIII, obiit » anno M.D.LXXI, III Idus Iunii.

» Sub lapide hoc dormio : in Christo lapide vivo. »

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Feria II hebdomadae IV post Pentecosten, actam XXIV Maii.

COMMISSARII XV *Iulii.* — Dom. de Bairlemont. — Dom. van Grobbendonck et Praeses Tissenack.

CONSULES. — Dom. Lancelottus van Ursel XVI. — VI. Magister Ioannes vander Meere.

SCABINI. — Dom. Ioannes vande Werve. — Dom. Ioannes Wolsaert. — Dom. Melchior Gronenberge. — Martinus van Ranst. — M. Gislenus Cigny. — M. Cornelius de Wyse. — M. Ioannes de Pape. — M. Ant. van Mansdale. — M. Petrus van Liere. — M. Adrianus van Heylwegen. — M. Ioannes Bacx. — M. Franc. Willighem. — M. Lucas de Meere. — M. Nicolaus Voocht. — M. Philippus Veusels. — M. Adolfus Blyleven. — Gregorius d'Ayala.

VIII. Hic mihi videtur Albano curae fuisse, ut quamplures posset Iurisperitos in Senatum legeret, satius ducenti iustitiae administrationem illis committere, quam Nobilibus aut opulentioribus civibus. Praeturam seu Marcgraviatum in eo, quo invenit, statu reliquit; sed supremam potestatem nolens credere suspectae sibi Belgicae nobilitati, et inveniens Burggraviatum, titulo iam pridem potestate vacuo, per defectionem Auriaci ad ius Regis devolutum, eum, cum potestate ac nomine *Gubernatoris Antverpiensis*, transtulit in Granvellani Cardinalis germanum fratrem; atque ita in Rotulo octennali lego quod, *die* XX

Iulii, coram Senatu iuramentum praestitit tamquam Burggravius et Gubernator Civitatis :

Dom. Fredericus Perenottus, Toparcha de Champigny.

ARGUMENTUM.

I. Fundus ecclesiae castrensis consecratur. Grassante pestilentia, vetatur commercium cum Turnhoutanis, et contagium variis modis cavetur. II. Aboletur privilegium habendi subsculteti, et Consulum unus exauctoratur, supremum iudicandi munus assumente sibi novo Gubernatore, et novam tribunalis formam inducente. Consecratur pro decedentibus ex peste coemeterium. III-V. Publicatur mandatum regium contra gestantes clam vel palam arma prohibita, et otiosorum hominum ad se ipsos tuendum conductores, Bursamque turbantes. VI. Festivissime et devote celebratur victoria, a Christianis relata de classe Turcarum sub Ioanne Austriaco. VII. Medio die spoliatur mercatoris absentis domus, et obsistentium unus occiditur. Decimi nummi instituuntur collectores, et Antverpiae recipiuntur. Mittitur contra eos in Hispaniam legatio. VIII. Grassatorum duorum, cum praeda huc adductorum, exitus.

ACTA POSTERIORA.

I. « Die xxi Iulii, novae arci benedixit Episcopus Sonnius, » et consecravit fundum, in quo erat exstruenda ecclesia Parochialis, sub titulo S. Philippi. Die xxiv, excessit Antverpia » Bruxellamque rediit Dux Albanus, eo quod hic et in circumiectis locis grassari inceperat pestilentia; et edicto » publico vetitum est, ne quis hospitio exciperet aliquem » Turnhoutanum sub poena triennalis exilii ab hac et Lyrana » civitate; adeo infectum erat Turnhoutum.

» Die autem vii Augusti, ducta est perquam devota supplicatio, ad deprecandum a Deo flagellum contagionis, in dies » magis magisque invalescentis. Cum autem curatrices funerum » accusarentur, malleolos, foribus domorum ad pulsandum » affixos, inungere larido ex domibus peste infectis sumpto, ad » latius diffundendum malum, edictum fuit, ut quicumque sub

» nocte et horis incongruis circa fores invenirentur aliquid » agere, cuius iusta causa non liqueret, absque alia iuris for» ma occiderentur. Iussi etiam sunt omnes ludimagistri et » magistrae, intra extraque Civitatem, scholas suas claudere » ad sex hebdomades secuturas. Veteramentariis quoque prohi» bitum est, aliquid supellectilis, e domibus infectis allatae, » auctionando vendere ante officinas suas, sub poena quinqua» ginta Rhenensium, his et illis indicta si contra facerent. » Interim ex peste obierunt Pastor Marianus cum suo sacrista » et Parochus Andreanus. »

II. « Tunc etiam exauctoratus fuit primarius Consul Lan» celottus van Ursel, quia novus Gubernator volebat per se » decidere lites civium, pro quibus licebat Bruxellam appellare; » et in plebeio Pleno Consilio declaratum Ambactis est, ces» sare privilegium, ipsis a Duce Philippo concessum anno » M.CCCC.XXVI, habendi subscultetum, et ius civilitatis aufe» rendi cuiquam ob crimen commissum. Idem, XVII Au» gusti, vivum in Foro maiori fecit comburi Praedicantem » Anabaptisticum, cum puella aeque pertinaci. Atque haec » fuit prima sententia novi Gubernatoris, in novo Tribunali, » quod sibi in Curia constituerat, et in quo ius dicebat cum » duobus sibi assignatis Scabinis, Domino Oddaert et Do» mino Iacobo Boon, coram assistente Marcgravio; declarave» rat enim, quod, iubente sic Aula, cessaret deinceps usitata » hactenus forma Tribunalis; et praedictis, quos dixi, ad mor» tem damnatis, praelecta fuit sententia more Hispanico. » Huius autem iustitiae causa, voluit Gubernator adesse ex » singulis sex Guldis sclopetarios centum, qui partim in suis » cameris, partim ante podium Curiae caverent, ne quis tu» multus a malevolis excitaretur. Eadem autem occasione » combusta est magna haereticorum librorum copia, apud reos » illos repertorum; simul etiam capite plexus est caementarius

» faber qui Praedicanti hospitium dederat, et apud Praedica-
» tores sepultus, quia Catholicus mori voluit.

» Die XIX Augusti, Dominica post Assumptionem Deiparae
» Virginis, ducta quidem est, ut solebat, amburbalis proces-
» sio; sed Guldis Ambactisque inhibitum, metu contagionis, ne
» in suis cameris quocumque, etiam nuptiarum, praetextu,
» epulaturi convenirent plures quam duodecim personae; unde
» questi accisiarum Praefecti sunt, uno isto die plus quam
» mille florenorum damnum sibi creatum, quia forensibus non
» licebat ad amburbalia spectanda accedere. Interim curatum
» est, ut qui in domo, peste infectis designata, e vivis decede-
» rent, in communibus coemeteriis non sepelirentur, sed hu-
» marentur in proprio ipsis consecrando; quod fecerat pridie
» amburbalium Sigillifer Episcopalis Mag. Franciscus Doncker,
» coram duobus novis Canonicis, nonnullisque suae ecclesiae
» Capellanis, et Scabinis duobus.

» Die XXIII huius mensis, publicata est Ducis Albani nomine
» indictio decimi nummi, quibuscumque mercibus, extra
» ditionem Regis Catholici aut intra eam consumendis; quod
» hic commorantes externorum Nationes tam vehementer com-
» movit, ut multi minarentur hinc discedere, dimissis suae
» negotiationis mensis tabulisque. »

III. Interim illi ipsi, ut patria, sic affectibus diversi, omnes autem augendis undecumque lucris non semper iustis intenti, in graves subinde prolabebantur excessus, dum in factiones distracti mutuo formidabiles esse nituntur; quae res male feriatis hominibus dabat licentiam violenta ac nefaria multa agendi; qua de re anxius Gubernator novus, obtinuit mandari sibi remedium efficax coercendo malo; quod factum per huiusmodi rescriptum ab Aula missum, in multis simile illi quod exhibitum anno M.D.XXXVIII. Hic tamen rursum integre reddendum censeo :

« Caro nostro et fideli Equiti, Gubernatori et Capitaneo

» nostrae Civitatis Antverpiensis, Dom. de Champigny, salu-
» tem. Cum ad notitiam nostram pervenerit, quod mercatores
» aliqui conversantes in ista nostra Civitate, occasione rixarum
» et contentionum, quas habent inter se, comitati suis famulis
» aliisque eo conductis, per vias diu noctuque procedant
» armati; quo fit ut etiam alii, ceteroqui pacifici, cogantur ad
» sui tutelam augere numerum asseclarum; eo quod multa
» otiosorum et malefactorum turba illuc quotidie confluat,
» suam ad id operam locatura, pro alimonio aut stipendio;
» nihil aliud intendens, quam occasione rixarum extorquen-
» dae pecuniae ab iis, quibus minantur malum, nisi periculum
» redimant paciscendo; etiam in ipsa Bursa, vel circa eamdem,
» quo mercatores solent negotiandi causa convenire; locum
» istum, quem oporteret omni modo quietum securumque
» servari, varie inquietantes, rixando, pugnando, verbis
» factisque sese iniuriando, prout etiam nuper contigit : quod
» quantum bonis moribus publicaeque iustitiae et tranquillitati
» et commercio civili adversetur, nemo non agnoscit.

» Hinc est quod, tanto incommodo obviare cupientes, de
» sententia dilecti Cancellarii nostri Consiliique Brabantiae, et
» ad postulationem dilecti cognati, Ordinis nostri Equitis,
» Locumtenentis, Gubernatoris et Capitanei generalis nos-
» trarum in his citimis partibus ditionum, Ducis Albani, etc.
» perpetuo hoc edicto ordinamus atque statuimus et prohi-
» bemus, ne quis, cuiuscumque conditionis vel status, audeat
» per istam nostram Civitatem clam armatus procedere;
» iubendo ut contravenientes non solum armis istis exuantur,
» sed etiam mulctentur publico ac triduano carcere, citra
» spem dimissionis celerioris pecunia obtinendae; et pro
» singulis quibus sic fuerint deprehensi vicibus, solvant
» aureos sexaginta regalis monetae nostrae, partiendos trifa-
» riam, ad nostram Officialisque et denuntiatoris utilitatem.

» Committimus autem Sculteto nostro eiusque ministris, ut » rite delatos, vel rationaliter suspectos talia arma gestare, » possint apprehendere et excutere; si quis vero iis se facto » verbove opposuerit, pro facto quidem manum dextram » amittat, pro verbo autem iniurioso centum florenos Caro» linos solvat, applicandos ut supra. »

IV. « Praeterea interdicimus ac prohibemus, ne quis, con» ditionis cuiuscumque, stipendio conductos otiosos homi» nes secum ad Bursam vel per urbem circumducat, sub » arbitraria et per iudicem definienda correctione, ad quam » volumus Gubernatorem urbis a Sculteto moneri, et in» obedientes citra dissimulationem puniri. Iubemus etiam, ut » otiosi et vagi, quibus reditus non suppetunt unde vivere » possint, intra horas XXIV post harum publicationem, ex » Civitate eiusque suburbiis discedant, sub poena flagella» tionis atque exilii. Item, ne quis, oblata sportula, ad sui » custodiam conducat milites aut alios quoscumque; quin » etiam ipsis militibus, cum fuerint triduo in Civitate, non » liceat amplius procedere cum gladiis, securibus vel alio » quovis telo in Bursa, nec permittere ut famuli sui istic » aut in vicinia eius sedeant gladiati per scamna (quia » non solum Bursam sed etiam vias illuc ducentes volu» mus servari quietas), sub poena amittendorum armorum » et mulcta quadraginta regalium aureorum. Nemo quoque » audeat, tempore ipsius Bursae, insultare alicui mercatori, » illuc eunti vel inde revertenti, factis verbisve; et qui » telum exerens, alium eo laeserit, dextram amittet; alias » primum manus suae articulum; qui autem nuda manu per» cusserit, sive sanguis sequatur, sive non, similiter primum » articulum amittet; qui verbis alteri contumeliam fecerit, aut » provocando extra Bursam citaverit, pendet viginti quinque » regales aureos. Sed et delinquentem eiusmodi celans vel

» occultans ne possit agnosci, poterit ipsemet apprehendi, et
» pro delicti qualitate criminaliter plecti ad iudicis arbitrium. »

V. « Ne quis autem horum ignorantiam possit praetendere,
» mandamus, ut in capite quatuor viarum ad Bursam ducen-
» tium figatur palus, cum affixa albi ferri lamina, in eaque
» scripto mandato, quo moneantur omnes et singuli eo acce-
» dentes tempore Bursae, deponere arma sua; iubentur etiam
» cauponarii omnes, singulos apud se hospitaturos huius man-
» dati facere certiores per se aut domesticos suos. Revocamus
» autem quaecumque indulta, certis personis aut Nationibus
» in contrarium data, ut possint cum gladiis aliisve telis ad
» Bursam accedere; et hac in re nullam admitti volumus cuius-
» cumque personae exceptionem, quia quotidie comperimus,
» quod qui ulcisci se de aliquo volunt, eiusmodi tela sub
» chlamyde occultata ad Bursam ferunt, et per se aliosve per-
» cutiunt laeduntque ipsos quibus sunt infensi; unde querelae
» et iurgia atque etiam pugnae inter Nationes nascuntur,
» tumultusque et seditiones oriri possunt. Ne quid autem
» eiusmodi posthac contingat, delinquentibus suspendium et
» bonorum omnium confiscationem decernimus; item ut si quis
» domi recipiat vel occultet eum, qui bonorum hominum ali-
» quem fustigaverit, aut fustigari fecerit, eadem, qua reus,
» poena mulctetur.

» Denique mandamus ut Scultetus, vel ei subordinatus, in
» Bursa quotidie compareat horis consuetis, cum numero
» competenti ministrorum, praedictisque omnibus vigilanter
» intendat, sub interdicto amittendi officii, si eiusmodi abusus
» gliscere permittat, cum arbitraria correctione aliis ad exem-
» plum. Et ne quis possit praetendere ignorantiam, mandamus
» hoc edictum sine mora facias per Scultetum publicari, et
» singulis trimestribus publicationem istam renovari, sub
» poena ut supra; mandantes unicuique dicta omnia observare

» et contra delinquentes procedere ad executionem poenarum
» decretarum, citra dissimulationem, conniventiam, aut favo-
» rem; et ad ea omnia dicto nostro Officiali plenam facimus
» potestatem, eique per omnia volumus obediri; quia sic
» Nobis placet. Datum Bruxellis, sub nostro contrasigillo hic
» impresso, die ultima Octobris, anno M.D.LXXI.

» *Subtus scriptum erat*, Per Regem in suo Consilio. D'OVER-
» LOOPE. *Et inferius* : publicatum et promulgatum praesens
» mandatum, primo ad gradus sive ex podio Curiae; et eodem
» tempore, hora consueta, ad Bursam, per Dlum Didericum van
» der Meeren, Subscultetum Civitatis, multis circumstantibus,
» die XII Novembris M.D.LXXI, et signatum per me A. De Man. »

VI. « Mense Novembri, die XV et aliquot consequentibus,
» coepit ter quotidie pulsari maior campana, propter victoriam
» auspiciis Philippi Regis, et ductu Ioannis Austriaci, fratris
» eius naturalis, in mari relatam de Turcis. Episcopus luculento
» sermone in sua Cathedrali postridie habito, exposuit populo
» tantam eam fuisse, quanta ab annis centum numquam de
» illis relata fuerat, divino nutu ad eum conspirantibus vires-
» que conferentibus, Pio V Pontifice Maximo, Maximiliano
» Imperatore, Venetis et Melitensibus Cruce signatis; qua-
» propter monebat omnes (quod et Parochi in suis quique
» ecclesiis faciebant) gratias Deo singulares agere pro tam
» felici successu, unde Christianitatis totius pendebat incolu-
» mitas. Deinde ducta est processio ab eodem cum toto Statu
» ecclesiastico, singulis cereum ardentem praeferentibus Vene-
» rabili, quod et ipsemet et S. Michaelis Abbas successive
» portabant; praecedebant autem Nationes exterae faces cerae
» albae gestantes, prout etiam ii qui sequebantur, Gubernator
» et Magistratus universus, post quos ibat innumera civium
» sexus utriusque multitudo.

» Eodem die, tredecim vici Civitatis et omnes Gildarum

» camerae, festivis ignibus publicam auxerunt laetitiam; qua-
» lem testatus quoque est Magistratus ante Curiam, facibus
» lucernisque coronatam, prout etiam Mariana et Iacobea
» turris aliaeque. Medio autem Foro stabat excelsa arborum
» truncarum strues, quae ne accenderetur intercesserunt
» Eleemosynarii, pretium conversuri in usus pauperum, magna
» tunc inopia laborantium propter annonae caritatem. Simi-
» liter et Nationes, puta Lusitani, ante domum suam in
» Kipdorpio; Itali et Hispani, in ponte Merano praecelsos
» malos, vasis picatis instructos, erexerunt, et vinum fluere
» plebi fecerunt. Genuenses, pauperum specialius recordati,
» obtulerunt Eleemosynariis lancem argenteum viginti quin-
» que Rhenensium cum centum aureis ad illos sublevandos;
» Osterlingi, trecenta quartalia secalis, quae tunc florenis
» tribus et duodecim stuferis aestimabantur. Denique, die xix,
» in cathedralis ecclesiae choro cantata solemniter est Missa de
» Requiem, pro Christianis Proceribus et militibus in pugna
» caesis, coram Gubernatore cum toto Magistratu; cuius
» mandato continuatus eo vespere fuit maioris campanae
» pulsus, igniumque festivitas, quamvis vehementer plueret. »

VII. « Die xx, tempore Bursae, horrenda caedes commissa est
» in Klapdorpio, domi cuiusdam mercatoris Itali, Thomae
» Balbani nomine. In hanc ingressi latrones quinque, tamquam
» amici, repererunt tres cives in culina, qui eo negotiorum
» suorum causa, simul cum uno Advocato Bruxellensi,
» convenerant. Hos confestim aggressi discinxerunt, eorum
» marsupia cum pecuniis auferentes, sed cum unus ex eis,
» pannorum sericorum propola, Ioannis Michaelis nomine,
» quaereret quomodo tam facile paterentur sibi suam auferri
» pecuniam, ipsum, laxato in caput eius sclopo, traiecerunt,
» dicentes : Occidamus nebulonem quia proderet nos. Deinde
» capsarium coegerunt aperire domini sui, in Bursa absentis,

» arcam; qua spoliata, abstulerunt quidquid portare poterant » speciosioris telae sericeae ac laneae, et egressi miscuerunt » se aliis circum domum stantibus, atque successum praesto- » lantibus, ut creditum est.

» Die ultima, Dux Albanus per totam Brabantiam, Flan- » driam, Hollandiam, Zelandiam, Frisiam Gallo-Belgicam et » Hannoniam, iussit mandatum promulgari pendendi in per- » petuum nummi decimi ex omni cibo et potu omnique re » in commercium venire solita, quoties alienaretur, missis » ad eum colligendum ab Aula Bruxellensi Commissariis » Regiis, qui per universas civitates, pagos et terras Collectores » Receptoresque ordinarent, delectos ex opulentioribus, qui » reliquos ad solvendum cogerent, quamvis civitates in suis » plebeiis consiliis necdum in id consensissent; sed soli Epi- » scopi et Praelati ac Nobiles. Hinc toto Belgio magna fuit » commotio; minor tamen Antverpiae, ubi Collectores absque » iniuria admissi receptique fuerunt ad suum iuramentum » de suo officio fideliter exsequendo, die x Decembris. »

His ex Rotulo octennali sumptis addatur, ex Secretariorum Valkenisse Adversariis, decessoris sui de Moy Commentarios allegantium, quod, occasione nummi x et xx, ab Albano exigi coepti, ab Ordinibus Belgii in Hispaniam deputati sint ad Regem aliqui; qui quamdiu et quid ibi egerint, in iisdem Commentariis fuse explicatur; effectum autem hunc fuisse, ut, cum eos in reditu esse audiret Albanus, obtulerit Ordinibus ab ea exactione desistere, mediantibus duobus millionibus annue solvendis; sed non invenio sub hac conditione aliquid trans- actum esse.

VIII. « In Decembri, die viii, Antverpiam veniebant navigio » latrones duo, habentes plus quam trecentos thaleros, quos ta- » bellariis Brugensi et Cortraceno per viam eripuerant; quo cog- » nito, Antverpienses satellites (prodiderat enim eos Drossardus

» Aertselariae, adventum eorum praevertens) observabant eos,
» coegeruntque navarchum applicare ad Geranium rubrum,
» in ripa post S. Michaelis, eosque simul cum praeda ceperunt;
» sed dum eorum unum, iam vinctum fortiter, de navi in
» Kayam ducerent, ille ex ponticulo, ad id strato, desiliens in
» Scaldim, ductorem suum secum traxit, et uterque submersus
» est; fur vero, postridie ab aqua extractus, ad patibulum, quod
» ut grassator meritus fuerat, appensus; alter vero, cum sequi
» nollet, rudente ligatus tractusque ex navi in ripam, atque in
» carcerem ductus; ubi, cum diu tortus nihil fateretur, inter
» tormenta est mortuus Dominica quadam die, et socio in
» patibulo adiunctus. »

A. C. M.D.LXXII.

ARGUMENTUM.

I. Obitus et epitaphium Philippi Nigri, primi denominati Antverpiensium Episcopi.

ACTA PRIORA.

I. Arnoldus Raissius, Duacenas, Belgicam suam Christianam anno M.DC.XXXIV Duaci evulgans, orditur suffraganeas Archiepiscopatus Mechliniensis Dioecesis ab Antverpia nostra, ut quae sit urbs totius orbis decantatissima, seriemque Episcoporum eius hoc modo : « PHILIPPUS NIGER, cognomento DE CAMPO, Boloniensis,
» iuris utriusque Doctor, Velleris Aurei Cancellarius et in
» D. Gudulae Bruxellis Decanus, Carolo V gratus, primarius
» Antverpiensium a Philippo II, Rege, Belgarumque Principe,
» designatus Episcopus anno a Christo nato sesquimillesimo

» sexagesimo secundo; quo etiam anno vita defunctus, ante-
» quam Episcopatui inaugurаretur. Sepulturae locum habet
» in D. Gudulae, quae primaria est Bruxellensium aedes,
» cum hoc epitaphio :

D. O. M.

CANDIDA DE NIGRIS.

Exstinctum luget tum plebs, tum Curia Nigrum
Consilium haec eius, altera sensit opem.
Si quid erat Nigri, tamen amplius omne repostum est
Hoc isthoc tumulo, cetera candor habet.
Vive, precor summi candore, PHILIPPE, *beatus,*
Candida dum fiant, quae modo Nigra iacent.

Quaesivi num vel epitaphium hoc vel alia memoria aliqua Bruxellis superesset : inventum est nihil; ab Iconoclastis dissipatum credo.

CONTINUATIO MAGISTRATUS.

IV APRILIS, *in Parasceve Domini ante Pascha.*

CONSULES *ergo fuerunt.* — Dom. Lancellottus van Ursel XVI. — VI. Dom. Ioannes vander Meeren.

SCABINI *quoque iidem omnes.*

II. Quod Officiales ceteros attinet, hi in Fastis Mss. valde inconstanter notantur; nam Pensionarii, qui fuerunt anno M.D.XXXVII, *Mag. Adrianus Herebout*, et *Mag. Iacobus Maes*, adhuc erant anno M.D.XLVI, quando primo morienti successit *Mag. Wilhelmus Martini;* neque deinceps notantur aliqui, vita vel officio defuncti, ante hunc praetitulatum annum, quo fuisse scribuntur Pensionarii *Mag. Ioannes Gillis* et *Mag. Gisbertus Nys*;

cui, mense Decembri, vitam cum morte mutanti successit Mag. *Engelbertus Maes*, filius verosimiliter praenominati *Iacobi*. Idem dicere possim de Secretariis et Graphiariis, atque Quaestoribus, si operae pretium foret horum quoque successiones scrutari.

ARGUMENTUM.

I-II. Instituuntur novae Camerae Iustitiae et Rationum. III. Ob decimi nummi exactionem primam motus ubique magnus; et, capta a Gheusiis Brila, Hollandia Zelandiaque deficiunt. IV. Gubernator urbis, Granvellani frater, Helenae Brederodiae, viduae fratris alterius Thomae, coenotaphium apud Carmelitas erigit. V. Recuperatis, quae Auriacus ceperat, oppidis, expilatur Mechlinia ab Hispanis, eaque occasione enitet charitas Iesuitarum. VI-VIII. Habitationi stabiliendae obnituntur invidi etiam per eorum Apostatam Vienna Austriae profugum et Seminario Episcopali Antverpiensi incubantem. IX-X. Ioannis Goropii Becani, Medici et Philologi, obitus et epitaphium.

ACTA POSTERIORA.

I. Secretarii, in suis Analectis, docent quod, « sub hoc biennali regimine Antverpiae stabilita est Camera Iustitiae, cuius » caput erat Dom. Fredericus Perenottus, Toparcha de Champaigny, cum titulo Gubernatoris Antverpiensis, iunctos sibi ad » consilia habens duos ex Senatu Brabantiae Consiliarios, quorum senior Dominus Oddaert dicebatur, ex ordine Equestri; » alter Mag. Cornelius Boon, filius Mag. Iacobi Boon, et Consiliarius ordinarius in Brabantia; Consul externus Antverpiensis, Dom. Lancelottus van Ursel, Eques; Mag. Cornelius de » Wyse, Scabinus; et Mag. Adrianus van Dyck, Graphiarius; » ac denique Petrus van Wayenberg, Brevioris Virgae apparitor » et Huxarius. Ad hos spectabat iudicium causarum omnium » criminalium; civilium autem excedentium summam ducentorum florenorum, secundum instructionem anno priori » M.D.LXXI desuper confectam.

» Similiter instituta fuit nova Camera Rationalis, loco The-
» saurariae; cuius duo erant capita, scilicet Butkens et Dom.
» Henricus van Berchem, Eques, ac porro Commissi et Contra-
» rotularii respective, Mag. Paulus Schuermans, Aegidius
» Happaert, Ioannes van Woonsele et Abraham 's Hertogen,
» unusque Graphiarius Cornelius Lanschot; secundum simi-
» lem instructionem, secundum quam ipsis licebat ex Consilio
» Civitatis assumere quoscumque Scabinos, Pensionarios, Se-
» cretarios, Graphiarios sibi complacitos, secum suffragium
» habituros; quorum qui minimus conditione erat, prior debe-
» bat suam sententiam dicere. Hic autem Senatus tribunal
» suum habebat in Curia, in ea Camera quae a Podio nomen
» habet; Collegium vero solummodo iudicabat de casusi ducen-
» tos florenos non superantibus. »

Hae ambae novitates abrogatae fuerunt die XVI Ianuarii M.D.LXXIV, Stylo Brabantico; quando civitati Antverpiensi restituta sunt antiqua sua omnia privilegia et usus; et consequenter ipso anno M.D.LXXIV, (qui erat LXXV, stylo communi) renovatus est Magistratus XVI Ianuarii, ut infra sequitur.

II. Instructionem utramque, ab Albano missam, invenit Pensionarius Edelheer, minori papyraceo Privilegiorum Codici insertam, a fol. 320 ad 341 et a fol. 348 ad 379 : utramque autem compendio exhibens, addit, « contra primam quidem
» rescripsisse Magistratum, cuius auctoritas valde restringe-
» batur, die XV Iulii (credo, huius anni M.D.LXXII), sed frustra;
» alterius vero epitomen talem exhibet, ut ea intelligatur
» spectare ad sublevationem aerarii publici, valde praegravati.
» Iubentur autem esse in ea Camera Superintendentes duo,
» quatuor Magistri rationum, Graphiarius unus, Assistentes
» duo, iidem qui Pensionarii Civitatis; Quaestor unus, famuli
» duo. Praescribitur etiam forma iuramenti a singulis prae-
» standi, et quos libros, quaeque registra curare quique

» debeant, ut accurata notitia haberi possit personarum, quarum » reditus venderentur; et hi reditus iubentur ex uno in alium » librum transferri, translatique deleri ex libro priori. Tum » additur, quisnam debeat audiendis rationibus praesidere, » et quomodo nominari : quis ordinare solutiones, et quomodo » expedire : quomodo bona Civitatis elocari debeant; quae vero » collectanda sunt, quomodo et quando ea vendi possint: » quinam etiam ad ea locanda admitti non possint, neque ad » id eligi; atque ut imprimis excludantur ipsius Camerae » membra vel ministri. Opera publica Civitatis, et redituum » ad hanc spectantium venditiones iubentur in particulari » libro, intra Cameram servando, sigillatim notari; haberi » etiam ibidem debet Codex gravaminum et proventuum an» nuorum Civitatis; quibus recognoscendis vacabitur diebus » omnibus Sabbatinis in ipsa Camera, cuius officiales non pote» runt accipere ulla munera. Denique indicatur quomodo » Ministri Camerae ab officio solvendi sint, et ad quas mulctas » ratione absentiae obligandi. »

III. His praemissis, quae quam certum est ad praecedentem praesentemque annum pertinere, tam impossibile est certo mensi dieique adscribere, venio ad certa huius anni gesta; ac primo indico, quod, « urgente decimi ac vigesimi nummi » contributionem Albano, magna ubique per Belgium fuit » animorum conturbatio, et obmurmuratio variis in locis, » adeo palam, ut Bruxellis, ubi Dux ipse residebat, imminenti » festivitate Paschali, quae tunc in VI Aprilis cadebat, clausis » officinis pistorum, cerevisiarum atque laniorum, nihil ve» nale tota urbe reperiretur eorum quae sunt ad esum po» tumve necessaria. Hoc tanto sui praesentis contemptu irri» tatus Dux, iusserat ex auctoribus ipsius contumaciae aliquos » ipsa nocte in carcerem rapi, et, facto die, apparari patibulum; » ad quod educti rei, cum iamiam infelici laqueo innectendi

» essent, liberavit eos subitus de Brila a Gheusiis capta nun-
» tius, nimium verus; capta autem ea fuerat in Dominica
» Palmarum.

» Eo nuntio nonnihil conturbatus Dux, ac videns paratam
» plebis ea fama exanimatae seditionem, tantisper differri
» supplicium iussit, captivis ad carcerem reductis; aliae per
» Hollandiam et Zelandiam urbes secutae sunt; quo successu
» animatus Auriacus, iterum in Brabantiam Flandriamque
» intrat, et utrobique oppida multa in suas partes trahit,
» vel praesidio, quod recusaverat, destituta levi negotio occu-
» pat; sed obsesso Montibus Hannoniae fratri succursurus Prin-
» ceps, et nocturna Hispanorum irruptione castris suis fugatus,
» tam facile amisit omnia quam cito obtinuerat. »

IV. « Die vi Maii, obiit Helena, filia Domini Reginaldi de
» Brederode, vidua Thomae Perrenot, Comitis de Cantecroy,
» Ordinis Alcantarae Commendatorum, Domini de Granvella,
» Hanricourt, Chantonay etc. » Ita Leo Belgicus, pag. 122; addens sepultam esse in summo choro apud Carmelitas Antverpiae. Hoc ut crederet auctor, fecit illius coenotaphium insigne, ibidem supra ostium Sacristiae positum in praegrandi marmorea tabula, insigniis magnae Nobilitatis circumcirca dispositis ornata, tenoris huius:

D. O. M. S.

« HELENAE DE BREDERODE, illustrissimi Reginaldi, Equitis
» Aurei Velleris, filiae, viduae Thomae Perrenot, Comitis a
» Cantecroy, Ordinis Alcantarae, Commendatoris Salameae,
» Domini de Granvelle, Hurincourt, Chantonai etc. Philippi
» huius nominis II, Hispaniarum Regis, Oeconomi et a
» Status Consilio; a quo etiam Civitatis Antverpiensis Guber-
» nator fuerat designatus; Fredericus Perrenot, Baro Re-
» gnaci, Aspremont D. S. Lupi, Champagney etc., eiusdem

» Civitatis Gubernator, fratriae carissimae, post omnem in
» deplorato morbo operam frustra exhaustam mortuae, annua
» sacra pietatis ergo instituit, et ad memoriam eius hoc
» coenotaphium posuit. Obiit pridie Nonas Maii. Corpore in
» Perrenotorum monumentum Vesuntium apud Sequanos elato
» anno M.D.LXXII, cum vixisset annos XLIIII. »

Fuerat operae pretium haec legere eos, qui, nescio quo in Cardinalem Granvellanum livore, persuasum voluere, virum tantum plebeia dumtaxat familia ortum fuisse, cuius frater illustrissimae apud Belgas familiae innupsit.

Redeo ad rempublicam, unde profugus Auriacus quidquid superiori incursione occupaverat, eadem qua ceperat facilitate, omisit. Albanus autem, maiori celeritate quam clementia usus, ex sic receptis locis alia gravibus mulctavit pecuniis, alia militi diripienda dedit. Ultimam hanc sortem Mechlinia tulit; quae quid initio Octobris passa sit, historiae Mechliniensis scriptoribus explicandum relinquo. Rem ipsam oculis spectandam subiicit Leo Belgicus, pag. 191 v.° Quid autem solatii a vicina Antverpia acceperint infelices cives, praetermittere non debeo, dum lego notatum, quod eorum plurimi ad indusium usque spoliati et huc confugientes, amantissime accepti passim sint, non solum gratuito hospitio cum uxoribus liberisque, sed etiam cibo recreati vestibusque contecti. Eleemosynarii quoque miserunt Mechliniam navigium internum, pane, butyro, caseo onustum, in omnium egenos distribuendis.

Laudis vero, ex eo caritatis officio profectae, partem praecipuam habuit Societas nostra. Rem Famianus Strada minime perfunctorie narrat, lib. VII; ego ex domestica historia refero, quae sic habet :

V. « Cum milites, qui urbem fuerant depraedati, omnia
» pene spolia Antverpiam inveherent, ibi divendenda, Patres
» nostri subornaverunt mercatores quosdam, qui ea quam

» possent minimo redimerent atque eodem pretio dominis
» permitterent. Fuit et alius Pater designatus, qui cum certis
» personis recuperaret bona sacris locis et hominibus religiosis
» erepta. Hac nostrorum industria factum est, ut multis tum
» Religiosis tum secularibus erepta restituerentur. Fuit etiam
» alia inita ratio, qua subveniretur iis qui adeo erant exspo-
» liati, ut quo sua redimerent supellectilia non haberent.
» Adierunt Episcopum, ut, si annueret, cum primariis quibus-
» dam viris, quibus aliqua esset apud plebem auctoritas,
» stipem emendicarent, qua subveniretur pauperum Mechli-
» niensium inopiae. Probavit ille nostrorum consilium pium,
» et promptos se obtulerunt alii ad hoc officium pietatis;
» itaque hi cum Superiore nostro adiere civium potentiorum
» domus, a quibus, praeter magnam pecuniae vim, variam
» etiam supellectilem collegerunt. Fuerunt etiam alii honora-
» tiores deputati, pro Nationum varietate, a quibus magnopere
» subventum fuit spoliatorum indigentiae.

» Sed nec hoc tam laudabile opus caritatis immune fuit ab
» invidorum et aemulorum obtrectationibus. Nam alii asse-
» rebant, hoc astu quodam a nobis esse factum, ut hac via
» magnam auri atque argenti vim conflaremus, quae collegio
» erigendo satis esset; alii aliam in partem accipiebant. Cum
» autem postea Albani successor, Magnus Commendator, venis-
» set in urbem, aiebant, nos illis temporibus collegisse unde
» ipsi mutuum daremus, quo constantius bellum gereret con-
» tra haereticos. Ceterum utcumque hoc pium opus acceptum
» fuit a malevolis, Illustrissimus Cardinalis Granvellanus ma-
» gnas Patri Superiori egit gratias per fratrem suum D. de
» Champaigny, pro tam insigni caritatis officio, quod Societas
» ecclesiae suae Metropolitanae impenderat. Plurimi etiam
» cives perquam bene aedificati eo facto sunt; et nomen
» Societatis, eatenus obscurum, vehementer est illustratum. »

VI. « Incidit in haec tempora quaedam alia difficultas. Nam
» cum Dom. Ferdinandus de Frias, Societatem praecipua
» benevolentia prosequens, et liberalitate sustentans, id solli-
» cite ageret ut Patres perpetuo possent Antverpiae stabiliri,
» contranitebantur quantum poterant aemuli, eoque profece-
» rant, Ducis Albani (ut ferebatur) opera, ut locus, quem ex
» parte inhabitabant Socii, Architypographiae et Bibliothecae
» Regiae applicaretur; huiusque applicationis instrumentum
» publicum Regio nomine iam confectum erat, non sine
» magno eorum sensu, qui pridem oculos illuc coniecerant,
» tamquam in locum instituendo collegio maxime idoneum.
» Sed hunc aemulorum conatum Deus vertit in melius; nam
» licet Christophorus Plantinus nulla ratione induci potuerit,
» ut munus hoc a Rege oblatum susciperet cum incommodo
» Patrum quibus optime volebat, fuerunt tamen animi merca-
» torum, collegii appetentium, ad alium locum inquirendum
» traducti; quod dum fiebat, nec facile erat invenire aptum
» satis, colligebatur supellex varia, qua domus, ex istis
» angustiis educta, instrueretur. Interhaec accidebat frequen-
» ter, ut Parochi, in quorum Parochiis sua Patres obibant
» munia, mutarentur; cumque eorum plerique minus recte
» afficerentur Societati, fiebat ut identidem mutandus esset
» nostris ministeriis locus. Hic vero cum non illico innotes-
» ceret piis hominibus, nostrorum ministerio usuris, impedie-
» batur etiam spiritualis fructus, in stabili loco colligendus. »

VII. « Denique Antverpiam venit, novumque Patrum pro-
» fectui impedimentum obtulit quidam Theodorus Tilmannus,
» ex nostro Viennensi Collegio profugus; qui cum Reginae,
» in Hispaniam proficiscenti, se quasi adhuc Iesuita insinuasset
» ea qua pollebat affabilitate; ab ipsaque impetrasset pecuniam
» pro suscipiendo Lovanii Doctoratu; et hunc astu quodam
» sub camino (ut dicitur) impetrasset, factus Hispanorum

» quorumdam adolescentium paedagogus, visus est aemulis
» Societatis idoneus, tam ecclesiasticis quam secularibus, qui
» ad Episcopale seminarium promoveretur; effecturus scilicet,
» iuventutem Seminario adscriptam docendo, ut Patrum opera
» minus necessaria videretur. Hac spe conduxit e regione
» Seminarii magnificas aedes, et edidit speciosum librorum a
» se explicandorum catalogum; incedebat autem magno cum
» fastu, festis praesertim diebus, holosericam togam talarem
» indutus, cum tribus famulis et quinque praeceptoribus,
» quorum se Rectorem dicebat. Sed, contracto brevi magno
» alieno aere, fecit ut Episcopus, Capitulum, et Senatus,
» quorum auctoritate fulciebatur, cito agnoverint se deceptos,
» maxime cum etiam concubinarius esset, ut graviora eius
» scelera in Seminarium inducta taceantur. Tenuit tamen ad
» biennium personam assumptam, et, modo ad Pastoratum
» modo ad Canonicatum aspirans, ac denique etiam Medicum
» effingens, non desinebat Societatem eiusque institutum
» traducere, quaedam sibi nota perperam interpretando, et
» multa pessime comminiscendo.

» Tantis difficultatibus undique pressi Patres, desierant pro
» collegio acquirendo sollicitius agere, et Deo totam rem
» committentes, eo diligentius incubuere suis functionibus,
» quo minus spei humanae supererat. Itaque Pater Frigosus
» concionabatur vernacula lingua ad frequentissimum audito-
» rium; hispanica gallicave ad milites in castro P. Michael
» Fernandez; alii in Nosocomio versabantur, alii in scholis
» tradebant pueris doctrinam Christianam, alii festis ac pro-
» festis diebus in aliquo ex primariis templis excipiebant
» poenitentium confessiones, tam incolarum quam advenarum;
» iisque administrabant Eucharistiam pari cum aedificatione
» et fructu, eo loci ubi frequentior Sacramentorum usurpan-
» dorum consuetudo adhuc erat ignota. »

VIII. « Circa idem tempus Antverpiam venit *P. Ioannes* » *Astensis*, Rectoratu Brunsburgensi perfunctus, opportunumque » Sociis subsidium ferebat in audiendis confessionibus » ac verbo Dei disseminando. Hunc cum Parochialis cuiusdam » fabricae Praefecti rogassent, ut per sacras Dominici adventus » et Quadragesimae ferias in suo templo conciones » haberet, sic populum permovit ut chorus, qui defectu » pecuniae inchoatus pridem iacebat, magnifice exstructus » atque perfectus sit. » Hoc ut de Walburgensi potius intelligendum putem, facit Caukerkius, asserens, huius ecclesiae chorum consecratum ab Episcopo Sonnio fuisse anno M.D.LXXIV; de Iacobaeo autem, etiam pridem inchoato, nihil tale adhuc inveni, nec is hoc seculo perfectus fuit.

« Dum haec aguntur, invaluit rumor, Albanum Ducem ex » Belgio in Hispaniam revocandum. Quare D. Ferdinandus de » Frias, Iesuitarum amantissimus, licet apud Ducem hactenus » noluisset pro ea impendere magnam, qua apud illum valebat, » gratiam, nihil ultra cunctandum ratus est, quin ei conaretur » persuadere permittendum Patribus, priusquam abiret, » stabile in Civitate domicilium. Eum vero iam minus contrarium » expertus, statim obtulit quatuor ducatorum millia ad » locum emendum, et alii quidam cives duo adiunxerunt; » quare fautores reliqui omnem dederunt diligentiam in loco » apto quaerendo, qui toto hoc anno inveniri vix potuit; » Iesuitis interim, in loco DE BACKELEY anguste habitantibus, » et ecclesia Carmelitarum ad suas functiones utentibus, quoad » per invidos licuit. »

Vias a Regia via abductas, nec largas et arboribus amoene consitas, *Leyas* nominamus, talesque nonnullas hic novimus medias inter domus ac moenia Civitatis; sic a tostulis venalibus DE VLAEYKENS-LEYE dicitur ea, quae adiacet novis moenibus, a Georgiana ad portam Begginarum, versus planitiem castri ducta.

Similiter BACKELEY, a porcis dicta, etsi nunc nomen exoleverit, videtur fuisse obiecta muris a Coriariorum turri versus Kipdorpiam tendentibus, ubi habitantes Iesuitae, satis propinqui erant Carmelitanae ecclesiae, ad quam tunc temporis, quo solus chorus perfectus stabat, accedebant per Wapperam, contraria quam nunc via.

IX. Finio hunc annum cum elogio IOANNIS GOROPII, a patria sua Hilveraebeka, nobili Campaniae Brabanticae municipio, dicti BEKANI, non quidem Antverpiae tumulati, sed clarificati *Originibus Antverpianis*, quas vivens hic typis Plantinianis vulgavit. Mortuum laudavit Aubertus Miraeus, inter *Elogia Belgica, sive illustrium Belgii scriptorum, qui nostra patrumque memoria vel ecclesiam Dei propugnarunt, vel disciplinas illustrarunt, quorum eo in opere vitae breviter commemorantur.* Goropium autem laudans, pag. 102 et seqq. dicit, « quod a » cunabulis poene in litteris eruditus, deinde Philosophos » inter enutritus, exactam Hebraicae, Graecae, Latinae, » aliarumque linguarum scientiam, Romulo Amazaeo, homine » Italo, praeeunte, consecutus est. Aetate grandior, ad exqui- » sitiorem ingenii cultum Hispaniam, Italiam, Galliam et » alias provincias peragravit. Duarum Reginarum, Eleonorae » Galliae, et Mariae Pannoniae, Caroli V Caesaris sororum, in » Hispania diu medicus fuit, ob id, quoad viveret, insigni annuo » vectigali donatus. Post in Belgium redux, multos annos » Antverpiae medicinam fecit.

» Vir certe praecellentis ac divini propemodum ingenii, qui » novo docendi genere demonstrare conatus est, vetustissimam » illam Philosophiam, quam olim Linus, Orpheus, Thamyrus, » aliique tradidere, ab ipso Noacho eiusque filiis, Iapeto » praesertim, profectam esse, ac gentibus, ad quas, Deo duce, » delati fuerint, traditam; eamque cum sacra Moysis historia » optime convenire. In qua investigatione, dum scriptorum

» omne genus maximeque Poetas, qui pene soli (si Platonem
» cum paucis excipias) ultimae antiquitatis reliquias nobis con-
» servarunt, sedulus evolvit; novis dein semper (ut dies diem
» docet) suppeditantibus argumentis, quod de Philosophia dixi
» ad Theologiam transtulit, ostenditque priscam illam Poesin
» seu Musicam, quae tota divina a veteribus credebatur,
» a Catholica Religione (si fabularum involucra demas) verbis
» ac figuris quidem, sed re ipsa parum aut nihil discrepare....
» Equidem non ignoro (inquit Miraeus) fuisse, qui acer-
» bius eius asserta de Ambacto, Gigantibus, Noachi arca et
» Nilo fluvio perstrinxerint; sed amici sui patrocinium Levi-
» nus Torrentius praefando suscepit, atque ut non omnes hac
» in re habuit adstipulatores, his tamen lucubrationibus suis
» abstrusissimarum disciplinarum arcana plurima e tenebris
» eruit in lucem, et ad eadem accuratius cognoscenda docto-
» rum ingenia mirifice exacuit. »

X. « Ceterum aetate grandior, aliis se functionibus abdicans,
» in Bibliothecam se abdidit quamquam a Philippo II, Hispania-
» rum Rege, ad valetudinis suae curam ingenti pollicitatione
» ac regali torquis aurei munere accerseretur. Summa in gra-
» tia Grasbeke, Cardinalis et Eburonum Principis, fuit, multis-
» que ab eo donis honestatus. Leodico-Traiectum-Mosae, a
» Methymnae-coeli, Duce Hispano, evocatus, cum, podagra
» tentatus, Mosae flumini pedes, artis suae oblitus, intu-
» lisset, lethalem in morbum incidit. Moriens, domum, uxo-
» rem (quam perhonestam et praedivitem duxerat), liberos,
» et ingenii sui partus nondum editos, Torrentio commen-
» davit; qui postea Plantino, Architypographo Regio, eius
» Hieroglyphica cum adiunctis publicanda dedit, et marmo-
» reum illi tumulum Traiecti ad Mosam in odeio sodalium
» Franciscanorum curavit exstruendum, inscripto eiusmodi
» epitaphio :

D. O. M.

Ioanni Goropio Bekano, divinarum atque humanarum rerum bonarumque artium peritissimo, Catharina de Cordes, uxor, et filiolae duae, coniugi ac parenti dulcissimo, cum lacrymis posuerunt, procurantibus Laevino Torrentio et Gaspare Surchio, quibus res ille suas moriens commendavit. Vixit annis LIII, *obiit* IV *Kal. Iulii anno* M.D.LXXII.

A. C. M.D.LXXIII.

ARGUMENTUM.

I. Expeditiones Gheusiorum et Regiorum in Scaldi, successu vario.

ACTA PRIORA.

I. « DIE XIII vel XIV Ianuarii, praesumpserunt Gheusii Vlis-
» singani, cum navigiis aliquot, sub horam secundam noctis,
» ad Caput cerevisiarium, HET BIERHOOFT, accedere, indeque
» non observati abstrahere naves septem, ad ripam stantes; quin
» etiam successu audaciores, ad novam Civitatem, necdum
» satis muratam, exscendentes aliqui, deprehensos ibi cives
» quosdam, obstructo ore ne clamarent, inde in naves suas
» attraxerunt et Vlissingam deportarunt. Non diu tardarunt
» Antverpienses ad ultionem sumendam parare naves suas,
» quarum triginta quinque, bene ad pugnam instructae, hinc
» solverunt XXVIII Februarii, non sine spe ipsam Vlissingam
» occupandi: sed, nulla re peracta, reverterunt XII die Martii.

» Rursus autem, XVII mensis eiusdem, egressae anchoras iece-
» runt inter Neusen et Biervliet; quo advenientes Vlissingani,
» acre certamen commiserunt, et multis utrimque caesis

» victoria a Gheusiis stetit; qui complura navigia pluresque in » iis Hispanos ceperunt, et cum iis Vlissingam triumphabundi » remearunt. Hispani autem reverterunt cum corpore Capitanei » sui, mortui in pugna; illudque magna cum pompa sepelive- » runt in choro S. Circumcisionis, alias Equitum dicto. »

CONTINUATIO MAGISTRATUS.

Fasti Mss. notant, quod annus coeperit in die Veneris Sancto, xx scilicet Martii, quo utrum continuatus sit prior Magistratus, an vero xx Maii (ut mihi scribit Advocatus Nys), non satis mihi liquet : certum manet continuatum omnino fuisse, nullo vel Consulum vel Scabinorum mutato, nisi quod morienti illorum uni substitutus sit alius. Scribantur ergo huius anni :

CONSULES. — Dom. Lancelottus van Ursel XVIII. † *Suffectus* Dom. Ioan. van Schoonhoven. — VI. Mag. Ioannes vander Meeren III.

SENATORES *qui supra.*

ARGUMENTUM.

I. Victoria de Zelandis in fluvio relata, succurritur Middelburgo obsesso et fame presso; deinde simile subsidium saepius et vario successu tentatur. II. Iesuitae impetrant habitationi suae domum Aquensem. III. Albano successurus Commendator Requesenius advenit et regimen suscipit.

ACTA POSTERIORA.

I. « DIE XVI Aprilis, post meridiem, Episcopus noster, cum » Canonicis aliquot et Proceribus Hispanis, processit ad ripam » foro frumentario Zelandico obiectam, et inde solemniter » multaque cum deprecatione benedixit XXXV Antverpiensium » navibus, tentaturis subsidium inferre obsesso a Zelandis » Middelburgo; quod post acrem pugnam victoribus nostris » successit die XXI; quapropter pulsata postridie maiori

» campana, actae sunt Deo solemnes gratiae. Idem denuo » factum prima Maii, propter concordiam cum Anglis con- » clusam, et eo die publicatam; eademque de causa Senatui, » aliisque praecipuis Dominis, partem in ea laetitia potiorem » habentibus, apparatum pomposum epulum fuit.

» VII Iunii, Middelburgo advenit eiusdem civitatis oneraria » rubra, cum tribus celocibus, varias merces advehens, et » XXVIII equos, spectantes ad Capitaneum Beauvois, biduo post » secutum, relicto ad custodiam civitatis Domino Wakhe- » miensi; sed hic, dum nititur fortiter agere contra obsidentes, » erumpens cum quadringentis Hispanis, caesus ab hoste » occubuit I Iulii.

» IV Augusti, iterum Antverpia expedita est classis, Middel- » burgo succursura, navium bellicarum LXXII; quarum XIX huc » redierunt die XXVII; et cum aliis XXII eodem revertentes » secum avexerunt Capitaneum Beauvois, urbis obsessae » Praefectum.

» IV Septembris, appulit ex Hispania Dux Medina-Coeli, » Belgio praefuturus pro Albano, et die XXV, Bruxellam abiit; » non tamen suscepit regimen, mutato (nescio qua de causa) » consilio Regis, Commendatorem Castellae Requesenium ei » muneri destinantis. Interim, die XIV, solverunt hinc in » Zelandiam naves XXX aut XXVIII, commeatu onustae, eoque » exposito, reverterunt XIX; rursumque die XVII Novembris, » nova classis subsidiaria navium LXX. »

II. « Dum ita pro iuvando Middelburgo satagitur in flumine, » Societatis Iesu Patres, pro idonea domo reperienda sollicitos, » recreavit pia quaedam matrona, suggerens eis suae sororis » domum, Nationi Italicae oppignoratam, fortassis esse ven- » dendam, nisi praefinito tempore solvatur eo nexu. Erat ea » domus in media Civitate, facile primaria, qua Carolus V cum » Philippo et sorore Maria, Hungariae Regina, aliquando

» excepti fuerant; ante annos XL (sub gradibus lapideis nota » anni M.D.XXXIX legitur) ex fundamentis aedificata a potenti » mercatore Erasmo Schetz, eo loco ubi Aquisgranenses suarum » mercium stapulam aliquando habuerant; unde usque modo » nomen manet *Domus Aquensis*. Eam opportunitatem ad » se delatam non audebant Patres proponere amicis, eo quod » non nisi maxima pecunia esset comparanda; nam et ipsa » Civitas dicebatur triginta ducatonum millia obtulisse, ut ea » pro Curia uteretur, nova necdum exstructa. Cum tamen » sciretur pretium domorum Antverpiae multum per turbas » imminutum esse, et situm esse accommodatissimum colle- » gio temploque exstruendo, neque totum pretium semel ac » simul numerandum, eo quod fundus obstrictus esset variis » reditibus, ad emptoris arbitrium redimilibus, significatum » fuit Domino de Frias aliisque amicis, qualis opportunitas » offerretur : qui adeo rem probarunt ut ceteros in quaerenda » domo laborantes quiescere iuberent.

» Ratio pecuniae inveniendae prius inita fuit quam emptio » institueretur, tametsi de extremo pretio iam constaret, » quod erat septemdecim millia coronatorum, quorum sex » millia in promptu habebantur; et Dominus Regiae pecuniae » distributor (*Pagadorem* vulgo nuncupant) mille coronatos » pollicebatur; alii centum, ducentos, trecentos, quingentos » offerebant; adeo ut computus abiret in undecim millia duca- » tonum, qui praecise conficiebant capitalem summam, ob » quam erat domus oppignorata; alia sex millia, quibus insu- » per gravabatur, sic erant constituta, ut annuum censum » conficerent quadringentorum ducatonum. Quare D. de Frias, » qui maxime, cum P. Francisco de Aguilar, hoc negotium » urgebat, clam convenit cum domino domus, D. Gaspare » Schetz, Toparcha de Grobbendonck, Generali Finantiarum » suae Maiestatis Thesaurario, per sororem uxoris eius, quae

» soror iam multis annis confitebatur Iesuitis. Ipse autem, ut » intellexit domum suam pro eis quaeri, adeo ad eam ipsis » vendendam animatum se ostendit, ut et particeps esse vellet » fructuum spiritualium, condonando de pretio quingentos » ducatones.

» Mansit tamen secretum aliquantisper negotium; vere» bantur enim Patres ne Senatus difficilem se praeberet, post » Ducis Albani discessum, in eximenda tali domo ab humano » commercio, et amortizationi assentiendo, cum alii Reli» giosi passim, etiam in vilissimis locis comparandis, experti » essent obstacula maxima. Denique placuit emptionem confici » alieno nomine, sub quo D. Frias cum D. Grobbendonckio » pactus est pro septemdecim millibus; et codicilli confecti » sunt. Ut autem consensus Senatorum obtineretur, actum est » cum Civitatis Gubernatore Domino de Champaigny, posset» ne Senatus suffragium obtinere, si fortassis amici Societatis » pro ea insignem aliquam domum compararent. Respondit » Gubernator tentaturum se; tentansque invenit optime Patri» bus affectum : quare ulterius progressus, responsum a Senatu » accepit, nullam esse in urbe sua domum tam splendidam, » etsi aurea esset, quam non statueret se Societati debere; » atque adeo si nullae aedes amplae satis et commodae inve» nirentur, voluntatem sibi non deesse ad eas comparandas, » si facultas adesset Civitati, nimio aere alieno gravatae. »

III. « Porro visum fuit negotium celare, quoad Dux abiisset e » Belgio; abiit autem postridie Kalendas Decembris, Provin» ciarum et exercituum regimen relinquens LUDOVICO REQUE» SENIO, magno Equitum S. Iacobi in Castellae provincia » Commendatori. Hic ab Hispania missus, sperante Rege » odium genti toti ab Albano contractum, sub mitioris ingenii » Gubernatore mitigari posse; nam (ut ait Strada) in pace atque » inter arma civilem iuxta ac militarem prudentiam, magnis

» functus muneribus, ostenderat; missus, inquam, Requese-
» nius, xv Novembris Bruxellas appulerat, et eiusdem mensis
» die xxx ibidem sacramentum fidelitatis pronuntiaverat ex
» more. » Ita historiae Ms. Appendix, de qua supra. Meerbekius secundam Decembris adscribit initio novi regiminis.

A. C. M.D.LXXIV.

—

RENOVATIO MAGISTRATUS.

PRAETOR hoc anno per resignationem D. Ioannis van Immerseel, D. GOSWINUS VARICK, quem Fasti Mss. indicant fuisse Gubernatorem Diestae, non adscripto die mutati officii; quos autem Secretariorum appellamus, Fasti etiam indicant diem renovati Magistratus III *vel* X *Ianuarii;* ad quod deputati fuerint :

COMMISSARII. — Dominus van Baerlemont. — Dom. Cancellarius Scheyff. — Dom. Ioannes van Immerseel, Toparcha de Baudries.

CONSULES. — Dom. Ioannes van Schoonhoven VI. — II. Dom. Nicolaus Rockox VII.

SCABINI. — Dom. Henricus van Berchem. — Dom. Ioannes Wolffaert. — Ioannes vander Meeren. — Paulus Schuermans, *pro hoc suff.* — M. Nicolaus de Voocht. — Cornelius de Wyse. — Wilhelmus Schoyte. — M. Ioannes de Pape. — Aegidius Happaert, *pro quo suff.* — Gregorius d'Ayala. — Adrianus van Heylewegen. — M. Ioannes Bacx. — M. Lucas de Mera. — Philippus Vensels. — Adolfus Blyleven. — Nicolaus Bochhout. — M. Ioannes Brecht. — M. Michael Cnobbaert.

ARGUMENTUM.

I. Novus Gubernator Antverpiam veniens, institutas ab Albano Iustitiae et Rationum Cameras abrogat, multaque utiliter reformat, II. exiguo fructu. III. Iesuitas Episcopo commendat. IV. Novum Belgio amnistium a Rege impetrat. V-XI. Middelburgo frustra conatus succurrere, receptos inde praesidiarios imponit arci Antverpiensi, quibus iuncti alii ex Geldria victores, sed propter dilata stipendia tumultuantes, urbem invadunt; nec nisi illis per cives solutis pacari se patiuntur, adnitentibus Iesuitis, sed oblatas ab iis eleemosynas accipere recusantibus. XII. Antonii Tassii, primi Tabellionum hic Praefecti, obitus, eiusque et successorum epitaphium. XIII. Queritur Civitas se gravari hospitio militum. XIV. Proditores incendiarii deteguntur et puniuntur.

ACTA.

I. Incipiat nobis huius anni Acta insignis publicae oeconomiae reformatio, a novo Gubernatore signata die xiii mensis Ianuarii, et in Collectione Ordinationum apud Advocatum Nys gallice scripta, sub hoc titulo : « *Sequitur hic quod sua Excel-* » *lentia intimavit novo Magistratui Civitatis Antverpiensis, iuxta* » *quod ipsi procedendum deinceps mandavit ex parte suae* » *Maiestatis.* » Itaque, si Dominico die, diem xiii praegresso, innovatus fuit die vel iii vel x mensis praefati. Iuvat autem ipsius reformationis contextum, multa huius temporis particularia docturum, hic quoque apponere :

« i. Ad meliorem directionem negotiorum iustitiam concer- » nentium, atque ut Senatus possit plenius uti veteri sua » auctoritate, qualis ipsi ab omni tempore competit, oportet » Domini satagant ea bene uti, seque contineant intra terminos » bonae veraeque iustitiae, observando edicta, ordinationes, » et stylum Decretorum atque Statutorum, per suam Maiesta- » tem factorum, in causis tam criminalibus quam civilibus, et » praestando iuramentum vetus ac novum, secundum formam » novarum ordinationum.

» II. Manebit ergo Gubernator et Capitaneus dictae Civitatis, » ad custodiam dumtaxat, tuitionem atque defensionem illius, » cum ea suprema auctoritate, quam istiusmodi officium re- » quirit; neque miscebit se rebus iustitiae, quae integre, sicut » antea, spectabit ad Magistratum, abolita mutatione nuper » inducta per institutionem Consilii Iustitiarii.

» III. Quod ad stipendia pertinet ipsius Magistratus, quam- » quam intuitu praesentis paupertatis et necessitatis, causa » esset eorum restringendorum, reducendorumque ad pristi- » num modum quinque stuferorum pro singulis comparitioni- » bus; quanto stipendio nullus alius in Belgio Magistratus » fruitur, et quo Antverpiensis Senatus contentus esse solebat » tempore florentissimae prosperitatis; considerans tamen » Excellentia sua praesentem rerum omnium caritatem, atque » intendens promptiores omnes reddere ad Regis Civitatisque » servitium, permittit stipendium pro singulis comparitionibus, » quale Principissa Parmensis tempore sui regiminis indulsit » provisionaliter, ad rationem decem stuferorum; sublato » nihilominus abusu, privata quorumdam auctoritate intro- » ducto, trium per diem comparitionum, duarum ante et unius » post prandium; sed una solummodo ante, altera post meri- » diem servabitur : prior scilicet horarum trium, posterior » duarum; pro quarum comparitionum prima singuli habebunt » stuferos duodecim, pro secunda octo. Quantum autem ad » expensas grandes, quae fieri solebant, et fructus atque emo- » lumenta, quae singulis annis excipiebantur, de iis seorsim » habetur provisionalis ordinatio, cui se conformare debebunt » Consules, Scabini atque Consiliarii Civitatis, omnesque alii » officiales.

» IV. Quantum ad Cameram Rationum, norunt omnes, quod » Dux Albanus, videns maximam irregularitatem irrepsisse in » tractandis dominiis et reditibus Civitatis, et gravitatem

» debitorum quibus undique premebatur, propter malam » oeconomiam praeteriti temporis, quodque mederi malo non » posset ea ratione, quam tenuerant eatenus Thesaurarii et » Quaestores praegressi, matura cum deliberatione existimavit, » instituendam et stabiliendam novam Rationum Cameram per» sonarum sex, uniusque Graphiarii; quorum priores duo » superintenderent ceteris, alii quatuor essent Magistri seu » Commissarii, secundum amplam super iis factam ordina» tionem. Hi autem suum officium exercentes, durante priore » Magistratu, per tres annos cum dimidio, quantumcumque » conati sint res ad formam meliorem adducere, inspiciendo » et ad se retrahendo debita activa, rationes reliquatariorum » audiendo, aliaque opportuna media adhibendo; et sic spe» rarentur, sinon ex toto, saltem aliquanto melius administra» turi omnia, quam eatenus administraverant Thesaurarii duo » cum uno Quaestore. Considerans nihilominus Excellentia » sua, quod Senatus prior et plebeium Consilium tam instanter » petierint abrogationem novae istius Camerae, restitutionem» que duorum Thesaurariorum et Quaestoris unius, secundum » veterem formam; gratum habuit petitioni ipsorum cedere, » petiturque ut ipsi Superintendentes et Commissarii rationes » omnes restituant; sub hac tamen conditione, ut novi proce» dant iuxta praescripta Dominae quondam Reginae Hunga» riae, Gubernatricis, et ordinationem anni M.D.XLVIII, aliasque » regulas factas super politia et administratione aerarii publici.

» V. Nihilominus, quia ista regiminis forma, per tres et » dimidium annos observata, si non perfectissima, melior » tamen quam prior fuit, et adhuc supersunt requirenda non » pauca activa atque passiva debita, multaque in ordinem » redigenda, quae longum foret referre et perficienda curare, » ita ut nunc velle formam rursum aliam subito inducere, » aliud non foret quam omnia perditum ire; et quia iidem

» tunc rebus agendis praepositi, nunc melius quam alii qui-
» cumque de omnibus satis per se intricatis instructi sunt;
» maxime vero, quia id modo agitur ut restituatur huius
» Civitatis aerarium, quod parvi nec temporis nec moliminis
» erit; exemplisque satis recentibus docemur, quam noxia
» esse possit Thesaurariorum quorumdam negligentia vel impe-
» ritia; conducibile, imo necessarium censuit Excellentia
» sua, duos ex praedicta Camera assumere in Thesaurarios,
» videlicet *Aegidium Happaert* et *Mag. Paulum Schuermans.*

» vi. Sed neque hoc totum videtur sufficere praesenti
» necessitati. Quapropter putatur necessarium adhuc esse,
» aliquo tempore uti ministerio Abrahami 's Hertogen, qui
» habuit curam Registrorum; eaque et veteres rationes volu-
» tando, colligat et recuperet activa debita, quae potuerunt
» cum praeiudicio Civitatis occultata fuisse. Iudicat ergo Ex-
» cellentia sua expedire, ut dictus Abraham ad unum annum
» retineatur tamquam Assistens Thesaurariorum; et similiter
» is qui functus Graphiarii officio est, retineatur ad rescri-
» bendas et monstrandas veteres rationes atque registra,
» omniumque eorum quae agentur, notitiam scripto consi-
» gnandam, idque per modum experimenti et assistentiae;
» non autem ut in veteri forma mutetur quidquam, sed ut
» abusus corrigantur. Itaque commendat Excellentia sua,
» tam Magistratui quam Communitati, ut praenominatus Hap-
» paert eligatur in primum, et Schuermans in secundum,
» atque 's Hertogen in Assistentem; Graphiarius vero, ad
» quaecumque opportuna scribenda, idque citra praeiudicium
» eorum, quibus nominatio et electio competit, et semper
» competiit; atque pro unica hac vice, considerato Civitatis
» maiori bono, huiusmodi ordinem pro nunc requirente.

» vii. Quod ad Magistrum redituum eorumque Receptorem
» attinet, dignatur Excellentia sua repraesentare, quod inter

» media aerarium resarciendi praecipuum sit, illorum omnium,
» qui annue persolvuntur ad summam ter vel quater centum
» millium librarum aut amplius, ad vigesimum nummum re-
» ductio, et viatoriorum ad decimum; nec non eorum quae
» necdum soluta et solvenda restant; et quia ad talem redu-
» ctionem difficulter poterunt creditores ac possessores redi-
» tuum induci, nisi certiores reddantur de promptiori solutione
» quotannis accipienda, omnino convenit assignare eis suffi-
» cientem hypothecam, super certiori aliquo et clariori reditu
» Civitatis, ut sunt Accisiae. Quare vehementer expediet, id
» quod fit in aliquibus civitatibus, constituere Receptorem
» unum, cui solum incumbat creditoribus redituum solvere
» de pecunia procedente ab accisia vini et cerevisiae, quae
» non possit aliter impendi quam in solutionem sic reducto-
» rum, quorum summam illa pecunia aequat, aut etiam ter
» quaterve centenum millium florenorum vel amplius nonnihil
» superat. Atque hic apparet necesse, ut pro uno Receptore
» constituantur duo: primus ad finem iam dictum, alter ad
» proventus ceteros, unde satisfiat aliis quibusque necessariis
» sumptibus salariisque proportionate distribuendis, prout
» Magistratus et Communitas convenire iudicabunt. Dignatur
» interim monere Excellentia sua, ut tales eligantur qui ex
» commissa sibi pecunia lucrum non quaerant, sintque homi-
» nes frugi, bonaeque conscientiae, ne ad praeterita incom-
» moda Respublica relabatur.

» VIII. Denique, quantum ad remedium conceptum, et saepius
» communicatum cum Deputatis Consiliorum Privati ac Status
» atque Financiarum, nec non aliquibus de Magistratu et
» Rationariis ipsius Civitatis, ipsum executioni mandabitur,
» prout sua Excellentia expedire censebit, et prout ipsi de
» Magistratu et Communitate conformabunt se illius desiderio
» consilioque, ordinantes recte quae iam sunt praescripta :

» frustra enim conduntur bonae ordinationes et leges, nisi
» prompti sint Ministri ad eas executioni mandandas; quem-
» admodum Excellentia sua confidit, promptos fore omnes
» ad commodum et profectum restitutionemque Civitatis, et
» (quod consequens est) omnium in particulari.

» Quod ad Curias subalternas, officiaque et munia in dicta
» Civitate solita geri, collatio committitur iis quorum interest,
» ut agant prout solebant; tantum monet hortaturque sua
» Excellentia omnes, ut ad ea eligantur homines bene Catholici,
» vitae probae et honestae, zelatores servitii regii, boni pu-
» blici et quietis; quorum omnium et singulorum salaria
» specificabuntur et moderabuntur, quomodo secundum prae-
» sentem necessitatem Civitatis ac negotii cuiusque conditio-
» nem cognoverimus expedire, confidendo quod universi pro
» eo, quem gerunt erga patriam, affectu, et obligatione ipsis
» tamquam civium principalioribus incumbente, haec quae
» praescripta sunt boni consulent seque iis conformabunt.
» Actum et ordinatum Antverpiae per suam Excellentiam,
» XIII Ianuarii anni M.D.LXXIV; et *signatum erat* DON LUDOVICUS
» REQUESENS; subtus autem: De mandato suae Excellentiae
» signat D'OVERLOOPE. »

Sequitur ampla minutaque specificatio ministrorum curialium, in quos annue stipendia et togae distribuantur; tunc etiam minorum officialium ad Magistratus arbitrium revocabilium; deinde designantur ii, in quos distribuenda sunt ligna et candelae ad focum et lumen in ministerio Civitatis; charta etiam tam communis quam pergamena, ceteraque requisita ad scriptionem publicorum actorum; neque praetermittuntur Magistratus Kilani, et Accisiarum dimidiarum foris recipiendarum Curatores; non etiam Eleemosynarii, Leprosi, et Amentes, singulis congrue providendo. Quorum autem pensiones ibi nominatim non exprimuntur, iubentur deinceps iis carere,

donec Civitas ad meliorem statum fortunamque ampliorem rediverit; mandando expresse Receptoribus, ne cui tali quidquam solvant, sub obligatione rationis omnium reddendae Auditoribus rationum ab Aula deputandis; quibus praesens ordinatio exhibenda semper erit: et *res tota signatur ut supra, cum testimonio collationis ad librum Ordinationum factae per Secretarium van Uffel, alteriusque per G. van Omel, ad authenticam copiam.*

II. Ceterum, non diu tenuit haec reformatio. Mortuo enim Requesenio, Magistratus, die VII Iunii M.D.LXXX, collegialiter decrevit, salaria ab illo restricta ad priorem quantitatem revocanda, eo praetextu, quod parum admodum inde sublevabatur aerarium, et officialium animi ad boni publici curam languescerent, prout legitur in praedicto Ordinationum codice, et Archiduci Mathiae, mediante Auriaco, persuaserunt, factum suum ut probaret; qua de re exstat in eodem codice gallice scriptum instrumentum, datum Antverpiae, die XVI eiusdem Iunii, signante pro sua Celsitudine *I. Van Asseliers*, et cum originali collatum ab *H. de Moy*. Quin etiam in Senatus-consulto praecitato dicitur, quod salariorum ad priorem statum reductio collegialiter decreta fuerit, iam inde a *Consulatu quondam Nicolai Rockox, bonae memoriae,* id est, ab anno M.D.LXXVIII; unde apparet quam absoluto iure iam tunc coeperint Antverpienses uti contra suorum Gubernatorum decreta, et quam exiguo cum respectu ad eum, quem sibi Principem assumpserant. Hoc autem etiam magis patuit anno M.D.LXXXI, die IX Februarii, quando Boni viri et Ambacta, in suo diei Lunae Concilio statuerunt, ut ne Magistratui liceret ulli posthac largiri quidpiam ultra valorem sexcentorum florenorum, in compensationem obsequii Civitati praestiti, absque expresso Communitatis consensu; qui consensus in minoribus quoque largitionibus esset requirendus, subsignantibus Consulum, Scabinorum

Consiliariorum, Graphiariorum ex singulis uno, abrogatis interea quibuscumque in contrarium statutis, et prohibitis Receptoribus aliter cuiquam assignata solvere. Idque coactus fuit Senatus in Collegio approbare, *absque praeiudicio* scilicet *supremae suae auctoritatis*, die XXVII eiusdem Februarii. Ita paulatim sese erigebat Communitas supra Senatum, dum hic supra Regem se extollebat.

III. Porro, novus Gubernator, istis, quae supra dixi Antverpiae circa politiam ordinatis, ad publica commissarum sibi Provinciarum negotia curanda, Bruxellas se retulit; denuo mox regressus Antverpiam, indeque Berghas ad Zomam transiturus, unde paratae in hostes expeditioni propius intenderet, « rogavit » Episcopum, ut Iesuitis, quibus ipse addictissimus erat, resti- » tueret libertatem sacra faciendi in domestico sacello; quamvis » enim eam facultatem accepissent Roma a Pontifice, cum litte- » ris ad Capitulum datis, huic tamen eas ostendere noluerant, » quod commodius et honestius iudicarent, interdictum ab eo- » dem gratiose tolli, qui, non tam suo quam alieno motu, » ipsum dederat. Mox ergo, ut Civitatem ingressus est Guber- » nator, misit suum Confessarium ad aedes Patrum, ut pri- » mus ibi audiret Missam. » Nescio autem, an tunc vel prius vel aliquanto posterius Iesuitae usi sint benevolo responso, quod diximus dedisse Senatum in causa emendae domus.

IV. Plus aliquid ad bonum publicum, post tantos sub Albano motus, praestitisse videri poterat pius Gubernator, persuadens Regi, ut Belgis, ad obsequium reductis, indulgeret novam ac generalem admissorum omnium veniam. Regiarum litterarum, VIII mensis Martii Madrito in Hispania datarum, tenorem recitat Leo Belgicus, pag. 162 et seqq. praefatus, quod Gubernator eam Bruxellae, quinta die mensis Aprilis exceptam a convocatis ad id Ordinibus, Antverpiae XIX eiusdem mensis solemniter promulgavit. Ibidem, post dictas litteras,

consequenter invenitur elegans solemnissimae publicationis actus, ex theatro ad sedecim gradus elevato ante domus Guldarum, a quibus in totum versus orientem Forum patebat prospectus, nunc nova ante illas Curia educta, impeditus domorum istarum, communi cum nova Curia incendio absumptarum, formam, usque ad secundam constabulationem eductam, volupe est istic videre; sed vix capit intellectus, quomodo nova illa Curia, anno M.D.LX fundari coepta, hoc anno, ante incendium tertio, necdum fuerit altius educta ab humo, supra ipsa illius fundamenta, solo adhuc plano, exstrui theatrum illud potuerit, et quomodo intra biennium eadem perducta fuerit ad tectum, quod anno M.D.LXXVI deflagravit. Dum considero tamen, totum istud damnum fuisse restauratum intra quadriennium, non obstantibus iis, quae interim incubuere turbis, et horribili expilatione Civitatis per Hispanos exercita, desino mirari, quod alias impossibile videri poterat.

V. Maior interim Gubernatori erat cura de Middelburgo, a rebellibus Zelandis per biennium obsesso; quam civitatem, solam Regiis istic reliquam, eatenus fortiter tuebatur Tribunus Mondragonius. Acrior tamen omni externo hoste, fames intus urgebat ad deditionem, nisi cito succurreretur; nec pellendis inde obsidentibus sufficiebant soli Antverpienses, accepta quidem superiori Februario iniuria irritati; cum Regiis tamen, quotquot aderant navibus, egressi die XXVIII Februarii. Reverterant enim XVI Martii, re nulla peracta; rursumque egressae naves eaedem XVII Aprilis, tutum quidem transitum fecerunt navibus mercatoriis, inde huc advectis VII Iunii; sed quod aliquid magni subsidii illuc intulerint, non invenio notatum; solum indicat Appendix, eos illuc revertisse die IX eiusdem mensis; quodque etiam egressae die IV Augusti, rediverunt XXVII. Idem factum dicitur XIV Septembris, emissis triginta navibus, et die XIX regressis.

VI. « Plus aliquid successerat die x Decembris, quando » submissi a novo Gubernatore milites annonam laborantibus » attulerunt. Verùm nec durare diu poterat, actumque de civi- » tate nuntiabat Mondragonius, nisi tandem obsidio solveretur. » Igitur, quanta potuit navium classis (cui suas triginta addidere » Antverpienses) cum sufficienti militum copia parata est in » novum annum. Huic autem, sua praesentia animos ex » proximo facturus Requesenius, die xxvii Ianuarii, Bergas ad » Zomam accessit, simulque spectavit infelicem pugnam, » Zelandis epibatarum experientia et numero Regios superan- » tibus; cuius rei nuntius Antverpiam appulit die xxx. » Sustinuit tamen adhuc Mondragonius usque ad xix Februarii, » magna sua cum laude, etiam apud hostes. Cum his autem » pactus est, inter conditiones alias, ut Religiosi atque Eccle- » siastici omnes, vita ac rebus salvis, emitterentur; modo » Regii restituerent tres apud se captivos; tantamque ei fidem » habuerunt Zelandi, ut sine alio vadimonio, nec praehabito » consensu Gubernatoris, dimitterent et istos et ipsum cum » suis; credentes, quod generosus ille miles captivum se » redditurus esset, si promissam restitutionem non impetrasset. » Rediit ergo cum tali comitatu Antverpiam Mondragonius, et » quasi victor exceptus gratanter est, die xxiii Februarii; » cumque fidem suam, emissis captivis, liberassent Hispani, ex arce Antverpiensi, cui Auriacus frustra fuerat insidiatus, profectus in Geldriam; ibidem in erica Mokana, die xvii eiusdem mensis, abunde reposuerunt Gheusiis cladem, quam ab eis fuerant in Zelandia passi.

VII. « Verum huius victoriae laudem amiserunt, seditionem » facientes propter stipendia, ante pugnam large promissa, » et post eam non repraesentata. Ea enim vi extorturi, ad tria » veteranorum millia, sub electo ad id duce, explicatis signis » petierunt Antverpiam. Propterea clausae manserunt Civitatis

» portae, a die XVIII Februarii usque ad XXIV, et sequenti die » Commendator Requesenius properavit eodem Bruxellis sedi» tiosos pacaturus, ad eosque misit Dominum Frigosum. Ve» rum huic illi, non verbis, sed pecunia opus esse respon» derunt; et plura dicere volenti silentium tympanis pulsatis » imposuerunt.

» Eodem die, per muros arci vicinos, praesidiariis conni» ventibus (erant hi mille quinquaginta Walones) irruperunt in » Civitatem, et hospitia sibi ipsis apud inquilinos metati sunt. » Tum, die XVII, noctu pulsant ad arma, tantumque excitant » tumultum, ac si cives omnes essent mactaturi, ut multae » mulieres gravidae abortum facerent, nonnullae etiam prae » terrore morerentur. XXV iterum pulsantes ad arma, occupant » Forum, irrumpunt Curiam, novos inter se constituunt » Officiales. Portas Civitatis omnes claudunt, nemine permisso » ingredi vel egredi; a civibus autem victum et cetera neces» saria extorquent, atque pro arbitrio vivunt, protestantes » interim nihil se nisi pecuniam debitam velle. »

VIII. « Die XXIX, impetum faciunt in domum Gasparis Douce, » apud quem Gubernator urbis, Dominus de Champaigny, » diversabatur; iactisque lapidibus fenestras omnes excutiendo, » clamabant istud sibi consuetum *foras viliacos, foras nebu» lones*. Itaque compulsus ille est se cum suis Walonibus, quos » ad Civitatis custodiam paulo ante adduxerat, recipere in » domum Osterlingorum primum, deinde extra muros in » Ekeram. Addit Caukerkius, eosdem imperassè ut, quae in » anchoris ad ripam stabant bellicae naves, Lilloam abscederent. » Hoc vero cum Gheusii intellexissent, expedita classe illuc » accurrerunt, omnesque illas ad se abstraxerunt, Requesenio » ad denuntiatum periculum frustra Lilloam progresso, eoque » gravius eam iacturam sentiente, quod navibus istis plus quam » centum tormenta bellica vehebantur. Ita Aprilis transiit.

» I Maii coeperunt per Civitatem insolentius Hispani agere; » et die VII, maiorem quoque exciverunt tumultum, in quo » etiam aliqui modestiam imperantes occubuerunt; rursumque » die XI, male concordes. »

IX. « Tandem sub noctem prodiit novus Electus, fugitivus » ex Hispania monachus; cui sequenti die ad altare in medio » Foro erectum, post Missam et concionem curatam, omnes » se iureiurando obstrinxerunt, non prius excedere quam » stipendia ad unum omnia (quae plerisque duorum aut etiam » trium annorum debebantur) soluta forent. Die XII, ibidem » erexere patibulum, pro iis qui forte non obedirent Electo, » vel posthac per vim raperent aliquid, suspensis continuo » duobus in tali crimine deprehensis. Pergebant nihilominus » esse molesti, usque dum, XV et XVI die, Commendatore » Requesenio curante, conventum est pro quatuor centenis » millibus florenorum, ad quam summam conficiendam cives » pro sua quisque facultate contribuerent; quod deinde reci» perent ex prima quam regiae petitioni essent consensuri » largitione. Die nihilominus XXI, facta est vis in domum » viduae Gerardi Sterck, occisusque (nescitur qua causa) famu» lorum unus est, et per pedes suspensus in patibulo.

» Die XXVII, praestita seditiosis solutio est usque ad valorem » requisitum, supplentibus, quod pecuniae deerat, mercibus, » ipsoque Commendatore ex supellectili sua. Die XXX, publi» cata est omnium delictorum indulgentia Regis nomine; illique » recuperata eius gratia, non minus quam accepta pecunia » laeti, coeperunt se ad discessum parare, priorem culpam » fideliori obsequio abolituri. Interim, die XXX, iidem qui supra » Gheusii quasdam Regis naves, stantes Ordami (locus est » parva leuca propius Antverpia distans quam Lilloa) pari ausu » quo priores abstraxerunt. Seditiosi vero iam pacati, II Iunii » exierunt Burgerhouto. »

X. Hactenus Appendix, quam accurata in explicandis cuiusque diei Actis, tam negligens in iis referendis, quae invidiam praeteritorum gravaminum poterant lenire apud cives: quos Strada ait, « post ordinatum in foro qualecumque regimen, » valde modestos fuisse, eaque modestiae ac iustitiae specie, » quam prae se ferebant, quadamtenus placatos cives, proniores fuisse ad contribuendam quae exigebatur solutionem. »

Hanc vero secuta sunt mox gratiora et laudabiliora alia, discessumque praegressa, et apud eumdem Stradam eleganter exposita; mihi vero digna visa, quae ex domestica historia proferam, tamquam ex primo fonte. Ea sic habet:

« Postquam stipendia numerata erant, exercuerunt milites, » iam pecuniis abundantes, insignem liberalitatem in pauperes, » undique ad tempus et locum solutionis accipiendae confluentes, atque in Religiosos mendicantes, sic ut soli Franciscani » dicerentur ad quatuor millia florenorum accepisse. Cum autem » viderent milites solos Societatis homines abesse ab eo concursu, nuntiaverunt ut ipsi quoque mitterent ex suis aliquem; » plus enim se illis debere quam alteri cuivis Ordini, quorum » semper eximiam caritatem essent experti, tum in pauperibus » militibus iuvandis, tum in aegris eorum curandis. Sed responderunt Patres, nihil omnino se velle ab eis accipere, donec » plane satisfecissent hospitibus, a quibus per sex hebdomadas » victum sumptuosum admodum violenter extorserant. Illi » vero, nihil tali responso offensi, constituerunt duos qui » eleemosynam peterent pro Iesuitis. Hi vero cum id intelligerent, accurrit illuc Patrum unus, et palam et coram » omnibus, tam Religiosis quam Eleemosynariis Civitatis, » qui in loco erant, et reliquo populo, est testatus, Societatem ne obolum quidem ab illis velle, donec solvissent » quibus debebant; quo dicto, et reiecta quae iam collecta » erat pecunia, ad suos rediit. Ea res in vulgus sparsa, multum

» probata fuit, et a nonnullis Parochis etiam pro concione
» laudata. »

XI. « Cum sic res se haberent, profectus Bruxellam est
» Commendator, et Iesuitae, iam notiores ac gratiores populo,
» in aedes, quas emerant, praepurgatas immigraverunt, ipso
» die Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum; prius cum
» Capitulo conditiones pacti non incommodas, quia earum
» concipiendarum arbitrium commissum erat hominibus,
» Societati benevole affectis. Plus difficultatis erat a plebe
» haeretica, cui non poterat non accidere gravissima talium
» aedium a Iesuitis occupata possessio. Fingitur ergo et in
» vulgus spargitur impudens calumnia, mulieres perperam a
» Iesuitis institui ne maritis obediant, et flagellis castigari;
» quod probare se dicebant haeretici ex ipsarum eiulatu et
» planctu, ab aedibus nostris per viciniam audito. Postula-
» batur Senatus ut scelus tam enorme cognosceret. Hic vulgi
» fabulis spernendis assuetus, rem deferri iubet ad Capitulum
» et Episcopum : amici vero graviter commoti, eo quod etiam
» monachi aliqui certam esse accusationem affirmarent, rogant
» ut innocentiae testimonium satagant Patres a Gubernatore
» obtinere. Sed Iesuitae satius esse putaverunt haereticorum
» calumniam constanti ferventique ministeriorum suorum exhi-
» bitione refellere.

» Tali commento nihil proficiens daemon, aliam admovet
» machinam; et per quosdam minus bene affectos Societati,
» efficit apud Carmelitarum Visitatorem, ut Iesuitis posthac non
» liceat in eorum ecclesia concionari et confessiones audire,
» prout eatenus fecerant. Graviter perculit ea denuntiatio
» Patres; Patrono suo Domino de Frias rem indicant; hic
» bono esse animo iubet; velle se ait aedificare ecclesiam,
» ipsorum usibus aptam; et mox admoveri manus operi
» fecit, itaque in maximum commodum Societati vertit

» Deus, unde impedimentum grande ipsi obiectum daemon » putabat. »

XII. Die IV Iulii, obiit primus Tabellionum Magister, seu Postariae Director, ANTONIUS DE TASSIS, inclitum in eo officio nomen relicturus post se. Epitaphium ad S. Georgii positum a piis nepotibus, hoc invenio: « *Religioni ac pietati sac., ac pa-* » *rentibus optimis et desideratissimis*, DOMINO ANTONIO DE TASSIS, » *Equiti Aurato, primo in hac urbe Tabellionum Praefecto, qui* » *obiit anno Christi* M.D.LXXIV, IV *Nonas Iulias; nobilique matro-* » *nae* ANNAE DE WALSCAPPELLE, *eiusdem coniugi, quae obiit* IV » *Nonas Augusti* A. D. M.D.XLIX; *ac eorumdem liberis, nobili* » *viro* D. IOANNI BAPTISTAE DE TASSIS, *huius item urbis Tabellionum* » *Praefecto, qui diem clausit anno* M.D.LXXX, IV *Nonas Iulias;* » *et Domino* CAROLO DE TASSIS, *Equiti Aurato, fratris in eadem* » *Praefectura successori, qui obiit* X *Kal. Maias* A. C. M.DC.X; » *huiusque coniugi, nobili matronae* CATHARINAE DE SICCLERS, » *quae decessit* XV *Kal. Novembris* M.DC.V; *horum filii, illorum* » *nepotes moesti posuerunt*. Reliquam seriem aliis explicandam » relinquo et quomodo a Tassiis ad Rolandios Praefectura illa » transierit, in processu Annalium fortassis inveniemus. »

XIII. « Die XXIII Augusti (inquit in Annalibus suis Valkenisse), » questus est Magistratus Commendatori, tunc in urbe prae- » senti, quod, cum haec debitrix esset plus quam quatuor mil- » lionum, et ad constructionem arcis contulerit quadraginta » millia florenorum, etiam hospitandis militibus gravabatur, » coacta iis etiam praebere, praeter cubiculum, omne eius » instrumentum » et cetera, relata in librum Priv., fol. 2 et seqq. Hinc, folio ibidem 14, refertur, quod, « X Octobris, » Commendator, querelis istis motus, mandavit Domino de » Champaigny, Civitatis Gubernatori, D. Goswino van Varick, » Marcgravio, Desiderio Sestich, Consiliario Brabantiae, et » Adriano van Heylewegen, intendere moderandis hospitiorum

» sumptibus; et (ut est, fol. 22) iisdem eumdem in finem, » xx ipsius mensis, adiunxit Mag. Petrum van Lyre, Scabinum, et Ioannem de S. Ioanne, Aldermannum Hallae » pannariae. »

XIV. Cetera huius anni Acta sic in Appendice saepe dicta referuntur: « xiii Decembris conspectae sunt ante Civitatem » circiter sexaginta Gheusiorum naves, et magnum ei terrorem » incusserunt, nullo tamen illato damno, sub vesperam recesserunt, suspicati, credo, vel etiam moniti, deprehensam » proditionem per quam sperabant occupandam arcem, vel tardantibus, quae eamdem arcem terra adoriri debebant, copiis. » Certe, sequenti mox die, venerunt duo signa Germanorum, » et totidem Hispanorum, portaeque clausae manserunt usque » ad xxi.

» Interim xiv die, plures, sed innocentes, comprehensi sunt, » propter proditionis suspicionem; et die xv, deprehensa illa » revera est, per fugam quorumdam suspectorum civium » (inquit scriptor Rotuli octennalis), videlicet Martini Mey, » unius ex Camera rationum Civitatis, cuiusdam saccararii » prope Curiam, braxatorisque unius in nova Civitate; quorum » cum domus ex tali suspicione visitarentur, in ea quae » Martini Mey erat, ad forum equinum, inventa sunt plura » centenaria alborum linteorum pectoralium, instar scapularium, quae pro tessera coniuratis forent, unde mutuo se » in tumultu ciendo agnoscerent. Alibi deprehensa loricae et » arma, facile centum hominibus suffectura; nec non alibi » longiores sicae multae; unde factum ut nonnullorum, etiam » innocentium, domus a militibus spoliarentur. Quapropter, » communi consilio Senatorum et Vicomagistrorum, instituta » ab eis est generalis aedium omnium inspectio, ut cognosceretur quantum quis armorum penes se haberet, sive » secularis ille sive ecclesiasticus esset. Hoc vero acturis

» addidit Gubernator Dominus de Champaigny, in Civitatem ad » hoc regressus; addidit, inquam, Germanos milites duos, » unumque Hispanum sclopetarium; atque ita, die xxi, depre» hensis iam reis, reseratae portae sunt, et milites nuper » inducti, Walones et Hispani, die xxiii, remissi unde » venerant.

» Die xxiv, Tossanus Balduinus, Amandopolitanus, Au» gustinus van Nysen, Trudonopolitanus, Wilhelmus Van» domere, Huyensis, damnati sunt; et primus quidem, quia » conductis militibus moliebatur Civitatem rebellibus in eam » introductis tradere, ideoque in crate raptatus per plateas » tractus est in Forum suffocandus atque in quatuor partes » secandus; quarum una ad Wervam supra Geranium, altera » ad Kayam Anglicanam, tertia et quarta ad Rubram et » Caesaream portas figendae erant, caput vero de turri » Piscatorum. » Ita Valkenisse; complices vero duos in furcam actos ait Caukerkius; unum insuper igne combustum; credo quod haereticus et impoenitens esset.

A. C. M.D.LXXV.

CONTINUATIO MAGISTRATUS.

Sub iisdem qui supra Commissariis, die xvi *Ianuarii, Dominica* ii *post Epiphaniam.*

Consules *iidem.* — Dom. Ioannes van Schoonhoven VII. — ii. Dom. Nicolaus Rockox VIII.

Scabini *quoque iidem*, nisi quod loco *Pauli Schuermans*, facti Thesaurarii, sextus nominetur *Mag. Nicolaus Voocht.*

ARGUMENTUM.

I. Restituuntur Civitati a Requesenio privilegia sua. In Basilica Mariana ruit pars novi fornicis. II-VI. Aperitur prima ecclesia Societatis Iesu intra Aquensis domus terminos, magnoque fidelium concursu incipit frequentari. VII-IX. Postulatur Gymnasium, frustraque obnitentibus aemulis impetratur, et prima comoedia a studiosis exhibita valde probatur. Sustentantur ab Hispanis mercatoribus Patres. X. Regii, victores in Zelandia, lethalem inde morbum referunt. XI-XII. Ortelius, ex Gallia redux, narrat quae viderit defunctae in Lotharingia Ducissae fieri ministeria quasi vivae, quod idem alius testatur de Franciae Regibus. XIII Nova prope Zirckzeam, sed cruenta victoria. Baptizata puella Anabaptistica. Recusatur nova contributio. XIV. Gubernator creat Equitem S. Iacobi, XV. et viduae Consulis Stralii, capite plexi, iubet compensari dotem suam, venditis quibusdam mariti bonis in Merxem et Dambrugge.

ACTA.

I. Iam diximus supra ad annum M.D.LXXIV, ipso quo Senatus tunc fuit renovatus die, abolitas fuisse novas Iustitiae et Rationum Cameras, ab Albano inductas, hoc communis anni initio; licet, stylo Brabantiae necdum prorsus exstincto, censeretur adhuc ab aliquibus currere annus prior. Addidimus ex Secretariorum relatu, pariter tunc fuisse Civitati restituta privilegia sua omnia vetera ac consuetudines, quas inter fuisse formam iudicialem, ab antiquo servatam in eo Tribunali, quod erat in veteri Burgo constitutum, notat Rotulus octennis. Cetera, utinam diu retinere quieta Civitas meruisset! « Interim, » die XX aut XXX Ianuarii, in ecclesia iam Cathedrali corruit » septentrionale cornu cruciformis pronai, paulo post pran» dium, sed absque ullo cuiusquam damno, » ut scribunt Valkenisse et Caukerkius; quod libenter intellexerim de fornice, post incendium vel primum inducto, vel etiam restaurato. Die autem XXI eiusdem Ianuarii, iterum coepit Tribunal exerceri in Burgo, e regione ecclesiae S. Walburgis.

II. « Sub finem quoque huius primi mensis, magna cum » admiratione omnium, perfecta stabat Iesuitarum ecclesia, » autumno superiori (ut dictum est) inchoata. Mira enim » fuerat alacritas eorum qui fabricae praeerant; mira fabro- » rum diligentia et ordinatissima multitudo. Et est, inquit » Historia, tam concinne et commode factum opus, ut vix aliud » simile inveniatur; neque superbum illud neque vastum; » capax tamen ut aliquando simul in ea fuerint quinque audi- » torum millia numerata; itaque aptatum ut concionator undi- » que videri et audiri posset. Mirabilior autem fuit Dei erga » Societatem providentia, quod temporibus tam duris, et patria » iam ruente, in maxima rei pecuniariae difficultate, de domo » tam commoda et eleganti ecclesia Iesuitis prospexit. Non » deerant etiam qui miraculo tribuendum putabant, quod » tempore hiemis, per quam vix solet aliquid operis fabricari, » potuerit istud tam praeclarum excitari. Tanta nempe erat » serenitas et temperies aeris, ut autumnum dixisses, neque » gelavit donec absolutum fuit opus. Aliis nihilominus videba- » tur stupendum, quomodo templum, non omnino parvum, » construi potuerit intra privatos unius domus parietes, absque » ullo fere ullius incommodo. »

III. Veteris istius ac primae Iesuitarum ecclesiae nihil nunc superest, praeter absidem maioris altaris, modice excavatam in pariete orientali, supra labrum fossae a felibus nuncupatae DE CATTEVEST. Circumdatur ea absis limbo nigro, et crucibus sacro chrismate delibatis, eo loco quem fabri lignarii officina nunc tegit. In extimo domus Aquensis ad hortum angulo est etiam vestigium portulae, per quam concionator pulpitum ascendebat. Ex istis interim argumentum ducitur ecclesiam istam fuisse ductam per eum qui nunc est hortum, domui adhaerentem, eiusdemque horti potiorem partem occupasse; longam ab occidente in orientem pedes plus quam centum, latam circiter

sexaginta quatuor; non in eadem cum ipsa domo linea, sed plus quam quadraginta pedes retrocedendo, sic ut trans ipsam occurreret impluvium pedum circiter viginti usque ad ecclesiae frontispicium. Formando conceptui serviet collegii tunc nostri, seu domus Aquensis, iconismus, sumptus ex tabula anno M.D.LXXXVII sculpta, qua repraesentabatur a porta domus egrediens Praefectus Sodalitatis cum corona et sceptro tradendis Virgunculae Antverpiam repraesentanti, et imponendis statuae Marianae, eiusdem Sodalitatis studio et sumptu ante Curiam evectae. Vides ergo hic dictae domus portam geminam, per quarum alteram dabatur ingressus in domum, per alteram ad impluvium quod dixi; simul etiam vides formam non invenustae turriculae, eidem ecclesiae lateraliter appositae; quorum omnium nihil nunc superest, praeter ultimas quinque fenestras domus, cum ostio caveae tum ad plateam, nunc ad aream interiorem patentis.

IV. « Novum hoc templum in sua dioecesi primum consecravit primus, quem supra dixi, Antverpiensium Episcopus Sonnius, cum tribus altaribus; quorum primum SS. Petro et Paulo, alterum sanctissimae Trinitati, tertium beatissimae Dei genitrici nuncupavit; caeremoniisque peractis, anniversario dedicationis celebrando assignavit Dominicam proximam illi, quam in Albis vocamus; et mox quotquot aderant Iesuitae sacerdotes, eadem altaria successive sacrificando initiarunt; qui ante id tempus fecerant sacra in magno quodam ipsius domus atrio. Eodem dedicationis die, advenit Gubernator cum tota Curia sua, ut sacro Missae officio interesset; plurimique eius praesentia fuerunt animati ad novum templum frequentandum, qui antea, metu obloquiorum et irrisionis, Iesuitarum ecclesiam accedere metuebant. Cessavit etiam ea ratione obtrectatio quorumdam Religiosorum et Ecclesiasticorum, reprehendentium Societatem, quod novitatis

» esset avida, neque veteribus templis contenta. Peracta » autem re divina, Gubernator Reverendissimum apud se » pransurum deduxit, cui alioqui, pro more patriae, sumptuo- » sum prandium a Iesuitis instrui debuisset. »

V. « Ab his autem per totam sequentem Quadragesimam, » cuius initium, seu feria IV Cinerum, concurrebat cum ultima » Ianuarii, habitae conciones; et teutonicae quidem quotidie » a P. Godefrido Lummio, quibus identidem Reverendissimus » intererat, cum Canonicis et aliquot primariis viris ex Senatu; » et horum exemplo motus populus numerose conveniebat. » Pater vero Frigosus ter per hebdomadem dicebat hispa- » nice, interveniente, cum per occupationes licebat, Guber- » natore et Curia. Alio loco quidam Pater Eliseus diebus » festis dicebat de rebus divinis ad Anglos. Ceteri Patres » audiendis confessionibus impendebant sese, et pares vix » erant quinque vel sex, cum antea duo abunde suffi- » cerent. Nam licet passim in aliis quoque Religiosorum » templis, Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta minis- » trarentur, pius tamen populus Iesuitico magis afficiebatur, » quod in hoc maiori cum cultu, reverentia, ordine id fieri » observabat.

» Porro numerus ille ibi frequentantium sacramenta, non » tantum e feminis, sed etiam e viris collectus erat. Fama » etiam tam laudabilis ad omnes huius Provinciae urbes » pervadebat, ut, quando ex aliis oppidis negotiatum huc » veniebant mercatores Catholici, accederent ecclesiam Iesui- » tarum sacramenta suscepturi, allecti decore et honestate, » qualem suis in locis teneri non videbant. Successu temporis » instructa ecclesia fuit duplici sedilium ordine, varioque » ornatu, cuius pretium ad bis mille ducatos accederet; et » turris duplici consignatione erecta, in qua campanae duae, » maior ad conciones, minor ad sacra vocabat populum;

» simul autem ecclesia et turris steterunt quinque millibus » ducatorum. »

VI. Ex dictis apparet, Gubernatorem transegisse Antverpiae bonam hiemis et veris partem, saltem vicibus interpolatis; quo tempore contigit id quod Iesuitarum narrat Historia: « ut Veneti quidam tentarent Civitatem prodere Auriaco, » nunquam non huc intento, sed semper spe frustrato; » deprehensi autem et convicti, ad crucifragium damnati sunt. » Erat inter eos vir grandaevus ac honoratus; praeclari gene- » ris, variis civilibus officiis aliquando perfunctus, civibus » carus admodum, quod nullius sceleris, praeter hanc unam » culpam, umquam fuisset notatus. Cum autem iam ducere- » tur, ut ceteri, ad locum supplicii, pro eius salute concurrit » populus ad Patrem, qui confitentem audierat, morituroque » aderat. Obsecrat ut, adiens Commendatorem, deprecetur vitam » reo, quam per alios, tam Religiosos quam seculares frustra » poposcerant. Annuit eorum precibus Pater, et coram omni » populo ad pedes Marcgravii, iustitiae executoris, supplex » accidit. Respondet ille, nihil se in hac re posse. Adit » igitur Pater alium Generalem Praefectum : hic ad Guber- » natorem remittit, a cuius oculis prius noluit abire Pater, » quam gratiam salutis impetraret; cum qua ad senem semi- » vivum rediens, chirurgum advocat, venam secari iubet, » cibo potuque hominem reficit, refectum amicis liberisque » restituit, eo maiori cum populi gratulatione, quod iam alias » saepius eiusmodi caritatis officium Hispanis militibus prae- » stiterant istius nationis Patres. »

VII. « Horum ministeria cum ita iam vigerent, postulabant » omnes, praesertim Hispani, hoc etiam officium ceteris adiice- » rent Patres, ut litteris iuventutem imbuerent; indignum » videri, illos, obtenta iam domo et ecclesia, quasi velle quies- » cere, nec praestare quod fuerant imprimis polliciti. Aequa

» postulabant, et cum honore Societatis alias periclitaturo » coniuncta. Tergiversabantur tamen illi novum onus suscipere, quando eorum domus annua septingentorum et quinquaginta florenorum pensione adhuc gravabatur. Persliterunt » nihilominus amici in sententia, multa pollicentes ad eam » curam eximendam. Facultate ergo a Patre Generali accepta, » ludum aperuerunt die festo S. Georgii, xxii Martii, magno » civium applausu; alia tamen caeremonia adhibita non est, » quam quod P. Sonhovius, novarum scholarum Praefectus, » in templo coram Episcopo et Canonicis aliisque honoratis » ac litteratis viris, gravem orationem latine habuit, de recta » iuventutis institutione; quae, sub eiusdem Patris cura, paucis » mensibus ad trecentos crevit. Inter haec appropinquabat » Pascha, die iii Aprilis celebrandum. Ad huius Parasceven » solebant Hispani mercatores quotannis erigere sepulcrum » Domini in aede S. Iacobi; id cum plerique eorum hoc anno » apud Iesuitas faciendum iudicarent, rem intelligens Pastor » illius ecclesiae, dissidere eos fecit, et Baeticos a Castellanis » abiunxit; sed moderatiores Castellani, neque tali ex causa » volentes disceptare, soli per se aliud excitarunt, ponendum » quo vellent loco, et suum Baeticis reliquerunt. Fuit autem » novum hoc sepulcrum tam magnifice, splendide ac decenter » ornatum, ut intuentes plerique ad mortem Domini deflendam moverentur; tantusque fuit hominum concursus (maxime quo tempore divinum officium cum suavi harmonia » decantabatur), ut a tempore matutino usque ad vesperum, » plena hominibus esset ecclesia; fuit etiam haec ratio struendi » sepulcri adeo grata, ut eadem allecti Baetici desierint seorsim instaurare suum. »

VIII. « Aderat tunc temporis Gubernator Antverpiae, nec » isti pio actui passus est praesentiam suam deesse. Interim, eo quem dixi successu, apertae scholae non poterant

» daemonis impugnatione vacare. Captant inter se consilia Theo-
» dorus Tilmannus et Religiosi duo, primae celebritatis con-
» cionatores, quorum et Ordinis nominibus parco; conveniunt
» cum altero Consulum, agunt de pensione assignanda super
» vectigali cerevisiae, qua publicarum scholarum Praecepto-
» res sustentarentur, praefecto iis Theodoro. Sperabant isti
» se posse hac via Iesuitarum labefactare Gymnasium, quod
» sibi magno esse detrimento censebant. Nam Religiosorum
» istorum primus conquestus erat apud varios cives, per hanc
» iuventutis eruditionem futurum, ut totius Civitatis studium
» et benevolentia ad Iesuitas declinaret, suoque conventui
» eleemosynae subtraherentur. Cum vero eiusmodi pensio-
» nis onera imponi non possint nisi de Regis voluntate, miris
» modis sollicitabant Commendatorem, ut eiusmodi pensionem
» in scholarum publicarum usum fieri permitteret: sed nihil
» est effectum; maxime quod eiusmodi pensionis institutio ab
» ipsis etiam cerevisiae coctoribus dependeret, qui in eam
» nunquam consensissent; quare paucis verbis respondit Com-
» mendator, non fore se difficilem, Senatui tamen prima
» locanda esse fundamenta. Erat autem hic animus Commen-
» datori (ut postea ipse Iesuitis narravit), si in istam pensionem
» Civitas consentiret, ipsammet applicare alendis suis Praece-
» ptoribus, quibus plus tribuebat quam aliis externis; asserens
» nullas alias scholas, praeterquam Societatis Iesu, esse
» aperiendas.

» Mense Maio sequenti, in die S. Petronillae, qui tunc
» cadebat circa festum corporis Dominici, III Iunii celebran-
» dum, exhibita est in Gymnasio Societatis comoedia elegans
» et venusta, quae declarabat historiam filiorum Israel, de
» manna et petra. Eam spectatum venerant Commendator,
» Reverendissimus, Senatus Antverpiensis, aliique viri graves,
» tam seculares quam ecclesiastici, tantusque erat concursus

» spectatorum, ut Commendator et Episcopus non essent a
» pressura immunes. Comoediam subsecutum est schema cate-
» chisticum, in quo discipuli, sciscitante Magistro, variis lin-
» guis efferebant quaedam, ad mores et doctrinam Christianam
» spectantia; undeque varii sermonis auditores, qui tum ade-
» rant, fructum aliquem caperent. Itaque tranquille toto pene
» illo anno procedebant ministeria Societatis, et P. Hertogii
» Leydani tanta erat dicendi vis, ut Dominicis festisque diebus
» verba faciens ad populum, mire percelleret animos audien-
» tium; numerus vero augebatur quotidie, adeo ut qui duabus
» horis tempus concionis non praeveniret, templo exclu-
» deretur. »

IX. « Sub idem tamen tempus aliquod infortunium time-
» batur Collegio, quod mercatores Hispani, qui magnam eius
» partem sustentabant, fraudarentur pecunia sua, quam ma-
» gnam Regiae Maiestati crediderant. Hanc ob rem nolebat
» Pater Rector ab illis exigi, quod annis singulis numerabant,
» rem totam divinae providentiae in spe et silentio permittens.
» Neque frustratus ea spe est : nam post menses aliquot, cum
» illustris vir Franciscus Ripalda, generalis stipendiorum
» Numerator, Sociorum angustiam intellexisset, approbante
» uxore sua, sub utriusque chirographo addixit ad biennium
» certam pecuniae summam, in singulos menses numerandam
» de suis facultatibus, aequalem illi quam Natio donare sole-
» bat; nec propterea quidquam detrahebat consuetis eleemo-
» synis, providens Collegio per quinque annos de frumento,
» vino, lignis. »

X. « Circa finem Septembris, Commendator eduxit exer-
» citum in expeditionem Zelandicam, assumpsitque secum
» P. Michaelem Fernandez, cum Vincentio de Zeelander,
» aegrotantium militum curam habituros. Illi vero tam huma-
» niter aegros tractarunt, et numquam tantam caritatem in

» suis morbis expertos se faterentur; et milites, hortatu Patris » animati, per mediam classem hostium munitissimam penetrantes, impavidi, nocte intempesta, recreati sunt lumine » coelitus demisso, quasi viam monstrante, quod densissimis » in tenebris splendebat in modum coronae, ac supra caput » magni Commendatoris adstitit. Quare pergebant alacriter, » ac Deo bene iuvante, tres uno impetu occupaverunt insulas » cum suis propugnaculis, fidei hostibus caesis aut fugatis. » Ea victoria Hispanis obtigit nocte festum S. Michaelis » praecedente, ex quo primam insulam S. Michaelis nuncupa- » runt; caro tamen ipsis illa stetit, nec eius fructus diuturnus » fuit, sicut accurate describit noster Strada; et propter aeris » intemperiem, praeter desideratos in pugna fortissimos mul- » tos lethalem, aegritudinem retulerunt inde complures, » ipseque Gubernator scabiem illic quamdam contraxit, quae » eum reliquo tempore, quod fuit paucorum mensium, non » dimisit. Interim, die XXX eiusdem mensis, actae sunt in » aede Mariana solemnes pro eo successu gratiae. »

XI. Die VII Octobris, ex sua per Gallo-Belgicam peregrinatione regressus *Abrahamus Ortelius*, Gerardo Mercatori, Cosmographo celeberrimo, totius itineris sui rationem reddidit per epistolam sub titulo Itinerarii, anno post nono, Christi M.D.LXXXIV, a Christophoro Plantino excusam; qua erudite describuntur loca singula, eo itinere perlustrata; et, pag. 37, laudato quod vidit Nanceii (Lotharingiae metropolis ea est et Palatium). « In eo, inquit, factae exequiae Claudiae Valesiae, » Henrici II, Francorum Regis, filiae, coniugis Caroli Ducis, » qui nunc rebus praeest, nuper admodum defunctae (id est » XX Februarii ipsius, quo Nanceium Ortelius appulit, anni) » factae sunt, inquit, exequiae more in ea familia usitato. » Imago ipsius defunctae, vivae quam simillima, regalibus » induta vestibus, in lecto sublimi collocata erat. Ad eam

» quotidie mane accedebant famulae ac domestici nobiliores, » qui circa vivam assueverant, quasi adhuc Dominam saluta- » turi; medici etiam, ut consultaturi de eius valetudine; et » tempore solito, posita ante lectum mensa, cibi apponeban- » tur per eos qui vivae ministrabant; pauperibus tamen, » mox absoluta caeremonia, distribuendi; et hoc quadraginta » dierum spatio; quo etiam tempore templa in ipsa urbe clausa » sunt, et solita sacra omnia in solo Palatino fiebant coenaculo, » exstructo ad id altari. Senatus omnis atratus incedit, atque » ad annum integrum a tripudiis et saltationibus abstinetur. » Ita Ortelius, cum socio itineris Ioanne Viviano.

XII. An horum quoque testium pene oculatorum fidem explodet is, qui simile testimonium, in Paralipomenis meis ad Chronologiam Pontificiam, pag. 146, relatum de exequiis Francisci primi, Galliarum Regis, anno M.D.XLVI defuncti, explosit ut commentum? « Ut excesserat (inquit auctor noster) » e vivis Rex, eius mox effigies per dies undecim collocatur » in lecto, magnifice ad ostentationem composito; statis » prandii coenaeque temporibus, velut in scena, repraesentatur » quidquid vivo Principi solebat obsequii. Strata mensa per » triclinii Praefectos, mensaria supellex per nobiles ad id » muneris destinatos illata; expeditur canistris ceres : aderat » pincerna, structor aderat, qui appositas dapes delibaret et » distribueret, praeeunte apparitore Regio; deprompti scyphi, » et inclinato reverenter capite mensis impositi; exploratum » vinum, pane in frusta secto, perque mensam distributo, » inferuntur fercula, stipante Accenso Regis, Oeconomi; » pueri nobiles a cubiculo, rei culinariae Praefectus, vasorum » custos, stabant, suo quisque intentus muneri; mantile viro, » tum in aula Principi, oblatum, per quem Regi daretur » in manus; recitatae per Cardinalem preces, quibus cibi » consecrantur; aqua lavandis manibus sedili regio, ac si

» adesset porrecta; continuati tres ferculorum missus ordi-» naria cum pompa, admotusque calix eo tempore quo » solebat bibere, bis nempe refectionibus singulis. Tandem, » gratiis actis largitori bonorum omnium, Deo, subiiciebat » Cardinalis Psalmum *de Profundis.* » Hactenus auctor Apologiae pro Sinarum politicis in suorum defunctorum honore caeremoniis, toleratis per Iesuitas, fidei Christianae apud eos praecones; et verso ad calumniatorem stylo, *Ausisne*, inquit *hasce tu caeremonias idololatriae vel impiae superstitionis condemnare?*

XIII. « Die xxx Octobris, in Dominica sub meridiem, nos-» tri violenter interceperunt munitionem quamdam in Zelandia, » Zirickzeae propinquam, nomine Beucney, interfectis in ea » militibus septingentis, omnibus fere Gallis ex Vasconia; » ipsi vero amiserunt circiter trecentos, et ferme mille vul-» neratos retulerunt Hispanos, Germanos atque Walones; » quare sequenti mox die Antverpiae accersiti quam plures » chirurgi, tam cives quam castrenses; Bergizomenses quoque » iussi sunt suos mittere; sed solum viginti voluerunt eo » ire. Inter saucios fuit Tribunus Italus, Chiappinus Vitelli; » qui ii Novembris navi allatus huc et in ea prope Lilloam » mortuus est; die iv autem, perquam solemnes ei sunt » celebratae exequiae, omnibus Civitatis campanis sonantibus » per quatriduum. Die autem ix, redivit ex Duvelandia Bergi-» zomio Requesenius.

» Praecedenti autem Dominica, vi die mensis, in Cathe-» drali baptizata fuerat, sub conditione, a Parocho ibidem » Sebastiano Baer puella xviii vel xix annorum, ritu Ana-» baptistico tincta, cum iunior esset; sed quae memoriter » callebat Pater, Ave, Credo, et ad omnes Episcopi inter-» rogationes apte noverat respondere; praesentibus Rogerio » de Tassis, Decano populoque innumerabili; erat enim,

» ritu sponsae, passis crinibus et lineo superpelliceo longiore
» induta.

» Die xvii, convenit Consilium quod vocant Largum, delibe-
» raturum de contributione exigenda super omni carne, vino,
» cerevisia, lineo ac laneo panno, pro exstinguendo reliquo
» debitorum in stipendia seditiosis Hispanis solvenda contra-
» ctorum. Et hac occasione civis quidam malefactor et latro iure
» civilitatis privatus solemni more est, iuxta vetera privilegia,
» quod toto sexennio praeterito desierat fieri, per novam ab
» Albano inductam praxim administrandi ex ritu Hispanico
» iustitiam. Consilio autem rursum coacto, die ultima mensis,
» super praenotata petitione, responsum ab Ambactis scripto
» est, rem prorsus impossibilem exigi. »

XIV. « Die xxvii, prima Dominica Adventus. venit ad Cathe-
» dralem Dominus Commendator, auditurus solemnem Missam;
» ante quam Hispanum quemdam Nobilem creavit Equitem
» Ordinis S. Iacobi, consecrato prius pretioso gladio per
» quemdam Hispanum monachum, interim dum duo eiusdem
» Ordinis Equites accingerent eum Zona auro texta. Commen-
» dator autem, gladium vagina eximens, eodem leviter caput
» humerosque Equitis novelli percussit; deinde monachus
» exutum Hispanica chlamyde, induit longo candidoque pallio,
» cui assuta erat crux rubra Ordinis; et Commendator collo
» ipsius iniecit aureum torquem, ex conchis Iacobeis contex-
» tum, eiusque iuramentum excepit; quo facto decantatoque
» Ambrosiano Hymno, prosecuti iidem cantores sunt Missam;
» cui totique caeremoniae praedictae praesentes adfuerunt Dux
» Arschotanus, Dominique Barlaimontius et Mansfeldius, ac
» tota Aula et Senatus. »

XV. Denique sub anni finem, uxor Antonii Stralii, Domina Mentia, diu videtur laborasse, ut ex confiscatis mariti bonis dos sibi sua resarciretur; id quod tandem obtinuit anno post illius

supplicium VII, Christi M.D.LXXV. Etenim apud Advocatum Nys reperi praegrandem membranam, qua continetur PHILIPPI Regis Castellae auctoritate signatum diploma, die XX Decembris, asserens quod « prospicere Rex volens securitati summae dota- » litiae, solvendae D. Mentiae de Stralen, viduae quondam » Antonii de Stralen (tam quoad capitalem summam, redden- » tem annuatim viginti novem libras Flandricas, ipsi in confis- » catione bonorum mariti sui reservatam; quam quoad cano- » nes, annis intermediis cessos) venum exposuerit in publica » Antverpiensis fori auctione quasdam portiones terrae in- » dominicatae in Merxem et Dambrugge, olim attinentis ad » dictum Antonium de Stralen, atque ad eius Maiestatem devo- » lutae iure confiscationis, quae per ultimum palmae ictum » cesserint in ius Thymani van Ursele ad profectum Petri » Robyns, generi sui, pro capitali mille quadraginta quatuor » librarum monetae Flandricae, singularum ad quadraginta gros- » sos eiusdem monetae; idque ex suggestione, approbatione, » et consilio Magni Commendatoris Castellae, Locumtenentis » Generalis in Belgio. » De qua sic facta ex parte Regis vendi- tione et cessione, expeditur Antverpiae praedictum diploma, ipsam omnibus notum faciens, ad plenam Petri Robyns in sua sic adita possessione securitatem, anno et die praedictis. *In dorso sic scriptum legitur :* « Antonius del Rio, Toparcha de Kleydale, » Thesaurarius generalis confiscationum, notam et memoriam » servat tenoris praesentium, albae faciei inscripti, signans id » quod eisdem mandatur, Bruxellis, die IV Ianuarii M.D.LXXVI, » secundum edictum. *Et in plica :* Per Regem : *subscriptum* » OVERLOOPE. »

Nulla hic Consilii vel Regii vel Brabantici mentio; et in linea, membranae infra per plicam transmissa, ac dependente quasi ad sigillum apprimendum, nec ipsum nec ullum eius vestigium apparet, sed pura manent omnia; quod notandum duxi, ut ex

hoc specimine intelligatur, multa circa Regiorum diplomatum expeditionem per Albanum fuisse mutata, et Commendatori potiorem fuisse curam ut oppressis subditis iustitia redderetur, quam ut minutiora alia ad statum pristinum revocarentur.

A. C. M.D.LXXVI.

ARGUMENTUM.

I. Per mortem Commendatoris regimen devolvitur ad Status Brabantiae, qui Magistratum continuant usque ad Martium. II. Secutas hinc turbas insigni Commentario describit Metzius, Silvaeducensis Episcopus.

ACTA PRIMI TRIMESTRIS.

I. Fuit hic annus Belgio toti funestissimus, per mortem magni Commendatoris Ludovici Requesenii, Bruxellis defuncti v Martii, antequam ei a Senatu legerentur signarenturque litterae, quibus Rex Philippus Comitem Barlemontium Belgii Gubernatorem, Petrum Ernestium, Comitem Mansfeldium, armorum Ducem renuntiabat. Ita devoluta est ad Senatum primarium cui a Statu nomen, pro more gentis, Belgicae administrationis summa, quoad Regi videretur; unde quae nata rerum confusio sit, declarabit opusculum, de quo mox. Interim, « die xvii, » vesperi coepit solemnis pro defuncto compulsatio, per » triduum subsequens duratura; et sequenti eademque Do- » minica die, instituta ex D. Virginis, et consequenter ex » Parochiis aliis solemnis supplicatio, quatenus Deus Belgio » prospiceret de alio, qui ipsum posset reddere quieti et » felicitati pristinae. » Opusculi autem praedicti titulus hic est:

II. *Commentarius* MS. *Reverendissimi Episcopi Buscoducensis, eo tempore quo seditio et rebellio per principes atque praecipuos ferme omnes Nobiles huius patriae, per Ordines Brabantiae ceterosque aliarum Provinciarum, contra Regem Hispaniarum, legitimum suum Principem, est continuata, a morte Ludovici Requesenii, magni Commendatoris Castiliae, usque ad ingressum Ioannis Austriaci.*

Episcopus Buscoducensis tunc temporis post Franciscum Sonnium, Antverpiam translatum (teste Gramayo, in Taxandria sive Campinia nostra, cuius caput Silvaducis est, pag. 8) Buscoducensis, inquam, Episcopus erat « LAURENTIUS METZIUS » qui ante D. Gudulae Bruxellensis Decanus, sponsam Regis » Catholici, Imperatoris filiam, magnifice suscepit; Kalendis » Maii Synodum Dioecesanam celebravit; Seminarium Epi» scopale erexit; tandemque ob turbas, anno M.D.LXXVII obo» rientes, Namurcum profugus; ibique partim morbo, partim » mandato Pontificio retentus, anno M.D.LXXX, XVIII Septem» bris, vitam exuit, in D. Albani ibidem locum sepulturae » nactus. » Modis profecto omnibus fide dignissimus scriptor rerum a se visarum, et ex parte gestarum.

Epitaphium eius nullum superest; pro epitaphio sit effigies, quam habeo ex pictura ad vivum, servataque Gandavi apud piam virginem, ex illius sorore trineptem, cuius frater Norbertus van Mol, Societatis nostrae, nunc pie defunctus, ectypon mihi sua manu delineavit.

Sed ut haec effigies vultus venerandi lineamenta exacte referat, melius animum viri, Deo Regique fidelem, cognoscendum dabit, quem dixi, Commentarius, non inutili compendio complexus principia motuum Belgicorum.

III. Prius tamen quam huc accedam, explicanda est in defectu Gubernatoris facta :

RENOVATIO MAGISTRATUS

Nomine Statuum Generalium.

COMMISSARII XIII *Martii*. — Dom. Dux Arschotanus. — Dom. van Barlemont. — Dom. Cancellarius. — Dom. de Champaigny, Gubernator Antverpiensis. — Dom. Goswinus van Varick, Praetor. † — *cui suffectus* Simon vande Werve.

CONSULES — Dom. Henricus van Berchem. — VII Dom. Ioannes vander Meeren. † *suff.* Dom. Ioannes Wolfaert.

SCABINI. — Dom. Nicolaus Rockox. — Dom. Ioann. vande Werve. † — *suff.* Wilh. Schoyte, f. Arnoldi. — Dom. Io. van Schoonhoven. — Dom. Ioannes Wolfaert. — *suff.* M. Cornelius de Wyse. — Martinus van Ranst. — Gerardus des Pommeraulx. † — *suff.* Rogerius van Leefdale. — M. Ioannes de Pape. — Aegidius Happaert. — M. Adrianus van Heylwege. — Wilh. Borrewant. — Blasius de Beiar. — Philippus Vensel. — Nicol. van Bouchout. † — *suff.* Adolph. Blyleven. — Mag. Michael Knobbaert. — Dl. Ioannes Damant. — Mag. Balthasar van Vlierden. — Cornelius Pruynen.

Horum qnatuor in officio mortuos addita nomini crux significat; penultimus *Balthasar van Vlierden* civiliter mortuus censeri potest, hoc vel sequenti anno, cum deinceps nusquam compareat, ob zelum religionis et fidei erga Regem passus iniurias multas, ac demum etiam carceri mancipatus; unde liberatum Magistratui, ex Catholicis meris renovato, Princeps Parmensis restituit, ut infra apparebit. Addunt Secretarii quod suffectos istos, nomine suae Maiestatis, creaverit *Hieronymus de Rhoda,* utique unus ex primariis Hispanorum officialibus; qui etiam pro Magistro *Dominico Wagemaker,* et *Francisco des Pommeraulx,* Graphiariis, pariter caesis, *Mag. Petrum Charles* et *Mag. Carolum Blyhooft* substituerit. Exhinc autem deinceps

videmus in Fastis *Dominos*, id est, *Equites* distingui a *Domicellis*, vulgo IONCKERS, id est *Equitum filiis*, quasi dicas *juniores Dominos*, licet necdum creatos Equites, ex patrum tamen praecellentia Nobiles.

ARGUMENTUM.

I. Ioanni Steinio, Germano, ponitur epitaphium, titulo eruditionis. II. Inducitur lector ad sequentem Commentarium, aliunde tamen (uti res feret) interpolandum, circa reliqua huius anni Acta.

ACTA POST RENOVATIONEM.

I. NOVI Magistratus initia, uno post eius creationem mense, secuta est mors egregii apud nos hospitis, eruditionis titulo hoc epitaphium commeriti, « IOANNI STEINIO, GERMANO, *Graecae Latinaeque linguae, omniumque artiam, et imprimis Mathematicarum disciplinarum, ut ipsius scripta testantur, peritissimo, praematura morte subrepto,* ANTONIUS SECUNDUS FUGGERUS, *propter virtutem et doctrinam hoc monumentum fieri curavit, anno* M.D.LXXVI, XVI *Kal. Maii.* » Sic autem inscriptus lapis, cuius tenorem etiam Sweertius refert, pag. 114, et ab ecclesia (nescio qua causa) sublatus anno M.DC.LXXV, teste Advocato Nys, die VIII Aprilis, positus fuit in coemeterio, utique Mariano, in quo solo eiusmodi lapides relictos memini ab olim vidisse me, qui nunc omnes sublati et ad alios usus translati sunt, ad plantandas circumcirca et per crucem totius areae tilias, aspectu gratiores. Neque solus lapis ille iam periit, sed etiam scripta viri, nusquam reperienda, quod sciam, neque vulgo Bibliothecarum compilatoribus, Gesnero, Miraeo, aliisque nota, ut vel hic memoria eius conservari posse felicitatis sit.

II. Ad METZIUM venio; hic motus Belgicos orditur a festo S. Annae XXVI Iulii, quo cives Bruxellenses in seditionem versi sunt contra Hispanos, qui, expugnata fortiter Zirickzea,

minaciter flagitabant debita promissaque stipendia, et, desertis quas vicerant insulis, in Brabantiam effusos; ac tandem, capto de hostibus expilatoque Traiecto, Alostum loco pignoris occuparunt, ipsis Bruxellis inde minitantes. Iis sic agentibus, Brabantiae Ordines, sufflammati ab Auriaci studiosis et emissariis, omnia pro eius arbitrio moderantibus, consultabant et altercabantur de modo pacandi Provincias, easque ab Hispanorum oppressione liberandi. Ut tamen ordine res procedat, et Bruxellis, ubi Antverpiensium deputati pars consultantium erant, non continuo haereamus, placet identidem Antverpiam redire et quaedam hic specialiter gesta narrando interpolare Commentarium promissum; eumque, quia longior est, in plures paragraphos distinguere, praemittendo singulis argumentum Actorum iis enarratorum; aliunde autem ascita secernere per « », quae autem solius Metzii sunt, ordiri a †.

COMMENTARIUS

Laurentii Metzii, Episcopi Silvaeducensis, ex MS. Carlomanni Nys, IC. Antverpiensis.

ARGUMENTUM.

I-II. Ordines Brabantiae petunt sibi directorem dari Principem Auriacum. III-V. Inquisitioni per Belgium constituendae adversantur omnes Equites, et petunt libertatem Religionis. VI-VII. Agitur de Hispanis pellendis ex Belgio; VIII. Auriaco stimulos addente per factionis suae homines.

PARS PRIOR.

I. † Ut plene atque perfecte cognoscatur vera causa praesentium motuum, operae pretium erit penitus inspicere priora tempora et negotium hoc rebellionis ab ipso ovo (ut est in proverbio) exordiri; et quae ante hos motus, per Proceres Belgii et Brabantiae Ordines gesta sunt, tribus verbis repetere.

Cum Belgium, pace feliciter anno M.D.LIX inita cum Francis, rebus omnibus abundaret, et opibus mirum in modum floreret, omnique genere deliciarum affluerel, inductus est in ipsum ingens fastus, atque ex hac rerum prosperitate facti sunt homines usque adeo tumidi, ut pene nemo vellet subiici alteri, sed quisque studebat se super alios efferre. Hinc Principes non imitari, sed superare magnificentiam regiam connitebantur mercatores et ditiores cives; nobilissimos quosque rustici cives; adeo ut, non solum delicate, sed etiam sumptuose viveretur in Belgio. Evidentissime hoc conspicere licuit ex unico conventu Rhetorum omnium civitatum Brabantiae, Antverpiae celebrato; in quo Civitas Bruxellensis unica (idque anno secundo a pace habita) dicitur consumpsisse centena millia florenorum.

II. Atque hinc in animis hominum nata est effrenata quaedam cupido omnis libertatis, tum Religionis, tum aliarum rerum; quae incepit se exerere eo tempore, quo Maximilianus, filius Frederici, Romanorum Rex creatus anno Domini M.D.LXII, dicebatur venturus Aquisgranum, ut Corona prima Romani Imperii decoraretur. Tum enim serio deliberatum est ab Ordinibus Brabantiae, annon et ipsi suos legatos destinare eo deberent, et per eosdem recognoscere Brabantiam esse membrum Imperii, et ob id se paratos esse, Imperio cum aliis ditionibus se subiicere; quo etiam frui possent libertate illa, qua reliquae ditiones Imperio subiectae fruuntur, tum Religionis, tum aliarum rerum. Post maturam itaque et longam deliberationem, conclusum est mittendos esse legatos, et ad hoc electus est primus tunc temporis Scabinus Antverpiensis (quem Burgimagistrum vocant), cui cognomen erat *Stralen*, et Pensionarius pro tempore Bruxellensis, homines admodum apti tali legationi. Nam alter eorum, nimirum *Stralen*, ob suam a Religione Catholica et obedientia Regis defectionem

poenas dedit sub Duce Albano; alter, ante adventum Ducis Albani, repentina morte, nocte intempesta, exstinctus est, ex crapula (uti multi putant) diei praecedentis.

III. Huic malo prudenter tunc occursum est per illustrissimam *D. Margaritam*, Ducem Parmensem, Belgii, pro tempore, Gubernatricem. Inventa est enim occasio, qua revocati sunt, ne ad locum coronationis devenirent, et legationem suam explerent; ipsi autem revocati et confusi, simularunt se fuisse ad balnea, ut erant valetudinarii. Hoc cum non successisset, excogitatum est aliud medium, per eosdem Deputatos et Ordines Brabantiae : nimirum quod ex parte Ordinum Brabantiae, constitueretur *Princeps Orangius* caput et director Reipublicae Ducatus Brabantiae; cuius rei auctor putatur fuisse praescriptus *Stralen*; quod cum postularetur a Consilio Status Regis, responsum est Ordinibus Brabantiae, quod crimen esset laesae Maiestatis, petere aliud caput Ordinum Brabantiae quam Regem; cum ipse Rex sit caput Ordinum et director Reipublicae Brabantiae. Quae responsio cum vehementer offendisset animos Nobilium, inceperunt inire foedera inter se; quae qualia fuerint et quas ob causas inita, eventus docuit.

IV. Interea profectus est *Comes Egmondanus* in Hispaniam ad Regem, apud quem inter cetera egit ut abolerentur, aut saltem suspenderentur edicta regia, in Belgio publicata contra haereticos; sed cum severissimus Rex Catholicus hac de re statuere nihil voluerit, donec haberet consilium Episcoporum et Praesidentium Consiliorum provincialium ac Doctorum Belgii, statim, ubi dictus Comes ex Hispania redierat, illustrissima Domina Parmensis, Gubernatrix Belgii, convocavit Praesidentes, Episcopos, et aliquos Doctores, tam Iuris quam Theologiae ex Universitate Lovaniensi, iuxta mandatum a Rege acceptum, ut super hac quaestione deliberarent. Habita illi matura

deliberatione, et dissolutis argumentis, quibus Proceres Belgii nitebantur probare abolenda esse edicta regia, concluserunt, haereticos puniendos, et edicta Regia in viridi observantia retinenda, subsignantes dictam conclusionem nominibus propriis. Hanc conclusionem quam aegre tulerint Proceres Belgii, commonstravit supplicatio per Nobiles illustrissimae D. Parmensi eodem anno v Aprilis exhibita, qua inter cetera petebant abolitionem praedictorum edictorum.

Statim postea, studio Principum et Nobilium ac aliorum seditiosorum hominum, inducti sunt in Belgium Concionatores haeretici, inducti Iconoclastae; et in multis locis sacra omnia profanata. Hinc horribiles illi motus per totum Belgium anno M.D.LXVI; quibus motibus quid molirentur Principes et populus, patet ex scripto quodam, quod cives Antverpienses miserunt ad Nationes Bruxellenses, quod adhuc alicubi diligenter conservatur; quo hortabantur hos illi ut se exhiberent viros; iam tempus adesse ut sibi asserant libertatem ab omnibus expetitam. In eo scripto quatuor argumentis student evincere, edicta regia contra haereticos repugnare libertati et privilegiis patriae, ac proinde abolenda esse, prout per supplicationem petitum erat.

V. Hoc fundamento iacto, statim Pensionarii, tam Brabantiae quam Flandriae, diligenter sollicitarunt, ne Inquisitio amplius haberet locum in suis respective civitatibus, et ut Inquisitorum statim revocaretur commissio, atque Religionis libertas hoc modo induci posset. Nec defuerunt eo tempore complures ex Ordinibus, qui sibi certo persuadebant, Confessionem Augustanam auxilio Principis Orangii introducendam; nec potuit ea opinio umquam eximi a pectoribus eorum, nisi severa in haereticos punitio accessisset per Ducem Albanum. Anno vero M.D.LXVIII, dum *Princeps Orangius* magna cum militum manu intraret Brabantiam, hi rursum inceperunt erigere cristas,

etsi nihil publice attentare ausi sint, sperantes Principem posse rerum potiri.

VI. Anno M.D.LXXII, dum denuo magna cum equitum copia Princeps Belgicas ditiones incurreret, quantum favoris, spe huius libertatis Religionis assequendae, in civitatibus, praecipue Hollandiae et Zelandiae, invenerit, notius est, quam ut a quoquam asseri debeat. Nam nullam civitatem ex iis quas occupavit, vi expugnavit; sed ultro illi se dederunt. Qui autem adscribunt hunc favorem exactioni decimi denarii, multum falluntur, et allegant causam pro non causa. Praetextus quidem fuit exactio decimi denarii, sed vera causa fuit libertas Religionis; et ut simul isti homines se eximerent ab obedientia Regis Hispaniarum, naturalis sui Principis, ut eventus docuit. Nam quotquot civitates ab Orangio occupatae sunt, statim, Religione Catholica eiecta, receperunt haeresim, diruerunt templa, eiecerunt Religiosos et totum ordinem Ecclesiasticum una cum omnibus Catholicis : neque per Principem a contributione decimi denarii exempti sunt, sed loco decimi exsolverunt secundum et tertium.

Interea non cessavit Princeps dilatare fimbrias suas; nam praeter civitates ab eo iam occupatas, habuit in omni civitate totius pene Belgii quosdam fautores et homines sibi addictos, qui apud homines prurientes auribus probe suo munere fungerentur, et quoscumque possent pellicerent ac pertraherent in partes Principis; miris eum laudibus extollentes, quod clemens esset, benignus, providus, in armis exercitatissimus, et unicus libertatis patriae assertor atque defensor. Gubernatoris autem regii tyrannidem apud omnes, una cum tyrannide Hispanorum, culpabant; nec potuisset umquam Princeps tam multum profecisse tam brevi spatio, nisi habuisset in omni civitate et in omni ordine suos fautores; imo hi publice hoc iactare non verebantur, quod nulla esset civitas tam regia aut

tam Catholica, quin in ea haberet sibi et suae factioni addictos.

Tumultuantibus enim levis armaturae equitibus Hispanis, ob non praestitam stipendiorum solutionem, sub finem vitae magni Commendatoris Castiliae, *Ludovici Requesenii*, Gubernatoris Belgii, anno Domini M.D.LXXVI, hi Principis ministri, quod prius clam et secreto apud suae factionis homines egerant, apud omnes publice et serio agere coeperunt, etiam apud quosdam praecipuos ex Ordinibus Brabantiae: omnesque adhortari, ut, expulsis Hispanis, simul etiam Maiestatis regiae iugum excuterent. Sane non pauci ex Ordinibus, defuncto Commendatore, existimabant pulchram datam esse occasionem assumendi Gubernationem Belgii, aut certas Gubernatori futuro leges praescribendi, quibus et ipsi Gubernatori et Regi constringerent manus, ne quid imperare possent aliud quam quod ipsis placeret, neve mero in eo uteretur imperio.

VII. Super ea re consultabatur, et ad hoc instigantibus Principis fautoribus perlustrata sunt omnia privilegia et antiqua monumenta; verum, contradicentibus tum adhuc quam plurimis, nihil in ea re actum est; sed cum adhuc tumultuarentur Hispani equites, impatientes quidam ex Ordinibus, curarunt accersi apud Ordines quosdam viros militares, qui aliquando functi erant officio Tribunorum, ut cum illis ageretur de conscribendis peditibus et equitibus ad eiiciendos Hispanos; et propositum tum est in Consilio Ordinum, XXI mensis Martii eiusdem anni M.D.LXXVI. Verum non potuerunt tunc Ordines convenire: nam erant qui illi consilio se opponerent, dicentes crimen esse laesae Maiestatis milites conscribere contra servitores Regis, quales erant Hispani; quare nec ' tum consilium hoc successit.

Animadvertens porro Princeps quosdam iam accensos ad eiiciendos Hispanos, et praescribendas leges futuro Gubernatori; et quod diutius Regia Maiestas differret mittere alium

Gubernatorem, non defuit sibi et rebus suis; sed nunc hunc, nunc illum per litteras sollicitabat, ut adversus tyrannidem Hispanorum secum assumerent arma, quo patria posset restitui pristinae libertati; frequenter in litteris suis inculcans, quod non alia de causa sumpsisset contra Regem arma, quam ut ignavam et tyrannicam gubernationem Hispanorum eiiceret; et quo magis animos eorum, ad quos scribebat, devinciret, semper vocavit se in omnibus litteris suis *verum Patriotam*, sic subscribens: *Vester amicus et verus Patriota, Guilielmus a Nassau.*

VIII. Cum autem Regia Maiestas tandem commisisset Consilio Status gubernationem Belgii, nec ipsi Consiliarii inter se satis convenirent, quibusdam partes Regias firmiter tutantibus, Princeps, arbitratus, quod res erat, se commodam nactum occasionem perficiendi quod volebat, acrius irritare coepit Nobiles, et alios ex omnibus ordinibus sibi et parti suae faventes, ut arma arriperent; addensque oleum camino, ipsis significabat per litteras, tempus iam esse quo excuti iugum Hispanorum posset; et quo id facilius ad executionem deduceretur, fautores Principis populum Bruxellensem, iam plus satis superbientem, quod Duci Albano in exactione decimi denarii restitissent, et ex natura satis seditiosum, ad arma et ad invadendos Hispanos excitarunt. Qui popularis furor quantum mali praestiterit, norunt omnes; nam parum abfuit, quin ipso Divae Annae festo xxvi Iulii, gravissima seditio hac ex re orta sit, occisis per cives aliquot Hispanis.

ARGUMENTUM.

I. Contra Hispanos, Alostum occupantes, hostesque declaratos, miles scribendus decernitur, II. et concipiuntur regulae ab eo observandae. III-IV. Interim moritur primus Antverpiae Episcopus Sonnius. V. Hispani, etiam Flandriae infesti, Willebroukam et Vilvordiam occupant. VI. Confirmatur decretum de milite scribendo, et Arschotano curam faciendi delectus detrectante, eadem committitur Hesio.

I. Famianus Strada « Alostum captum ait xxv Iulii; cuius » rei cum nuntius Bruxellas appulisset, addita, sed falso, » civitatis depopulatione ac caede civium, tantus Bruxellensium » animos furor incessit, ut Hispanos ad necem tota urbe » conquirentes, obvium forte famulum *Hieronymi Rodae*, » Senatoris Hispani, atque ante alios Belgio invisi (quod et, » Requesenio Gubernatore, pleraque administraverat, et regias » tunc partes intrepide sustinebat), mulctato foede corpore, » contrucidaverint, Rodam ipsum protinus aggressuri *Alphon-* » *sumque Vargam* et *Iulianum Romerum*; ni se protinus in » Curiam subduxissent. » Rotulus octennis diem a Strada notatum confirmat, et « Hispanos fuisse bis mille quingentos » ait, multosque tam ex his quam ex civibus prima irruptione » cecidisse; conturbatos autem eo nuntio Status, edito decreto » declarasse ipsos inimicos Regis ac patriae, et ut tales armis » persequendos. »

II. « Ne autem populari furore res ageretur, placuit ante » omnia definire quibus legibus continendus miles esset, qui » duceretur in hostem iam declaratum; » et concepta est regula, quae si tam facile in effectum deduci posset quam designari consilio et in charta describi, ne profecto praestantius aliquid fingeretur. Placeat ergo, ex Actis mss. Statuum Belgicorum, ideam xxviii Iulii praeformatam accipere, et ex gallico latinam legere.

« Cum Dominis Deputatis ad Consilia Statuum, quibus » sua Maiestas commisit regimen huius Provinciae, placuerit, » pro securitate patriae et defensione Ducatum Brabantiae » incolentium, ipsis concedere facultatem conscribendi et ha- » bendi certum numerum peditum equitumque (sicut patet ex » eorum litteris, signatis per ipsorum Secretarium Berti, » xxviii Iulii), iidem Status ad id conceperant et digesserunt » sequentes Articulos :

» i. Duces, Capitanei Statibus auctorandos milites in» struunto et armanto, ut convenit et ordinabitur per Statuum » Deputatos; et congreganto eos tempore constituto, ut » semper parati sint ad eundum quo fuerit imperatum; » diligenter etiam cavento, ne quod damnum vel incommo» dum, per eorum negligentiam aut culpam, Provincia Bra» bantiae patiatur.

» ii. Ita scilicet, ut si in aliquo eius quarterio accidat grave » aliquod damnum vel incommodum, obligantur Duces, Capi» tanei, milites tales, satagere pro eius reparatione, quatenus » requiretur a Magistratu Civitatis Capitalis.

» iii. Iidem milites praestanto iuramentum hoc: *Iuras per* » *Deum creatorem nostrum, in damnationem animae tuae, quod* » *fideliter sis serviturus Regi et DD. Statibus, adversus et contra* » *quoscumque; et obedies mandato Ducis et Capitanei tui;* » *sequerisque vexillum, nec ab eo vel a turma discedes, abs-* » *que scitu et passeporto Capitanei tui vel eius Locumtenentis;* » *quod si in aliquo repertus fueris inobediens, sis paratus* » *puniri? Iuras etiam, quod arma tua sint, nec ab alio directe* » *vel indirecte commodata?* Secundum hoc iuramentum milites » tenebuntur obedire suis Ducibus et Capitaneis; in horum » autem absentia, Locumtenentibus, signiferis, et hodegis » vadi aut viae exploratoribus, omni in re ad eorum officium » pertinente.

» iv. Quando iter agetur de uno loco in alterum, tenebuntur » simul ire sub suo quique signo, neque inde discedent; et » hospitabuntur prout eis fuerit ordinatum.

» v. Non poterunt Capitanei, Locumtenentes, signiferi, » aut Metatores hospitiorum accipere pecuniam aut beneficium » aliquod, pro transferendis ab aliqua domo aut persona ad » aliam militibus, sub poena correctionis arbitrariae; exceptis » domibus Curionum, Sacristarum, fabrorum lignariorum et

» ferrariorum; quae domus extra munita loca manebunt » immunes.

» vi. Milites, eundo per agros vel in hibernis positi, nullam » inferent violentiam, damnum aut iniuriam subditis patriae; » alias, respondebunt ipsi Capitanei: et si propter oppressionem » et iniuriam aliquam querela deponatur apud Commissarium » lustricum vel Thesaurarium, hic de stipendio Capitanei » detrahet quantum fuerit pro eius quota aestimatum.

» vii. Quod si Commissarius talis vel Thesaurarius, accepta » certificatione damni per designationem cohortis, manipuli, » vel signi, sub quo militant eiusmodi oppressores (etiam si » id solum fiat per signa exteriora, absque praecisa declara- » tione nominum et cognominum), debebunt damnum imputare » Capitaneo, Locumtenenti, vel Signifero, aut Hodego talis » turmae ad primam stipendiorum solutionem; et hic nihilo- » minus exauctorabitur.

» viii. Capitanei non possunt ad signa sua recipere homi- » cidas, forocessos, aut alios per iustitiam expulsos; quod » si tales receperint, non eximentur tales, sed conveniri » poterunt coram ordinaria ipsorum iustitia, quasi stipen- » diarii non fuerint, modo casus contigerint ante eorum » receptionem.

» ix. Milites omnes conveniri poterunt coram iudicibus ordi- » nariis suis, pro quocumque contractu, obligatione, debito, » contractis per negotiationem independentem a sua vocatione.

» x. Contenti erunt exhibitione hospitii, lecti, stabuli; hospi- » tes autem eorum non tenebuntur praebere ligna vel candelas, » nec aliud quodcumque servitium.

» xi. Capitanei eorumque Locumtenentes invigilabunt ne » ipsorum manipulum aut vexillum sequantur vagi et inutiles » famuli, sed solum necessarii, et domino alicui certo » obstricti.

» xii. Officiales omnes et Iusticiarii campestres poterunt » apprehendere quemcumque militem, in delicto deprehensum » vel actu ipso consumentem aut affligentem pauperes sub- » ditos, in eumque iustitiam facere, si fuerit absque Duce, » Capitaneo vel Signifero; quorum aliquis si adsit, ad eum » deferantur rei, pro debito plectendi; alias ipsemet punien- » dus erit.

» xiii. Ulterius, iudicium ferent Capitanei de omnibus rixis » delictisque non capitalibus, commissis per suos milites, in » locis ubi stativa habebant; quod crimina autem capitalia » attinet, curabunt ut comprehendantur delinquentes, quatenus » de iis pro ratione culpae exigatur poena; quod si illi fuerint » apprehensi a ministris iudicum ordinariorum ipsius loci, » prout fieri poterit, per eosdem ordinarios plecti poterunt, » vel suis Capitaneis tradi, ut per hos ex sententia Colonelli » tradantur Praeposito Marescallorum campi; quatenus per » hunc, ex mandato dicti Marescalli, si adest, vel, eo absente, » per eos qui Legis sunt, fieri possit iustitia pro ratione » criminis.

» xvi Omnes qui de militia sunt, teneantur contribuere et » solvere impositiones, accisias, vectigalia et similia quaevis » onera, sicut alii habitantes, absque immunitate seu exce- » ptione ulla. »

De mandato DD. *trium Statuum Brabantiae, signat* Cornelius Weelleman.

III. Uno mense prius quam ista Bruxellis fierent, id est xxix Iunii, Antverpiae praedicata fuit plenaria omnium peccatorum Indulgentia, pro iis qui per quindecim dies consequenter visitarent et obirent ecclesias B. Mariae, S. Walburgis, S. Iacobi, et S. Andreae. Eodem die, hora xi vespertina, obiit Antverpiae, xxx Iunii, primus Civitatis Episcopus, FRANCISCUS SONNIUS, ne mala ipsi mox obventura videret; humatus autem

in ecclesia S. Mariae est iv Iulii. Intestina vero sequenti die devecta sunt ad Abbatiam S. Bernardi. Idem a Canonicis, die eiusdem mensis ultimo, solemnibus exequiis honoratus fuit; sed absque epitaphio aut memoria tanto viro digna, ut queritur anno M.DC.XIII Franciscus Sweertius in monumentis sepulcralibus. Defectum pia posteritas supplevit, statuens ei coenotaphium marmoreum iuxta summum altare in parte meridionali, quale curavit in aere sculpendum Baro le Roy, una cum aliis quatuor monumentis, *Levini Torrentii*, *Ioannis Miraei*, *Ioannis Malderi* et *Ambrosii Capello*, quae eius in Notitia Marchionatus videre licebit. Epitaphium vero nunc ibi hoc est :

D. O. M.

A sole nomen mutuatus hic occidit FRANCISCUS SONNIUS (nomen pagi natalis SON erat, cognomen volunt consanguinei VANDE VELDE fuisse, sive a Campis), *qui ab humili ortu et per sacri studii gradus summosque honores, apud Silvaeducenses annos* IV, *dein huic urbi primus Antistes illuxit; utque plures per Belgium Antistites darentur, effecit. Vim doctae mentis et styli haereses senserunt, et Wormatiense Colloquium. Pependit ab ore docentis Lovanii, Silvaeducis, et urbis huius populus. At, sortem iniquam! vix annos sex hic praefuit, dum aetate et meritis gravis, a Principe Pastorum evocatus discessit, anno salutis* M.D.LXXVI. *Aeternum ut vivat, Lector, precare.*

IV. Et Miraeus quidem in suis illustrium Belgii scriptorum elogiis, hoc ei epitaphium posuit :

D. O. M. S.

« FRANCISCO SONNIO, Brabantino, ex Academia Lovaniensi
» Doctori Theologiae, primum Silvaeducensi, post Antverpiensi
» primo Episcopo, invicto in haereses athletae, hic spe resur-
» rectionis quiescenti, Collegium Canonicorum et Senatus

» Populusque Antverpiensis, Parenti optimo libens moerens-
» que poni curavit. Vixit annos LX, obiit damno publico pridie
» Kal. Quintiles, M.D.LXXVI. Mortalis cum sis, mortuo bene
» precare. »

Fuerit hoc epitaphium aliquando incisum saxo sepulcrali, ut puto; non tamen ad nos usque duravit; nam, elato deinde altius sarcophago, et in marmoream tumbam translato, haec posita iuxta summum altare est, cum novo quod supra vidisti epitaphio. Auctor Deliciarum Belgii, pag. 34, pastoralem eius sollicitudinem laudat qua, mortem deficiente valetudine praesentiens, vicinam voluit synodum Dioecesanam convocare, interimque cum Clero suo conceperit ordinationes eas, quae mox ab obitu eius praelaudatae sint.

V. « Die I Augusti, turma quaedam equitum Hispanicorum
» irrupit in Flandriam, magno cum gravamine paganorum; qua-
» propter terrae Wasianae Balivii, pulsatis vicatim ex mandato
» Statuum campanis, rusticos ad arma excitarunt; qui ad tre-
» centos collecti et insecuti sunt recedentes usque ad caput
» Flandriae, ubi acriter pugnatum est. Sed cum ex arce Ant-
» verpiensi tormenta in turbam rusticorum exploderentur, et
» Hispanis in auxilium veniret bellica navis, fluminis custodiae
» deputata, cum militibus et epibatis suis, coacti sunt miseri
» rustici fugam capere; ab iisque plures quam centem ab inse-
» quentibus Hispanis occisi fuerunt. Die autem X, Sancius
» Avilas Willebroukam se contulit, Duci Arschotano excusa-
» turus violentiam in Wasia et alibi exercitam; acturusque de
» modo Hispanos, edicto Statuum irritatos, pacandi, solutis
» quae debebantur stipendiis.

» Die X Septembris, Hispani Vilvordiam occuparunt mu-
» niveruntque, intercluso ea ratione commercio libero inter
» Antverpiam atque Bruxellas, nec non S. Bernardi monaste-
» rium ad Scaldim, duabus tantum ab Antverpia leucis. Die

» xxiv, iidem ex castro suo Kilam versus egressi ad octingen-
» tos, traiecto fluvio, occupaverunt praedictum Caput Flandriae
» e regione Civitatis; ibique erectis duobus aut tribus muni-
» mentis, sese contra Civitatem munierunt. Eodem die, capti
» sunt aliquot Angli, qui susceperant intercipiendam Civitatem
» quam vocamus Novam, quamque cives instituerant vocandam
» *Novam Zirickzeam* seu *Cattenbergam.* » Ita Rotuli nostri.

VI. † Interea (ut ad Commentarium Metzii Episcopi revertar), hi qui ex Ordinibus iudicabant conscribendos esse milites contra Hispanos, partim per fautores Principis, partim per furorem populi concitati, adierunt Consilium Status, penes quod tum erat summa rerum; et partim precibus, partim minis impetrarunt ab eodem, ut iis fieret facultas conscribendi milites, pedites et equites, et ut publico edicto Hispani tumultuantes declararentur per omnes vicos civitatis Bruxellensis, hostes Regis et Patriae. Verum quoniam nonnulli ex Ordinibus absentes erant, dum haec agerentur, quae eis non multum placebant, et ideo se absentarant, statim, expeditis litteris xxiii Iulii per Cancellarium Brabantiae, curarunt eos convocari ad Consilium Ordinum, sub poena sexcentorum florenorum. Nec hoc illis suffecit; sed triduo postea curarunt mitti alias litteras, datas xxvi Iulii, sub poena mille florenorum; expeditis etiam litteris executorialibus, vi quarum executores Brabantiae, quos Ostiarios vocant, invadebant domos citatorum; neque egredi volebant, donec proficiscerentur Bruxellam; et in aliis civitatibus recensebantur et armabantur cives; publicoque edicto praeceptum est omnibus, ut unusquisque sibi compararet arma, quibus et vitam et suam patriam defendere vellet.

Impetrata autem iam facultate (ut praedictum est) conscribendi militem, serio Ordines Brabantiae consultare coeperunt de eo comparando creandisque Tribunis exercitus, et aliis ad rem pertinentibus.

VII. Dum autem ista proponerentur, erant inter Praelatos qui dicebant, non esse conscribendos milites contra ministros Regis, quod hoc videretur esse crimen laesae Maiestatis, prout allegatum fuerat aliquot mensibus antea; et ut hoc aliquo modo licitum esset aliis Ordinibus, sane Praelatis hoc nullo modo licere; quorum officium esset, non arma tractare, sed preces et lacrymas Deo offerre pro salute patriae. Ast huiusmodi ratio statim explosa est, et quidam cum cholera subinferens, ait : Quid ergo est? Quid vis? ut submittamus guttur nostrum gladio, sine ulla defensione, tamquam oves occisionis? Atqui defensio iuris naturae est.

Additum tamen adhuc est per quemdam Praelatum, dum haec tractarentur, Principes Apostolorum Petrum et Paulum graviter praecepisse Christianis, ut *subiicerent se omni creaturae, sive Regi, quasi praecellenti, sive Ducibus, tamquam ab eo missis, ad vindictam maleficorum, laudem vero bonorum;* quod praeceptum, licet omnes in universum obliget, maxime tamen Praelatos, quibus per sacros Canones sub poena excommunicationis interdictus sit omnis usus armorum : ad quam orationem risum est affatim; et subintulit quidam : Ridiculum plane et puerile est quod de excommunicatione allegatur. Si enim Summo Pontifici licet gerere bellum et Episcopis Germanis, cur nobis non liceret assumere arma, pro tuenda libertate patriae et defensione a tam iniqua oppressione? Quare, reiectis omnibus rationibus adductis in contrarium, conclusum est a pluralitate vocum, primum per Praelatos, deinde per reliquos Ordines (prout moris est) conscribendum esse militem, constituendos Tribunos exercitus, et reliqua facienda quae ad constituendum exercitum pertinent.

VIII. Hac conclusione habita, deliberatum porro est, cui honor atque auctoritas supremi Ductoris exercitus deferretur; super qua re erant etiam variae opiniones; unus enim hunc,

alter illum promovere voluit. Nam is qui ab aliquibus nominabatur, non videbatur satis partialis contra Hispanos. Tamen conclusum est, quod illi (scilicet *Arschotano*) honor deferretur. Verum hic pro illo tempore recusavit eumdem acceptare, allegans certas rationes, quare id non conveniret; praesertim cum ipse esset ex Consilio Status; atque ita de ista prima auctoritate nihil tum adhuc constitutum est. Erant subornati quidam, factionis futurae conscii; hi statim proposuerunt Dominum *de Heze* assumendum ad colligendum peditem; quod cum aliquamdiu ventilatum esset (nam quibusdam displicebat eius iuventus), electus est Capitaneus peditum. Ille, munere delato gavisus, collegit militem, eligens sibi Locumtenentem hominem factioni accommodatissimum, Dominum scilicet *de Glymes*, Praetorem Brabantiae Gallicae. Erat is alicuius nobilitatis, sed opibus destitutus, quare cum suo Capitaneo alienis inhiabat, ut rei eventus docuit. Pro equitibus electus est Capitaneus Dominus *de Beynne*, huius quoque factionis non ignarus, sed vir alioquin non malus, qui interiit in clade Antverpiensi.

ARGUMENTUM.

I-II. Auriacus hortatur Ordines ad iugum excutiendum, et Consilium Status exauctorandum. III-VII. Ex hoc praecipui comprehenduntur, saniore Ordinum parte contradicente, et negante quod sine Consilio tali possint Ordines generales convocari. VIII. Cogitur nihilominus Consilium Brabantiae, admissis in illud etiam exteris iisque Auriaci factionariis, per quos hic resciebat et moderabatur omnia.

I. « Dum haec aguntur, et inveniendae in istum finem
» pecuniae rationes expediuntur, die IX Augusti fuit publicata
» generalis exactio, qua Ecclesiastici aeque ac seculares compre-
» hendebantur, specialiter autem mercatores, insignes aut ali-
» ter potentiores, quorum uxores gestabant capucia vel catenas

» auro textas, aut monilia ad collum; tales enim iubebantur » pendere schellingos triginta, ipsorum vero liberi sex, famuli » et ancillae viginti grossos. » Ita rotuli nostri : Metzius autem Commentarium suum sic prosequitur :

† Qui Bruxellis erant meditatae rebellionis conscii, communicabant consilia cum Principe Auriaco; nihil enim tractabatur inter Ordines, quin statim ipsi per suos nuntiaretur. Habebat quippe tres aut quatuor Bruxellae, qui quotidie communicabant cum quibusdam ex Ordinibus, et ab illis expiscabantur omnia consilia actionesque Ordinum. Cum ergo nunc videretur tempus opportunum, ut per litteras Princeps omnibus illis se insinuaret, venit praescriptus Dominus de Heze, XIII Augusti, ad Consilium Ordinum, adferens litteras Principis ad ipsos scriptas, petensque ut illae per Graphiarium publice legerentur. Huic postulationi statim quidam ex Praelatis se opposuit, dicens hoc non licere Ordinibus, nisi prius eae litterae traderentur legendae Consilio Status : cumque eius deliberationi quidam alii adhaererent, concludi non potuit in primo Ordine per pluralitatem vocum, legendas esse, quia aliquot fautores Principis aberant. At XXIII eiusdem, cum iam Ordines convenissent in competenti numero, et adessent quos Hezius adesse volebat, rursum prolatae sunt eaedem litterae, et per pluralitatem vocum decretum est ut legerentur.

II. Lectae igitur sunt omnibus audientibus. Erant autem litterae satis prolixae, quibus Ordines monebat ne negligerent occasionem divinitus sibi oblatam excutiendi iugum Hispanorum et aliorum externorum militum, a quibus iam pluribus annis patria pene tota exesa erat, asserendique patriae pristinam libertatem; ad quem solum finem ipse se armaverat, et cum Duce Albano eiusque successore, Gubernatore Belgii, bellum gesserat. Hoc enim vobis omnibus persuasum velim, inquit, me in hoc bello suscepto non egisse causam propriam, sed

communem omnibus qui ex animo petunt libertatem patriae; nec proprium commodum me in hoc bello spectasse, sed bonum commune; proinde se non aliud cupere quam inire amicitiam cum omnibus qui eiusdem essent sententiae; et se omne consilium et operam impensurum, quo haec libertas et tantum bonum patriae obtineri possit. Et ne qua oriretur de se diffidentia ratione Religionis, affirmabat se nulla ratione velle introducere aliam in illis locis ubi Catholica coleretur, etiamsi cum eo foedus haberent in tuendo communem causam libertatis et patriae utilitatis; sed omnibus nervis contenderet ut unicuique libera sua relinqueretur Religio. Habebant litterae et alia multa phalerata et sesquipedalia verba, de rebus per eum fortiter gestis, de provida et pacifica gubernatione Hollandiae et Zelandiae, et de felici rerum iis in locis successu; multis commonstrando, quanta futura esset omnium rerum prosperitas et abundantia, si semel foedera haberi possent inter Hollandiam et Zelandiam ac reliquas Provincias. Quid multa? Nihil omittebatur quo animi omnium commoveri et pertrahi possent in sententiam Principis.

Lectis litteris, statim per multos acclamatum est, summas Principi gratias esse agendas de benigna consilii et auxilii oblatione; et rescribendum, quod et Ordines nihil prius habeant, quam ut pax semel componeretur, salva semper Religione Catholica. Quidam tamen olfaciebant fraudem Principis, et censebant nihil respondendum nec mittendam falcem in messem alienam, cum ad solum Regem eiusque Consilium spectaret inire foedera cum inimicis suae Maiestatis. Ibi acriter concertatum est, et stentoria voce clamatum, inimicos esse patriae et hostes, qui nollent consentire in tractanda cum Principe et Statibus Hollandiae et Zelandiae pace; ac tandem post longam decertationem decretum est

per pluralitatem vocum, civiliter respondendum esse Principi, nec contemnendam eius oblationem.

III. Ab eo die liberius per quosdam ex Ordinibus, partim per litteras, partim per eos quos Princeps habebat Bruxellae communicatum cum ipso est, de modo, medio et forma, quibus ad pacificationem deveniri posset; et si quid pendebat a consensu omnium, observabatur commoditas absentium et praesentium, quo conclusio a pluralitate vocum facilius obtineretur. Scripsit Princeps frequentius ad Ordines: rescriptum quoque ex parte Ordinum ei est, ignorantibus aliquando quibusdam ex Collegio, imo et ignorante aliquando ipso Graphiario, ut conspirati isti omnia sibi licere existimarent. Ut autem advertit *Hezius* cum suis Consiliariis, ad tractatum pacis deveniri non posse, nisi Consilium Regium, quod vocatur Consilium Status, penes quod erat Gubernatio Belgii, consentiret (aliter enim ab Ordinibus aliarum Provinciarum generalis consensus, in foedus cum Principe componendum, obtineri non poterat) consilium iniit cum suis aut suae factionis hominibus, quos habebat ex omni Ordine, ut eos Consiliarios, quos existimabat non consensuros, comprehenderet.

Priusquam tamen ad apprehensionem deveniretur, varia proposita fuerunt per istiusmodi homines Ordinibus, ut de convocandis Provinciis, deque occupanda Vilvordia cum castro. Lecta etiam sunt varia acta, ex Registris Statuum Brabantiae, et quaedam quae contigerant tempore Ducis Ioannis, filii Antonii nepotisque Philippi Audacis, Ducis Burgundiae, Regis Galliarum fratris, qui ex Ordinum Brabantiae decreto ab omni administratione Ducatus suspensus fuit, et in locum eius frater eius Philippus substitutus; sed quorsum ista legerentur, non omnes tunc intelligebant. Neque hic silentio praetereundum est, quanta audacia hi homines sollicitarunt Ordines reliquarum Provinciarum, ut illos pertraherent in suam

factionem, missis non solum litteris et vulgaribus nuntiis, sed etiam Nobilibus, nunc ad hos, nunc ad illos; et tantum profecerunt, ut omnes omnium Provinciarum Ordines pertracti eo sint, ut se paratos exhiberent ad conveniendum Bruxellas.

IV. Triduo aut quatriduo ante factam apprehensionem, quidam ex nobilioribus ac potentioribus exposuit Brabantiae Ordinibus graves querelas; nimirum quod Hispani quotidie ei minitarentur ignominiosam mortem; et quod tametsi posset alibi vivere quam in Belgio, malle tamen manere in Belgio et in eo vitam suam finire, modo Ordines Brabantiae dignarentur eum suscipere in suam protectionem. Res haec multis nova visa est; posita tamen in deliberatione, etsi quidam dicerent, non esse in potestate Ordinum quemquam defendere aut tueri, cum ipsi nullam habeant iurisdictionem; per plures tamen acclamatum est, ipsum rem aequam postulare, illique concedendam esse protectionem petitam. Revocato igitur in Consilium, responsum est, quod vehementer dolerent tales ei minas intentari; et, quantum in se esset, eum reciperent in suam protectionem; cuius receptionis petiit per Graphiarium sibi notam tradi, quod et factum est.

Occupata interim Vilvordia atque etiam castro, contra voluntatem Illustrium Comitum *de Mansfelt* et *Barlaimont*, atque aliorum quorumdam Consiliariorum; quarta Septembris venit *Dominus de Glymes* armata manu, sub horam nonam ad Palatium regium; et violenter invasit conclave, in quo convenerant, tum praescripti illustres Comites ac reliqui Consiliarii Consilii Status Regii, ad tractanda negotia regia; et apprehendit praedictos Comites Mansfelt et Barlaimont, cum Praeside et Consiliario Assonvillaeo, et duobus Secretariis Berthi et Scharenberg; relicto in eodem cubiculo D. Marchione *de Havree*, qui eo tum quoque convenerat; et constitutis militibus ante Cameram privati Consilii, qui servarent reliquos

Consiliarios; deduxit illos ex Palatio pedites, magna cum ignominia, usque ad domum privatam in qua detentus fuerat Comes Egmondanus.

V. Nemo crederet, quam fuerint quidam ex Ordinibus, non conscii huius coniurationis, attoniti rei novitate atque perculsi, exclamantes : Quae istaec temeritas est? An ignorant quod, Consilio Regio apprehenso, Rex ipse merito censeatur apprehensus? Crimen hoc est laesae Maiestatis. Vocato igitur ad domum civicam Domino *de Glymes*, qui iam in foro erat, interrogaverunt eum, qua temeritate et audacia illos apprehendisset? Respondit se fecisse ex commissione. Rogatus cuius? respondit Domini Hezii. Rogatus ubi esset eius commissio, protulit schedulam quamdam, signatam per Dominum de Heze, in qua erat catalogus apprehensorum. Rogatum est, an haberet aliam commissionem? respondit, quod non; sed quod Dominus de Havree dixit, quod bene fecisset. Rogatus est ulterius, cur igitur spargeretur per civitatem, quod haec apprehensio facta esset per commissionem et de mandato Ordinum : ibi obmutuit. Habita autem hac responsione, quotquot erant in domo civica congregati, domum redierunt, et quidam delituerunt, nec in publicum prodierunt, metuentes ne et ipsi comprehenderentur, aut hanc apprehensionem compellerentur approbare.

Facta apprehensione, *Dominus de Bersele*, qui tertio aut quarto missus fuerat ad Ordines aliarum Provinciarum, statim concitatis equis nuntium illud detulit Ordinibus Hannoniae, Artesiae et Flandriae; hoc enim ipsis promiserat, cum ad coniunctionem factionis illos sollicitaret. Apprehensio autem ista non est facta sine magna totius civitatis commotione; verum ut Communitati placerent insignes isti Reipublicae conturbatores, statim habuerunt suos ex plebe, qui huic multa persuaderent. Nimirum, quod Comes de Mansfelt, inducto

milite extraneo studuisset tradere civitatem spoliandam Hispanis. De Comite Barlaimont similia finxerunt, nimirum quod dixisset Regem constituisse, perdere in civitate quidquid in ea esset seminis virilis ob rebellionem. Domino autem Assonvillaeo adscribebant quod dixisset, quod nec mulieribus Rex parceret; quibus mendaciis animos Communitatis non solum placarunt, sed ita incenderunt populum, ut iam aliud nihil exspectaret quam ultimum supplicium captivorum, quod postulabant.

VI. Cessante tumultu, a meridie sub horam primam venit Dominus Hezius cum aliquot Nobilibus huius factionis ad domum Abbatis Parcensis, ipso tamen Abbate absente. Nam etsi conscius erat istius apprehensionis, noluit tamen praesens esse dum fieret; aderat autem Abbas S. Gertrudis, caput et antesignanus factionis, cuius ratione dicti Nobiles eo venerant. Ibi diu multumque consultatum est, usque ad horam octavam vespertinam, accitis eodem Advocato *Liesvelt*, Advocato *Hieronymo vanden Eynden* cum sororio suo *van Deyenen*, Advocato *vander Heyden*, cum aliis aliquot eiusdem farinae hominibus. Conclusum hic inter alia est, ut et reliqui Consiliarii, nimirum *Dominus del Rio* et Dominus *Tunchius* et *Dominus Boischot* apprehenderentur (illi enim nondum erant capti, sed detenti tantum in conclavi, ubi celebrabatur Consilium privatum Regis) et deducerentur ad domum cuiusdam satellitis, habitantis in foro, et in ea custodirentur. Dominus autem *Consiliarius Michout*, qui eodem conclavi detentus erat, cum *Secretario Latorre* iussus est ire domum. Atque haec omnia gesta sunt per dictum *Dominum de Glymes*. Post triduum autem vel quatriduum, praescripti Domini Consiliarii, ex domo illa satellitis, deducti sunt ad publicos carceres.

Ea quoque nocte idem D. de Glymes cum aliquot aliis, adiit domus Secretariorum Regis *Berthi* et *Scharenberg*, et abstulerunt omnia documenta Regis; qua occasione etiam secreta Regis

publicata sunt. Altero die a captivitate, sollicitatum sedulo est ex parte seditiosorum sive (ut se appellari volebant) *Verorum Patriotarum*, ut Ordines apprehensionem, factam ob magnum bonum Reipublicae et patriae, vellent approbare, aut saltem dissimulare. Sed omnes qui huius rei conscii non erant, obfirmato animo et magna constantia recusarunt approbare, nec se dissimulaturos dixerunt ubi opportunitas daretur et fructum facere possent. Hinc desperantes se posse obtinere aliquam facti approbationem per Ordines generales, subornarunt quosdam qui talem qualem sui facti conficerent iustificationem, quam ediderunt; sed quam vera et sincera ea sit, penes lectorem esto iudicium. Cum autem frequenter istius apprehensionis fieret mentio, et adhuc disputaretur de auctore (nam *Hezius* interdum se fuisse negabat) respondit antesignanus ille Abbas magna gravitate : Quid auctorem huius apprehensionis quaeritis ? Deus auctor est : Deus apprehendit eos, in magnam utilitatem et conservationem patriae nostrae; aliter enim pax cum Principe confici non potuit, et aliter patria in pristinum statum numquam restitui posset; quae responsio apud quosdam cives et quosdam ecclesiasticos Bruxellenses tamquam oraculum acceptum est.

VII. Secundo aut tertio die ab apprehensione, cum Dux Arschotanus officii gratia (ut simulabat) invisisset captivos, rediens ad Consilium Statuum proposuit, quod videretur necessarium ut *Praeses Sarbout* relaxaretur, quo plures essent Consiliarii ex Consilio Status. Nam cum Ordines reliquarum Provinciarum iam respondissent, quod non vellent convenire neque coniungere se Ordinibus Brabantiae, nisi litteris Consilii Status evocarentur, prout moris erat, necessarium erat ut Consilium hoc pluribus personis constabiliretur. Ad hoc responsum est illi ab Ordinibus Brabantiae, quod relaxatio Praesidis ad eos non spectaret, cum ipsi non iussissent eum apprehendi; sed ad

Dominum *Hezium*, aut alios, qui captivos apprehenderant; *Hezius* autem, qui praesens aderat, dicebat hoc spectare ad Communitatem Bruxellensem, cuius intererat et cuius instinctu apprehensi erant; atque ita eo die nihil actum est de relaxatione Praesidis. Post sex autem dies relaxatus est cum Secretariis *Berthi* et *Scharenberg*.

Sollicitatum quoque frequenter est, per famulos Comitum praescriptorum, ac Dominorum Consiliariorum *Assonvillaei* et DEL RIO, ut vel relaxarentur, vel institueretur contra eos. actio qua possent se defendere; sed nihil impetrare potuerunt, etsi etiam Ordines decernerent petitionem ipsorum iustissimam esse, et Hezium ad hoc serio monerent. Quin et allegarunt dicti sollicitatores, et vehementer conferunt privilegia Brabantiae, quae disertis verbis disponebant quod captivis ante triduum deberet exhiberi libellus; pro quorum privilegiorum conservatione et defensione, intestinum hoc bellum et adversus Principem suum naturalem rebellionem susceptam, palam et ubique plenis buccis concinebant; verum in hoc casu scilicet non poterant habere locum Privilegia. Sane a nullo umquam mortalium plus laesa sunt universa Privilegia, quam ab istis seditiosis hominibus, non solum in civitate Bruxellensi, sed et in omnibus civitatibus Brabantiae. Quidquid enim perduellibus istis libuit, faciendum erat, nulla habita ratione Privilegiorum aut legum; aut merito omnes civitates Privilegiis privandae forent.

VIII. A meridie huius secundae diei, post captivitatem praedictorum Dominorum, indictus fuit celebris conventus sub magna poena; ad quem vocati sunt D. Cancellarius Brabantiae, et D. Consiliarii *Odardus Breugel* et *Damant*, sed *Damant* non comparuit. Advocati quoque sunt *Liesvelt*, *Hieronymus vanden Eynden*, aliquot alii. Ibi serio consultatum est, quid facto opus esset, et qua via ulterius in hoc negotio procedendum.

Cancellarius porro rogatus obmutuit, et nihil pene dixit aliud, quam quod officium suum requireret dicere ius partibus, et quod publica ista negotia ad eum non spectarent, cum tamen officium Cancellarii sit dirigere Ordines Brabantiae, et curare ne quis veniret in Consilium Ordinum nisi vocatus, et nisi titulum haberet requisitum ut sit de Consilio Ordinum.

Id si observatum fuisset, numquam eo res devenisset, neque hi qui servitio Regis erant addicti, ita fuissent oppressi a perduellibus. Nam intruserant se, non vocati, saltem a saniori parte, qui non erant de Consilio, ut *Mag. Ioannes Gillis*, quondam Graphiarius Financiarum Regis; *Dominus de Haussy*, frater Domini de Bossu; *Dominus de Loetinge*, *Dominus vander Meeren*, *Dominus van Deventer*, *Dominus de Lierkerke*, et plures alii, qui omnes fuerant a Rege aversi, et unice affecti causae Principis, quia plures ex iis puniti fuerant per Ducem Albanum; ita ut voces non essent liberae; nam quidquid dicebatur, hi statim deferebant ad Principem. De hac re quidam frequenter conquesti sunt ad Cancellarium et Consiliarios Brabantiae; sed nihil remedii adhibitum est. Imo, nescio quo factum sit fato, ut plures ex Consilio plus faverent Principi quam Regi, cuius stipendia merebant. Imo ubi fideles ministri Regis opprimebantur, et Consilio supplicabant ut iuvari possent, respondebatur per apostillum, nihil, cum officium ipsorum esset succurrere oppressis; in aliis autem rebus omnes causas, etiam mere ecclesiasticas, rapiebant ad se.

IX. Hic etiam erant servanda Privilegia Brabantiae, quae habent, quod nullus extraneus possit interesse Consilio Ordinum. Sed quando Privilegia non faciebant pro intentione et parte seditiosorum hominum, tunc negligebantur; si quando vero faciebant pro intentione et parte eorum, tunc miris modis magnificabantur. Non secus atque faciunt haeretici, si quando aliquis ex Patribus aliquam sententiam habet, quae videtur

confirmare haeresim suam, eum extollunt in coelum usque; si quando vero alia sententia ex eodem auctore allegatur, quae improbat atque refutat haeresim, tunc allegatur, quod auctor ille homo est, quodque falli et errare potest. Sed ut ad celebrem hunc conventum redeam, evenit ei quod Horatius habet :

Parturiunt montes : nascetur ridiculus mus.

Nihil enim conclusum est, nihil sani consilii ab aliquo suggestum; nemo prudentior abiit quam accessit.

Hoc quoque hic notandum est, quod isti conspirati numquam venerint ad publicum Consilium, nisi praehabito alio consilio inter se, quod celebrabatur nunc apud Abbatem *S. Gertrudis*, nunc apud Advocatum Liesvelt, nunc *in quatuor situlis*, IN DE VIER EEMERS, ubi hospitabantur Commissarii quarumdam civitatum; ut numquam venerint ad publicum Consilium nisi bene instructi et bene informati, quid proponere et quid obtinere deberent. Proposuerunt igitur, post unum aut alterum diem, impetrandas esse litteras a Consilio Status, quibus convocarentur Ordines reliquarum Provinciarum, et declararetur illis intentio Ordinum Brabantiae. Diu super ea re deliberatum est, quibusdam dicentibus, Consilium Status hoc ex se debere facere, si iudicaret expedire ut convocarentur. Tandem tamen obtinuerunt per pluralitatem vocum; et subornatus est quidam per eos Ostiarius sive Executor Consilii Brabantiae, qui sollicitaret apud Consilium Status has litteras, et reliqua omnia quae sollicitanda erant.

Subornarunt autem istum Executorem, ut esset sollicitator rerum expediendarum per Ordines, ut hac ratione haberet ingressum ad Cancellam Consilii, et facile obtinere posset copiam omnium actorum, et nihil ageretur cuius copiam non posset habere et mittere ad Principem. Habebat enim perfidus iste Ostiarius stipendium a Principe, et scribas in civitate

Bruxellensi, qui omnia excipiebant quae illis excipienda deferebantur ut mitterentur ad Principem; adeo ut Princeps non solum sciret de die in diem quid ageretur, sed quid singuli deliberarent. Haec autem omnia se sic habuisse, inventum est postea; et ipsemet Ostiarius proprio ore in publico Consilio Ordinum confessus est.

X. Interea receptae sunt litterae ab Ordinibus Hannoniae et Artesiae, quibus pollicebantur se brevi venturos Bruxellam. Dominus autem *de Bersele*, ubi rediit a sua commissione sollicitandi Ordines reliquarum Provinciarum ad unionem, strenue egit apud Ordines Brabantiae, ut et ipsi fieret facultas colligendi aliquot vexilla militum, quo honorari posset titulo Colonelli aut Tribuni. Diu deliberatum est, sed nihil conclusum; quia, cum esset iuvenis et parum haberet experientiae, iudicabant non expedire; ipse tamen, sive de consensu praesumto, sive de consensu aliorum clancularioram Consiliariorum, conscripsit plura vexilla militum, et constituit Capitaneos, officiarios, et quaecumque ad hanc rem pertinebant.

ARGUMENTUM.

I. Agitur de modo inveniendae pecuniae, II-III. et novis Consiliariis Status ordinandis. IV. Decernitur communis contributio. Per Brabantiam conscribitur equitatus Germanicus. V-VII. Publicatur libertas Religionis; cavetur ne quis congregatorum Bruxellis exeat. Agitur de invitando in subsidium Alenzonio. VIII. Accedunt Bruxellas deputati Hannoniae, Flandriae et Artesiae. IX. Invitatur ad foederis consortium Auriacus. X. Deliberatur de constituendo Duce militiae. XI-XIII. Iesuitae Antverpienses adducti in suspicionem proditionis, graviter periclitantur a tumultuante ante aedes vulgo. XIV. Sparsa fama advenientis cum exercitu Austriaci.

I. † Die octavo Septembris, ipso Nativitatis Mariae, ante prandium, deliberatum est de collocandis militibus apud S. Bernardum, ne Hispani, qui erant Alosti et Antverpiae, possent aliquando convenire; qua de causa egregie litigatum est inter Arschotanum et Hezium, adeo ut Arschotanus indignatus

abierit; sed pacatus per quosdam rursus rediit, et actum est de invenienda prompte pecunia, qua militibus satisfieri posset, et sine qua bellum geri non posset. Cum autem varii varia proponere vellent, omnia reiecit Arschotanus, dicens: Agatur primo et ante omnia de pecunia invenienda; nihil tamen ante prandium conclusum est. A meridie autem, multis verbis Arschotanus egit apud Ordines, ut excogitaretur modus quo posset inveniri prompta pecunia, et quidem in magna quantitate; et ipse ut alios posset suo exemplo excitare ad offerendam bonam pecuniae summam, promisit se numeraturum Ordinibus mutuo decem millia florenorum, admonens Praelatos, ut et ipsi similem summam darent mutuo singuli. Verum Praelati omnes excusabant se, dicentes se nullam paratam pecuniam invenire posse.

Tandem vero, post multam deliberationem, non est inventum medium commodius, quam ut unum vas auri statim colligeretur, per modum communis contributionis totius Ducatus Brabantiae. Id cum omnibus Ordinibus placeret, e vestigio consensus iste praestitus est, ubi, mense Augusti praecedente, per tres integras septimanas laboratum fuit, ex parte Commissariorum Regis, ut istiusmodi consensus unius vasis auri ab Ordinibus Brabantiae impetraretur: ea enim pecunia potuisset Hispanis satisfieri; sed nihil tum ab eis extorqueri valuit. Allegabant quidem patriam adeo esse gravatam, ut plura onera sustinere non posset; sed illa tamen non fuit vera causa, quae illos movebat ut tam obstinato animo postulationem illam reiicerent; alio plane spectabant, ut quidam ex ipsis disertis verbis tunc publice declarabant. Quamdiu, inquiebant, contribuerimus, non poterimus liberari a bello, aut pervenire ad pacem quam expetimus; sin vero in neganda contributione perseveramus, Rex, inopia rerum constrictus, cogetur admittere pacem cum Principe. Hanc sententiam, tanquam impiam et in Regem

blasphemam, quidam merito impugnarunt. Verum voces illorum non solum tum sunt reiectae, sed etiam explosae cum ignominia.

II. Laborarunt interea clancularii isti Consiliarii, ut persuadere possent Ordinibus creandos esse novos Consiliarios Consilii Status; necessarium enim esse asserebant, ut aliquot Consiliarii adderentur, ob gravitatem et multitudinem negotiorum expediendorum; proinde consultum admodum fore, ut per Ordines de viris doctis, probis et bene in republica versatis prospiceretur Consilio Status, quales bene invenirentur Bruxellae, si ad hoc assumerentur. Res itaque proposita est ad deliberandum; et pluribus quidem Praelatis visum fuit, sic faciendum esse, prout aliquando factum esse per Ordines dicebant constare ex antiquis actis.

Quidam autem se opposuerunt eiusmodi deliberationi, et dixerunt non esse in potestate Ordinum creare Consiliarios Consilii Regii, magis quam praescribere Regi famulos, quorum opera uti debeat; quae magna esset ignominia : et se credere neminem pene esse ex Praelatis, qui permitteret ut alius sibi praescriberet famulos, quorum opera uti deberet; sed quod ipse sibi deligere tales vellet, quales speraret sibi futuros utiles et fideles. Quod autem allegabatur de antiquis actis, responsum est, quod illa deberent exhiberi, et expendi an in simili casu haec acta essent. Huic opinioni cum adhaererent Deputati civitatum Antverpiensis et Buscoducensis, non potuerunt extorquere quod tantopere moliebantur, quantumvis urgerent, et ad iurgia pene deventum esset; itaque est Consilium, re infecta, ante meridiem dissolutum.

III. A meridie, rursus coeptum est agi de eadem re; et quidam ex Praelatis, bene tractatus, cum stomacho protulit schedulam quamdam, quam obtrusit illi qui ante meridiem impediverat conclusionem, dicens, En tu, Episcope, inspice

schedulam illam, et vide num quid habeas quod contra hos obiicias. In schedula autem erant descripta nomina assumendorum in Consilium, nimirum Advocatus *Liesvelt*, Consiliarii Brabantiae, *Oudart*, *Breughel* et *Damant*, et duo aut tres alii, quorum mihi nomina exciderunt. Respondit ille, personas descriptas se habere pro viris bonis, neque quidquam se habere quod adversus illos proponeret; sed se tantum sustinuisse ante meridiem, prout adhuc paratus erat sustinere, auctoritatem non esse penes Ordines constituendi Regi Consiliarios, ut pluribus verbis ante meridiem deductum erat. Quo responso audito, confugit Praelatus iste ad convicia, more haereticorum; et cum se plures illi adiungerent, cessit alter furori eorum, et egressus est Consilio; erant enim omnes bene tractati, ne dicam ebrii; nam ad hoc simul pransi erant, ut postea inventum est.

Ab eo autem die, cum istiusmodi confusionem et reiectionem passi essent, hoc negotium amplius non proposuerunt. Advocatus autem ille *Liesvelt*, primo loco ab eis nominatus, etsi non fuerit primus auctor huius contra Regem conspirationis, fuit tamen primus ac praecipuus conspiratorum illorum consiliarius. Nam ab eo tempore quo Egmondanus causa decidit, cuius tum erat patronus, mirum in modum aversus erat a Rege et a Regio Consilio; erat autem apud omnes in ea aestimatione in qua tempore Absalonis Architophel; consilium eius habebatur tamquam oraculum, nec quidquam toto tempore turbarum sine eius consilio attentatum est; qualis autem sit in Religione, novit Deus; hoc solum constat, uxorem eius, dum vivebat, habitam fuisse haereticam.

IV. Interea rursum Arschotanus urgebat, ut quidquam aliud non tractaretur quam de inveniendo medio parandae pecuniae. Dum igitur super ea re deliberaretur, propositum est de colligendo centesimo denario bonorum immobilium et mobilium; quod videbatur omnibus satis placere; nihil tamen de eo

adhuc actum est; sed post triduum aut quatriduum consensus praestitus est, cum non inveniretur aliud medium commodius inveniendi aliquam magnam summam pecuniae; quem consensum Commissarii Regis ab Ordinibus, multis verbis et magna diligentia longaque sollicitatione, obtinere conati sunt iuxta consensum tempore Ducis Albani praestitum. Consenserant enim tunc Ordines, quod, sexennio emenso a prima collectione centesimi denarii, concederetur et alius centesimus denarius in subsidium Regis. Verum quidquid ex parte Regis petitum est, statim est reiectum; cum vero ageretur de bello Hispanis inferendo et exteris militibus ut e patria pellerentur, illi qui pertinacissime regia postulationi obstiterant primi et promptissimi fuerunt; et quod magis mirandum est, executio huius consensus praestiti primum coepta est in ipsa civitate Bruxellensi, quae admodum videbatur voluntaria in contribuendo; prius tamen tam obfirmato animo se opposuerat Duci Albano in solvendo decimo denario.

Habito autem eo consensu, strenue actum est de conscribendis equitibus Germanis; nam equites nostrates, quos bendas aut cohortes ordinarias vocant, iam in armis erant, et stipendio Ordinum provincialium alebantur. Princeps autem varios Germanos Capitaneos commendaverat pro colligendis equitibus, et inter ceteros Comitem *de Swartzenborg*. In iis autem litteris scribebat Princeps, si Ordines Comitem hunc sibi pensione annua obligarent, quod is plurima posset illis praestare, et in rebus bellicis et apud Imperatorem et Principes Germaniae, apud quos esset notissimus et magnae auctoritatis. Verum quia multi ab equite Germano vehementer abhorrebant, eo quod per eos patria vastaretur, nihil adhuc potuerunt impetrare de conscribendis equitibus Germanis.

V. XIII Septembris, intravit Consilium Ordinum quidam missus a Comite de Lalaing, cum litteris commendatitiis eius,

offerens Statibus, ex parte Domini de *Bonnivel*, Franci, qui duxerat uxorem filiam Domini de Grevenbroek, tria millia peditum Francorum; sed per quosdam impeditum est, ne acceptarentur, eo quod Franci erant, nec per pluralitatem vocum hoc impetrare potuerunt. Quare per litteras actae sunt Comiti gratiae; et data est Nobili catena aurea centum florenorum.

Die autem XIV Septembris, conceptum est edictum quoddam per Ordines, quod et publicarunt, praesentibus quibusdam ex omni Ordine; in quod tamen non omnes consenserant, sed per maiorem, non saniorem, partem conclusum est (non enim spectabat ad Ordines aut edere aut publicare edicta) quo mandabatur omnibus, ut omnes se in veteris vitae et conversationis exercitio continerent pacifice, sine ullo tumultu; et quod unusquisque sibi compararet arma, quibus et vitam et patriam tueri vellet; reliqua autem quae ad gubernationem Reipublicae spectarent, Ordines curaturos. Et datum est mandatum Graphiario, ut per litteras idem mandari curaret etiam in aliis civitatibus, quoad arma comparanda; etiamque in illis, in quibus erat praesidium militum, etsi milites qui in praesidiis quarumdam civitatum erant, hoc edictum publicari noluerint.

Cives autem, qui habebant accessum ad Consilium illud secretius, et ab initio emotionis seu conspirationis huius fuerant auctores excitandarum turbarum, accipiebant nunc hunc, nunc illum captivum, non Hispanos aut exteros tantum, sed etiam eos de quibus habebant suspicionem aliquam quod aliquid favoris gererent Hispanis, aut quod aliquando habuerint conversationem aut familiaritatem cum eis; idque factum est non ordine iuris, sed per faecem populi et homines nullius urbanitatis, non sine clamoribus et cachinnis. His bonis viris utebantur secreti illi Consiliarii, ad compellendum Ordines, si quando difficiles se exhiberent in re aliqua praestanda

quae ab illis petebatur. Quare cum saepius propositum fuisset, ut assumerentur equites Germani, oblati per quosdam Capitaneos, tunc temporis agentes Bruxellis, inter quos erat Capitaneus *Bloem*, et nihil actum esset, intrarunt Consilium Ordinum magno numero, et petierunt scire causam ab iis quare ibi milites oblati non acceptarentur; responsumque est illis benigne, quod nondum opportunitas oblata fuerit de illa re agendi, proxima autem occasione de ea ageretur; itaque tum illis est utcumque satisfactum.

VI. Iidem quoque diligenter observabant ne quis ex Ordinibus, quacumque ratione oblata, civitate egrederetur; et praesertim illi, quos habebant suspectos, quod non vellent consentire in factionem eorum. Atque hinc factum est, xv Septembris, ut quidam Episcopus, verosimiliter ipse auctor, cui totum negotium ab initio vehementer displicuit, cum tentasset egredi ad conferendos Ordines, habita etiam licentia a Domino Hezio, qui se iactabat Capitaneum Civitatis, veniens ad portam, summa cum ignominia repulsus sit, et reductus in hospitium suum.

Die xvi Septembris, actum est in Consilio de litteris scribendis ad Ducem Alenzonium, fratrem Regis Franciae, per quas peteretur auxilium ab eo, si necessitas id postularet. Quae propositio cum vehementer aliquibus displiceret, tam fortiter isti se opposuerunt, ut duobus integris diebus nihil in hac re concludi potuerit. Hoc ut intellexerunt cives praescripti, die xviii, vesperi sub horam nonam, venerunt ad domum cuiusdam Praelati, qui vehementer obstiterat, et introierunt domum ipsius sub specie amicorum, habentes bombardas in una manu, in altera funiculum ignitum. Ingressi rogarunt num domi esset. Responsum est per famulum quod sic. Vocetur, inquiunt. Vocatus prodiit et rogavit quidnam sibi vellent? Quidam autem ex eis, Advocatus Cancellariae,

dux verbi, minans sclopo suo, cum stomacho dixit: Parum abfuit quin hac vespera, cum domum redires, in foro occisus fueris. Quare, inquit, nos huc venimus? Ut tibi mandemus ut te conformes reliquis Praelatis et Ordinibus; alioquin interficiemus te. Rogavit, in quo se conformaret. Responderunt: in omnibus quae proponuntur; nam tu solus impedis omnes bonos conatus Ordinum. Ad haec ille: Hoc sane mirandum est, quod ego, qui unicam habeo vocem, impediam conatus aliorum, cum super aliqua re rogor dicere quod sentio. Permittite ut egrediar, tum non sum vobis futurus molestus. Nec est, inquiunt, quod hoc speres futurum; sed cura ut cum aliis consentias, et hoc ante prandium diei crastinae, alioquin aliud senties. Et sic ingeminando minas egressi sunt.

VII. Altero autem die xix, congregatis Ordinibus, venerunt sub horam nonam illi iidem cives cum multis aliis, et petierunt audiri. Admissi et iussi dicere, coeperunt expostulare graviter cum Ordinibus, quod, cum animadverterent Hispanos in dies fieri fortiores, ipsi quasi securi nullum compararent militem, qui illis posset resistere, cum essent in civitate plures qui offerrent et peditem et equitem. Graviter quoque accusarunt eos, qui in hac re et aliis se redderent difficiles, et non vererentur allegare quod conscribere militem esset crimen laesae Maiestatis. Auditi sunt patienter, et quam fieri potuit benignissime responsum est illis; scilicet ne amplius exasperarentur, etsi multa impertinentia allegabant, quae numquam possent probare. Rursum propositum est de conscribendis litteris ad Regem Franciae, et ad fratrem eius Ducem d'Alenson, et ad Reginam matrem; et tandem conventum est in hoc ut scriberentur, sed absque postulatione auxilii, et tales quales ad Imperatorem scriptae erant.

VIII. Venerunt interim Bruxellam Deputati Ordinum Hannoniensium; venerunt et Flandriae, magno numero, et successive

reliquae Provinciae. Omnes autem Deputati magnificentissime a civibus recepti sunt; ierunt enim iis obviam extra civitatem. Rediit etiam sub istud tempus ex Francia *Comes Philippus Egmondanus*, filius Lamoralitii decapitati, qui a civibus Bruxellensibus et a Nobilibus magna cum gratulatione receptus est. Hunc Hezius secum duxit ad Consilium Ordinum, ut et ipse obsequium suum offerret Ordinibus in conscribendis militibus, cum diceret se habere commodissima media ad statim comparandam magnam eorum copiam. Obsequium hoc magna exsultatione acceptum fuit a multis, dicentibus illum Tribuni et Colonelli honore decorandum, et non contemnendam eius operam; alii vero saniores dicebant, nullo modo expedire ut ille assumeretur qui nondum esset plene reconciliatus Regi. Itaque triduo aut quatriduo super ea re disputatum est; sed vicerunt tandem Consiliarii isti secreti, qui complures denique pertraxerunt in suam sententiam.

Scriptae quoque sunt sub idem tempus binae litterae ad Reginam Angliae, quarum primae continebant causam, quare Ordines assumpsissent arma contra Hispanos, cui existimabantur futurae gratae; alterae erant petaces, postulantes mutuum. Missus est cum his litteris Baro d'Obeignii. Scriptae quoque sunt litterae ad Ducem Cliviae et ad Ducem Sabaudiae, et missae per Nobilem quemdam Artesiam. Missus denique est Nobilis unus Leodium, ad Episcopum Leodiensem, et ad triginta Opificia Leodiensium, quae constituunt communitatem Leodiensem, cum litteris credentiae, ut et Episcopum et Opificia pertraheret ad foedus ineundum cum Statibus; et quantum ad Opificia attinet, praestitit; illa enim magna ex parte adhaeserunt semper Statibus.

IX. Cum autem nunc nescio quis rumor spargeretur de mittendo ad has regiones illustrissimo D. Ioanne Austriaco, tamquam Gubernatore, vehementer coepit urgere Princeps

et hi qui ei erant addicti inter Ordines, ut pax acceleraretur; metuebat enim ne ille, si adveniret, pacem impediret. Proponebant itaque Ordinibus, tandem aggrediendum esse negotium rei tam optatae. Hoc cum pluribus placeret, facile fuisset praestitus consensus ei rei, nisi fuisset suborta quaedam difficultas; nimirum, utra pars prior deberet requirere alteram; hoc est, an Ordines deberent requirere Principem, an Princeps deberet requirere Ordines; sed Philosophi isti, qui omnia iam pro nutu suo tractabant, invenerunt huius difficultatis solutionem; nimirum quod Dominus de Wortige, qui erat Principi valde gratus (nam ob eam causam erat proscriptus a Duce Albano) mitteretur ad Principem, et cum illo familiariter ageret, atque ita ab illo disceret cuius esset intentionis, et quo loco conveniri posset, et quo tempore.

Ille laetus legationem suscipiens, graviter eam subiit, et paucis diebus toto negotio commisso expedito, ad Ordines revertitur referens omnia laeta : Principem nihil aeque cupere atque cum Ordinibus inire foedus, eumque iam dudum optasse; et si sincera eius intentio, quam in pace ineunda habebat, vere perspecta fuisset Ordinibus, se certo scire, quod tamdiu non distulissent in hoc negotio procedere : conveniens autem locus videbatur civitas Gandavensis. Audito hoc nuntio, magnam simulabant laetitiam pacis sollicitatores; nam haec prius omnia cognoverant.

X. Cum autem omnia iam viderentur parata ad educendum exercitum, diligenter tractatum est apud Ordines de creando primario Duce exercitus, penes quem esset omnis auctoritas; de Locumtenente, de Marescallo seu Dictatore exercitus, et aliis officiariis, et de stipendio eorum; nam etsi omnes se iactarent bonos patriotas, nemo tamen stipendiis suis militare constituerat, sed amplum et liberale stipendium omnes exspectabant. Aliquamdiu ergo disputatum est de primo Ductore exercitus,

aut primario Capitaneo; nam etsi plures hunc honorem volebant tribui *Duci Arschotano*, iudicabant tamen eum deferendum *Comiti de Lalaing*, eo quod magis videretur bellum hoc ex animo suscepturus; maior tamen pars obtinuit ut Duci Arschotano id muneris tribueretur, et quod Comes de Lalaing constitueretur eius Vicarius seu Locumtenens; *Marchio* autem *d'Havree* generalis Dux equitum, Dominus vero de *Gomynges* Marescallus seu Dictator exercitus. Dux autem Arschotanus munus oblatum acceptavit sub hac conditione, quod omnes Deputati Ordinum provincialium, celebrato sacro et processione finita, pranderent cum eo, quod et factum est; instruxerat enim prandium regale. Diu quoque disputatum est de stipendiis officiariorum; nam nemo stipendiis illis, quae in antiquis Registris inveniebantur assignata istiusmodi officiis, volebat esse contentus; et tandem aucta sunt stipendia pro uniuscuiusque qualitate.

XI. Hactenus relatis a Metzio subiungo ex historia nostra domestica quaedam propius urbem spectantia : quomodo, scilicet, « dum ista sic Bruxellis geruntur, primi Iesuitae » Antverpienses, die xxv Septembris, senserunt initia paulo » post erupturae contra suum Ordinem tempestatis. Cum » enim sermonibus omnium iam passim iactaretur, Hispanos patriam hanc universam velle in suam redigere » servitutem, suspectum esse coepit quidquid fiebat ab » hominibus, quibus aliqua subinde consuetudo fuerat cum » Hispanis. Anglus autem quidam, non longe ab aedibus » Societatis habitans, quosdam cados pulveris tormentarii » emerat, mandabatque baiulo, illos domum suam vecturo, » Iesuiticam transire. Verbum id temere ab aemulis auditum, » ita in vulgus disseminatum est, ac si Anglus ad Iesuitas » iussisset illum pulverem ferri; et in vulgus, quod iam tumultuabatur, per omnia urbis loca manavit rumor, inquirendos

» proditores; iam delata illuc tot vasa pulveris. Concurritur » undique ad Iesuitas, cingitur domus maxima hominum » concione, pulsant tintinnabulum, minantur effringere fores, » nisi celeriter pateat aditus; tantus enim erat ardor plebis, » ut continuas tres horas, licet imbre vehementi de coelo » cadente, ad Collegii portas perseverarent, tentantes si qua » possent irrumpere; inciderat enim turbatio illa in tempus » prandii, quando omnes tam templi quam domus fores » claudi consueverant; et Iesuitae illas pandere formidabant, » ingentis vulgi furorem veriti.

» Tandem impatientes morae, alii malum navis arripiunt, » ac iunctis viribus hoc, velut ariete, portam impetere » statuunt; alii magnam vim straminis comportant, portam » exusturi. Sed utrumque Deus per amicos avertit, qui, simul » ac rumores de Iesuitarum periculo audierunt, Senatum » adeunt, aguntque ut eis in tam praesenti periculo suc» curratur. Mittitur igitur militum cohors ad turbam sedan» dam; sed cum esset ingens seditiosorum multitudo, nihil » effecere pauci illi; quare eis subsidium mittitur, aeque » frustra. Ad extremum venit *Comes de Everstein* cum ali» quot militum signis, et Gubernatore urbis, Domino de » Champaigny, atque Marcgravio. Hi furibundum vulgus » propulsant, Collegium ingrediuntur, pacata inveniunt om» nia, falsosque esse rumores, qui passim de Iesuitis fere» bantur; eiusque rei litteras publicas, sua manu signoque » notatas dederunt, quae illorum innocentiam circumquaque » testarentur. »

XII. « Porro in hoc periculo singularem Dei providentiam » erga Societatem cognoscere licuit; eo maxime, quod tumul» tus ille inciderit in tempus prandii; nam alia quavis diei » hora portas Collegii et Scholarum apertas reperissent sedi» tiosi, totumque furorem in Magistros, in discipulos, in

» supellectilem omnem effudissent, ac meditatum scelus » perpetrassent priusquam Senatus et urbis Gubernator » adesse auxilio potuissent; neque deprehendi in facinore » coepto reprimi quivissent absque sanguinis effusione; » nam venerant armati, alii gladiis accincti, alii strictas » manibus tenebant sicas, quibus Iesuitas proditores confo» derent; plurimi etiam erant instructi securibus, quibus » ostiorum et cistarum atque armariorum seras perfringerent; » reliqui saccos, quibus praedam ac spolia conderent, secum » portabant. Erat autem praegrandis multitudo hominum » facile quingentorum, qui ad Collegium invadendum conve» nerant. Postridie, Rector, communicato cum suis consilio, » cogitabat dimittere Praeceptores ad vicina Collegia; sed » impediebant milites, Comitis iussu excubantes ad portas » Collegii, ne forte a populo, necdum quieto, iniuriae aliquid » inferretur; quare non nisi tertio die dimissi ad designata » cuique loca, Deo duce, salvi pervenerunt. Duo Lovanium » ingressi, fuerunt in porta apprehensi, deductique ad diver» sorium quoddam, ubi una nocte detenti sunt, quousque » Magistratui rei veritas patuit; nam Lovanium pervaserat » rumor sinister, Iesuitas esse Antverpia pulsos ex suspi» cione proditionis.

» Nocte porro diem insequente, quo discussum tam grande » periculum fuerat, contigit in vicinia Collegii aedes quasdam » conflagrare, negligentia unius cauponis; unde inusitatùs » erat clamor militum vicinos quosque expergefacere volen» tium ad restinguendum incendium. Qua in re ita strenue » a Iesuitis est laboratum, ut postero die passim iactaretur, » iam patere eos non esse proditores, sed defensores civium; » nam praeter vicinos eosque selectos, vix ulli a Guber» natore et militibus eius admittebantur ad opus istud, ne » praetextu incendii restinguendi tentaretur seditio aliqua,

» unde facile constabat Patrum eo in labore diligentia. In
» hoc etiam casu apparuit ingens virtus benedictae cerae,
» quam *Agnus Dei* vocant : cum enim hanc deportantes
» Iesuitae aedes inflammatas circuirent, vicinae omnes a
» flammis fuerunt praeservatae, licet e ligno fabricatae
» universae. »

XIII. « Post dies non multos venit Gubernator Collegium
» visurus, humaniterque a sociis paucis qui aderant exceptus,
» coepit pluribus dicere, quod Reipublicae conduceret Hispa-
» nos abesse, idque etiam Reginae Angliae valde probaretur.
» Illi (nam Rector aberat Lyram digressus, quia cum fuisset
» valde familiaris Consiliariis Roda et del Rio, timor iustus
» erat, ne abriperetur Bruxellas, ad Hispanorum consilia ex
» eo cognoscenda); Iesuitae, inquam, eius oratione audita,
» unam atque alteram difficultatem obiecerunt, quae ad fidei
» in his regionibus conservationem spectare videbantur; ser-
» monem autem suum concluserunt his verbis : Nos neque
» ea negotia intelligimus, neque nostra interest a quibus hae
» regiones administrentur; hoc exploratum habemus, quae
» a Dei timore originem ducunt, optatum exitum sortitura;
» quae vero a privati commodi amore regnandique cupidine
» proficiscuntur, divino timore reiecto, non item. Talem ora-
» tionem cum maxime Gubernator probasset, et se Collegium
» suam in fidem recipere declarasset, eique pro isto studio
» gratias egissent Iesuitae, ab eis recessit.

» Paucos post dies alius invasit plebem furor. Sparserant
» malevoli quidam in vulgus, una nocte cives omnes esse
» trucidandos, opera Patrum Societatis, Franciscanorum alio-
» rumque Ecclesiasticorum, cui rumori tantum fidei fuit a
» plerisque tributum, ut sub vesperam noctis, quae patrando
» facinori dicebatur destinata, facile sex millia hominum oppido
» excesserint, pernoctaverintque sub iove frigido, veriti, ne, si

» Civitate ea nocte mansissent, omnes necarentur. Neque solum Antverpiae sed etiam per totum Belgium sparsa est » fama, in Collegio Societatis Iesu cistas deprehensas, refertas » sicis et mucronibus, quos invidi in hunc finem paraverant, » ut, iis ostensis, clerum adducerent in invidiam, asserendo » eos ipsos pugiones esse, quibus interficiendus populus « erat. » His ex Historia Collegii saepe dicta transcriptis, succedant quaedam ex Appendice ad historiam Secretarii Valkenisse, non quidem eiusdem cum illis fidei, propter animum scriptoris Hispanis et rei Catholicae haud valde addicti; in iis tamen quae publicae notitiae erant, haud plane contemnendi.

XIV. « Asserit is quod, xxvi Septembris, rumor allapsus ad » Civitatem fuit, pacem cum Principe eo die fuisse compositam » Bruxellis. Post meridiem vero venerunt Burgerholtum et ad » S. Willebrordi tria vexilla peditum Hispanorum, indeque » in Contich progressi sunt, rusticis per quos transibant valde » molesti; alii vero Willebroukam Lyramque profecti, locum » utrumque occupaverunt ac muniverunt; extorquentes ab » incolis frumentum, triticum, paleas etc. quibus sibi opus » esse dicebant; atque cum praeda multa Antverpiam re- » gressi sunt die i Octobris. Interim alii ad trecentos, » conscensis, quas Kilae invenerant, cymbis, traiecere Scal- » dim, et in opposita ripa tres quatuorve munitiones exci- » tarunt. Die iv, castri Gubernator, *Dominus de Rodes*, « maiori navigio ad id apprehenso usus, adduci iussit piscato- » rias naves tres, Bruxellam sub salvo conductu ituras. Die vii, » multos ex suis Scaldim traduxit, adque Caput Flandriae » alteram excitari fecit munitionem, cui novae Golettae nomen » indidit; et viii die, aliam piscatoriam cymbam sisti fecit, nec » non alteram turbis, id est cespitibus ustilibus onustam, ad » suorum militum usum. »

ARGUMENTUM.

I-VI. Statuum litterae ad Regem, quibus nituntur excusare sumpta contra Hispanos arma, et Consiliariorum quorumdam captivitatem. VI. Aliae similes ad Imperatorem Maximilianum. VII. Pro quo mortuo respondet successor filius Rudolfus, suadetque exspectare Commissarios a se pro pace concilianda mittendos. VIII. Aliae ad Regem Franciae et Reginam Angliae.

I. Octobri mense, visum est Statibus, Bruxellae congregatis, occurrendum esse rumori de sua rebellione quaquaversum sparso, ac primum scriptis ad Regem Catholicum litteris; quas, credo, non erit ingratum hic legere, quo penitius genius et stylus factionis inspiciatur. Eas ex gallico, inter Acta Statuum reperto, sic accipe :

DOMINE,

« Quandoquidem rumor ingentis mutationis, his diebus » factae in Belgio vestrae Maiestatis, per varias orbis Christiani » partes dispersus iam sit, nullatenus dubitamus, quin idem » iam sit allapsus ad aures Maiestatis vestrae, utpote quam » prae ceteris ea res attinet. Interim metuentes, ne ea res » per interpretationes malignas multum alterata sit, hisce » volumus eidem pandere nudam veritatem, et exstinguere » calumnias nobis imponendas, ad causae nostrae iustificatio- » nem, quam suppliciter petimus ad benevolam vestram » audientiam recipi.

» Novit Maiestas tua, quod primae turbae anni M.D.LXVI » eodem anno sopitae fuerint prudenti consilio Ducissae » Parmensis, tunc Regentis, Procerumque Belgarum; totaque » regione pacata, Catholica Romana Religio restituta, et aucto- » ritas Maiestatis vestrae sit conservata. Nihilominus receptus » hic est Dux Albanus obedienter ac reverenter, cum magno » numero peditum equitumque Hispanorum, qui totam hanc

» regionem novem aut decem annorum spatio conculcarunt » crudelius quocumque inimico, palam profitentes, eo animo » venisse se, ut bona omnia nostra vindicarent sibi, tamquam » sibi in praedam data : ita ut infinitae ab iis feminae » constupratae, violatae virgines, caedes et homicidia crude- » lissima sint patrata, citra verecundiam ullam; de quibus » nulla hactenus facta sit vindicta, post tot tamque lamen- » tabiles desuper factas querelas, et per totum orbem » Christianum dispersas. Nec enim parcitum est ecclesiasticis » personis, ecclesiis, monasteriis, aliisque locis sacris, aeque » violatis atque alia profana loca, absque ullo respectu » iurium, privilegiorum, consuetudinum, libertatum huius » patriae aut timoris divini veraeque Religionis, a qua pror- » sus alienos se ostendunt in suo vivendi modo. Itaque » brevi tempore regio haec, tam florens et frequentata ex » omnibus mundi partibus; mercimoniis, divitiis et honore » pollens, ultro citroque navigantium commeatu continuo, » et per incolarum industriam locupletata, sub dominio et » protectione Maiestatis suae et inclytorum Maiorum eius; » nunc iacet spoliata tota, quasi coniurassent Maiestati suae » eripere Belgium suum populosque ad desperationem salu- » tis sub ea obtinendae redigere, non tamquam fideles » ipsius subditi sed tamquam eius capitales hostes; redi- » gendo ipsas Provincias ad egestatem extremam, cum ma- » ximo praeiudicio, non solum Maiestatis tuae, sed etiam » aliarum Christianitatis totius Provinciarum ipsiusque impri- » mis Hispaniae. »

II. « Nihil hic opus est describere enormem crudelitatem, » commissam Zutphaniae, Voerdae, Oudewatriae, Mechliniae, » Antverpiae, Alosti, et alibi, utpote notas omnibus. Et, cum » victoriae, Maiestati tuae concessae, spem facerent finiendi » aliquando huius tam funesti belli, Hispani nihilominus,

» identidem versi in seditionem, visi sunt illud velle perpetuum » facere cum irreparabili detrimento Maiestatis tuae. Hactenus » tamen omnia fuerunt patienter et impune tolerata; tum » interim praedicti milites magis magisque exorbitant, nosque » inhumanius et crudelius habent, comminitantes etiam prae- » cipuis civitatibus, totique patriae exspoliationem, excidium, » pauperiem et famem; nobilitati exterminium, familiis hono- » ratis desolationem, raptisque uxoribus ac liberis lavare ma- » nus in sanguine innocentium, citra discrimen aetatis aut » sexus, quemadmodum nuper inter pauperes accolas civi- » tatis Antverpiensis, coactos enormi pretio incendia desola- » tionemque suorum vicorum redimere. Expugnata autem » recenter Zirickzea, unde poterat Maiestatis tuae pars roborari » vehementer; deserto eius servitio, iterum versi in seditio- » nem, abductum inde apparatum bellicum verterunt in sub- » ditos Maiestatis tuae; et quasi soluti a catena, verso in » terram capite, proruerunt Bruxellam versus, ordinariam » suae Maiestatis sedem, eamdem depopulaturi eversurique. »

III. « Hac de causa, coacti fuimus conscribere milites, ad » eorum furorem reprimendum, qualem nuper exercuerunt » contra civitatem Alostanam, muros hostiliter irrumpendo. » Audimus autem quod etiam velites vicinorum praesidiorum » ea sine ulla causa dimittere seque in agros diffundere » audeant, absumentes et vastantes omnia. Igitur necessario » coepimus circumspicere remedia tantis malis consensu com- » muni adhibenda, ad restaurandas hasce Provincias, composita » cum Zelandia et Hollandia pace, sub debita Maiestatis tuae » obedientia ac reverentia; itaque conservare subditos eius, » atque cavere, ne successu temporis, in desperationem acti, » prorsus alienentur a Religione et fide Catholica, firmi- » ter persuasi quod Maiestas sua non sit in sequiorem par- » tem acceptura, quod, inevitabiliter coacti, ad nostram

» defensionem sumpserimus arma contra milites Hispanos
» praedictos, ne in tam grandia mala inevitabiliter prae-
» cipitemur. Idque conformiter ad mentem vestri Consilii
» Status, cui sua Maiestas regimen harum Provinciarum
» commisit; quodque ulterius ferre non valens tam enormes
» excessus, seditiones, rebelliones, hostiles incursus dicto-
» rum militum, ipsos iam bis declaravit rebelles et inimicos
» Maiestatis tuae, et pro talibus ubique iussit haberi. Quam-
» quam autem inveniendi sint calumniatores multi, qui
» conabuntur animum Maiestatis tuae contra nostram rectam
» intentionem irritare, confidimus tamen, quod si dignetur
» animum applicare actis nostris, praesentibus et praeteritis,
» iudicatura sit, nos nimium diu distulisse remedium unice
» necessarium tantis malis, obstantibus iis qui propriae suae
» commoditati attenti magis quam providentibus et vigilan-
» tibus ad obsequium Maiestatis tuae et quietis publicae,
» adducunt in extremum discrimen et religionem et patriam;
» quod non satis possumus deplorare. Unicum nunc et solum
» remedium superest : ut Maiestas tua, dimissa via rigoris
» quae tam grandia mala suscitavit, resumat nativam suam
» bonitatem et clementiam, eamque iungat sincerae nostrae
» intentioni; quia aliter omnia necessario ruent in extremum
» exitium. »

IV. « Porro, quia, in hac tam periculosa rerum perturbatione,
» plebs existimat Consiliarios nonnullos favere Hispanis, iam
» quater aut quinquies in seditionem versis, quia non vident
» hos puniri, sicuti per Ducem Albanum puniti fuerunt
» Germani sub Comite Lodron seditiosi; particulares non-
» nulli, iure metuentes ne populus, inde commotus et in
» furorem versus, excitet grandem aliquem tumultum, Reli-
» gioni Catholicae, obedientiae Maiestatis tuae, totique pa-
» triae perniciosum; necessarium iudicaverunt eorum aliquos

» apprehendere et sequestrare ad tempus, itaque praescindere
» viam ad gravius malum. Interim D. Hieronymus de Roda,
» suae Maiestatis Consiliarius, ex hac Bruxellensi civitate
» in castrum Antverpiense se recepit, sibique soli usurpat
» auctoritatem ipsius Consilii Status et regimen Belgii, in
» eoque nimirum se extendit, in contemptum magnum et
» praeiudicium Dominorum Praesidis aliorumque Consilia-
» riorum et Secretariorum Ordinariorum suae Maiestatis,
» sub eius stipendio ministrantium et exercentium atque con-
» tinuantium consueta sui officii munia, ad conservationem
» Belgii vestri, secundum obligationem iuramenti sui; et
» ad talem finem fabricari sibi fecit sigillum novum, sub
» nomine vestrae Maiestatis, sub eoque praesumit expedire
» mandata; neque cessat cum suis complicibus, Alphonso de
» Vargas, Sancio d'Avila, Iuliano Romao aliisque attrahere
» sibi et lucrari Colonellos, Capitaneos et milites Alemannos
» ad suum intentum coniurationemque contra eos qui hic
» de Consilio vestro resident. Hoc vero cum nobis peregrinum
» ac seditiosum videatur, atque ad totalem desolationem et
» ruinam tendere, maxime cum nos etiam diffament quaqua-
» versum ut haereticos, inimicos Dei et rebelles Maiestatis
» tuae, propterea, et ad complementum iuramenti nostri atque
» officii, et ad cavendum ne Respublica incideret in tanta
» incommoda, quae caveri non poterant nisi excuteremus
» a nobis intolerabile et perpetuum iugum, quod milites
» Hispani nobis nitebantur imponere, arma sumpsimus; de
» Consilio tamen et consensu Consilii vestri, quandoquidem
» dicti Hispani noluerint acquiescere aequae solutioni, a
» nobis sibi oblatae ad vitandam sanguinis effusionem maio-
» raque incommoda. »

V. « Vides, DOMINE, quod inevitabilis necessitas nos
» coegerit admovere manum collapsae Reipublicae, ideoque

» in omni humilitate supplicamus Maiestati tuae, ne de nobis,
» fidelissimis subditis tuis, quidquam sinistrae suspicionis
» concipias, vel cogites quod alia intentione procedamus;
» coram Deo et sua Maiestate protestantes, quod intendamus
» et velimus persistere nosque continere in nostra sancta
» Fide et Religione Catholica Romana, in eaque perseverare
» usque ad mortem, absque ulla circa ipsam mutatione vel
» alteratione, vel circa servitium Maiestatis tuae; supplicantes
» insuper, ut dignetur praesentibus malis applicare conveniens
» remedium per viam supra indicatam; neque ulterius tolerare
» ut nos boni et pauperes subditi vestri maneamus diutius
» oppressi intestinis bellis, sed potius permittere, ut vera,
» sincera, durabilis et Christiana pax resarciatur inter nos et
» Provincias Hollandiae atque Zelandiae, vetus Maiestatis tuae
» patrimonium, salva tamen in omnibus et per omnia Reli-
» gione Catholica Romana, et obedientia debita Maiestati
» tuae, Domino ac Principi nostro naturali; eumque in finem
» facias abduci ab his regionibus Hispanos milites, quando-
» quidem aliter obtineri nequeat tranquillitas et pax publica.
» Sic facies, DOMINE, opus dignum Maiestate tua et clemen
» tia regia, multosque tibi amicos subditosque lucraberis,
» qui per diuturnum bellum, vitam execrabilem et malum
» exemplum militum, ex una; et alteraparte se coniiciunt
» in evidens periculum damnationis aeternae; certi quod,
» si tantae miseriae et calamitates, quas iam decennium et
» ultra patimur, vere ut sunt venissent, in notitiam Maies-
» tatis tuae, nnmquam pati voluisses, ut nos, antiquissimi
» vasalli et subditi vestri, a quibus decessores tui tot
» tantaque acceperunt servitia, tractaremur tam misere;
» multo minus ut gravius etiam innecteretur iugum per-
» petuum et insupportabile, quod praedicti Hispani nobis
» nitebantur imponere; eoque nos coegerunt consilium capere

» pro antiqua patriae nostrae libertate, potius quam eam
» permitteremus popularis indiscretionis arbitrio.

» Denique sperantes quod sua Maiestas inclinabit ad nos-
» tras tam humiles et supplices preces aurem suae clementiae,
» oramus Deum Creatorem, ut conservet et tueatur Maies-
» tatem tuam in longa vita et felici prosperitate, post humiles
» nostri commendationes in bona eius gratia. Bruxellis, Octo-
» bri M.D.LXXVI »

REGIAE VESTRAE MAIESTATIS humillimi et obedientissimi sub-
diti : *Status Belgii*, *Bruxellis congregati.*

VI. Diem mensis in tribus, quae vidi, ecgraphis deficientem, fuisse *Postridie Kal. Octobris*, colligitur ex simili plane epistola, tali die latine data ad MAXIMILIANUM IMPERATOREM. Excusat haec simili prorsus, quo ad Regem scriptum erat, tenore, necessitatem sumendi contra Hispanos arma, ut sua Maiestas Sacrique Imperii Ordines Status Belgicos in suam tutelam receptos, patrocinio suo non dedignentur, ne sub proscriptionis banni Imperialis, bonorumque confiscationis poenis districte praecipiat ac mandet Ducibus, Tribunis, Praefectis, Capitaneis, ac militibus Germanis, nec non illustri D. Comiti ab Oberstein, qui Antverpiae est in praesidio, ne ipse aut sui milites aliquo modo dictis Hispanis, factiosis et rebellibus, se adiungant, biisue auxilium aut consilium praestent; sed contra, ut oppida et loca, sibi concredita, studiose servent ac tueantur in devotione ac reverentia Regiae Catholicae Maiestatis suarumque ditionum; teneanturque ea Maiestati suae restituere, factorumque suorum rationem reddere; reliquos autem Germanicae nationis Imperiique subditos prohibeant, ne stipendiis Hispanorum militent contra has Catholicae Maiestatis inferioris Germaniae ditiones; praesertim cum eae Sacro-Romano Imperio antiquo foedere obstrictae, ac suae augustissimae Maiestati devotissime deditae sint. Harum litterarum exemplar

secum fuisse communicatum per D. de Saventhem, cum propriis ad se litteris, signatis v die Octobris, indicat in suo ad Status responso Leodio, die xv Octobris, *Gerardus, Episcopus Leodiensis,* tamquam eorum *Bonus vicinus et amicus ad serviendum et complacendum;* bene augurando de effectu, quem Caesarea intercessio habitura esset.

VII. Obierat MAXIMILIANUS, cum hae perferebantur; sed eius vice respondit qui successerat filius primogenitus *Rudolfus* II sui nominis, iam inde ab anno praecedenti electus et coronatus Rex; Bohemorum quidem, xxii Septembris; Romanorum vero, die xxvii Octobris : respondit autem latine etiam ipse, hunc in modum :

« Illustres, Generosi, Magnifici, Nobiles, Honorabiles, » Prudentes, Fideles, Dilecti.

» Cum praesentium lator, Nobilis et Fidelis nobis dilectus » Gualterus a Gracht, Dominus in Meulstede, Dapifer noster, » duodecimo (Octobris), ac eodem quidem die, quo Deo » optimo maximo visum est, sacram Caesaream Maiestatem, » Dominum Genitorem nostrum, ex hac humana et fragili » vita in coelestem patriam ac aeternam gloriam evocare » (maximo sane acerbissimoque cum dolore nostro) huc venis» set, altero post die litteras vestras, secunda praesentis men» sis Bruxella, ad praelibatum Dominum parentem nostrum » datas, Nobis reddidit; ex quibus tanto maiori cum animi » nostrimolestia et perturbatione cognovimus, res ad eum, quo » nunc, statum redactas esse, quo perspectius nobis est, » Maiestati suae Caesareae ditionum istarum Belgicarum tran» quillitatem maxime semper cordi ac curae fuisse, adeoque » nulli suo vel studio vel labori in ea procuranda pepercisse. » Cum autem, eiusdem optimi nostri Parentis vestigiis insis» tentes, nihil magis desideremus quam ut Provinciae illae » iam tandem exoptata diu quiete frui possint, decrevimus,

» adeoque iam nunc in eo sumus, ut primo quoque tempore
» Commissarios nostros summae auctoritatis, et quidem eo-
» rum aliquos ex Sacri Imperii Principibus, istuc destinemus,
» qui eius rei tractationem nostro nomine suscipiant, omnique
» maiori studio atque conatu in id incumbant, ut, sublatis
» quibuscumque periculosissimorum motuum causis, omnia
» ad tranquillum statum reducantur. Interim vero vos benigne
» hortamur et requirimus, ne quid de facto praesumere, quin
» imo dictorum Commissariorum nostrorum (qui ut has litte-
» ras nostras quam citius subsequantur curabimus) adventum
» quieti exspectare, et, cum facile intelligatis, nihil pace
» iucundius, nihil vestris ac patriae vestrae rebus utilius esse,
» eiusdem rationes haud difficile amplecti velitis. Quod vero
» ad ea attinet, quae nostra ex parte fieri postulatis, ita
» providebimus, ut consilia, actiones, studiumque nostrum
» ad hunc unicum scopum, pacis scilicet et tranquillitatis
» publicae, tuendum; eaque omnia, quae hactenus gravis-
» simorum motuum et disturbiorum causas praebuerunt,
» removendum tendere cognoscatis; id quod vobis ad memo-
» ratas litteras vestras hoc tenore benigne respondendum
» duximus; in reliquis ad dictos Commissarios nostros nos
» remittentes, ac Caesaream nostram gratiam vobis clementer
» deferentes. Datum in civitate nostra Imperiali Ratisbona,
» die XIX mensis Octobris, anno Domini M.D.LXXVI, Regnorum
» nostrorum Romani I, Hungariae V, Bohemiae vero II.

inferius : RUDOLFUS.

adhuc inferius erat scriptum :

Ad mandatum S.C.M. proprium :

WERNBURGER.

in margine vero: *Vidit Ioa. Bapt. Walrans;* supra scriptum: *Illustribus, Generosis, Magnificis, Nobilibus, Honorabilibus,*

Prudentibus nostris et Imperii dilectis N. ditionum Belgicarum Ordinibus et Statibus, Bruxellae congregatis.

Recepta XXVII *mensis Octobris* M.D.LXXVI, *in Camera Statuum lecta sub horam quartam, allata per supradictum Walterum a Grachte.*

VIII. Interim acceperunt etiam Rex et Regina Franciae similis, cuius priores duae, tenoris litteras, datas, XVII Octobris, quibus aliud nihil in fine petitur, quam ut apud Hispaniae Regem intercedere velint, ut Belgio pacem concedere velit, avocando Hispanos, et rigorem erga Hollandos Zelandosque mitigando. Breviores aliae, quoad primum caput, scriptae ad *Elizabetham, Reginam Angliae,* signatae die XVIII, ac missae per Dominum *Aegidium de Lens*, Equitem Baronemque d'Obigny, indicantes desiderium et spem, quod, ablegatis e Belgio Hispanis, refloriturus esset mutui commercii intercursus, tam fideliter et sedulo a Regis nostri maioribus cultus, tamque utilis utrique nationi.

ARGUMENTUM.

I. Pugnatur ad Walhemium. II-III. Cives vexantur ab Hispanis ex arce, et in urbe a militibus in auxilium admissis, qui numero aucti vallum contra illos cum civibus erigunt. IV. Arschotano concordiam suadente, deliberatur de Ioanne Austriaco recipiendo. V-VI. Alii praeferunt Auriacum, eique mittunt Commissarios et ab eo iuvantur ad Gandavum. VII. Illi Austriaco conditiones praeformant, VIII-IX. quae communicant Auriaco aliisque Provinciis. X. Austriacus Luxemburgum appulsus, scribit benignissime Statibus.

I. « Sub haec crescebat odium Brabantinorum contra His-
» panos, variis modis ac locis molestos, dum eiectionis
» suae consilia quacumque ratione nituntur disturbare. Hinc,
» XV et XVI Octobris, Walhemii, prope Mechliniam, acer confli-
» ctus exarsit ipsos inter et Walones; quo cum multi utrimque

» cecidissent, ignis iniectus pago isti fuit; et qui in muni-
» tione nova trans Scaldim collocati erant, die xix ipsius
» Octobris, plures sua in urbem tormenta exploserunt, varias-
» que in ea domos, praesertim Curiam, graviter concusserunt.
» Interim ipsa civitas non minus a propriis suis ad tumultum
» adductis Germanis, quam ab externo hoste inquietabatur;
» nam die xxvi eiusdem mensis, a mane in vesperam, non
» desinebant *Pecuniam*, *Pecuniam* inclamare, diffringendo vitra
» fenestrarum; quapropter eo et sequentibus diebus clausae
» fuerunt omnes portae, nec nisi xxix die reseratae. » Ita Appendix praecitata.

Iesuitarum historia, praetermissis istiusmodi minutiis, Ordinum contra Hispanos conatum varium, castri Gandensis obsidioni inchoatae recte subnectendum, sic prosequitur:
« Quoniam castellum Antverpiense adhuc erat Hispanorum
» praesidio munitum, nihil magis cordi erat Ordinibus, quam
» illos inde quomodocumque excutere, et simul periculo libe-
» rare civitatem, factioni suae addictissimam; sed hoc fieri
» non poterat, nisi opera *D. de Champaigny* et *Comitis Ober-*
» *stenii*, qui iam civitate potiebantur; quibus, quamvis Ordini-
» bus foederati erant, nulla tamen commoda ratio dabatur,
» qua suum de castro obtinendo consilium explicarent.
» Interim Comes de Oberstein nulla praetermittebat signa
» benevolentiae in castri Praefectum, per quae facile tegebatur
» omnis proditio. Dominus vero de Champaigny omni huma-
» nitatis genere prosequebatur Comitem, timens ne is ad
» Hispanorum partes descisceret, a quibus non videbatur
» omnino alienus. »

II. « Hispani, porro, et quidam Germanorum Praefecti, anim-
» advertentes Comitem se ab eorum communione subducere,
» eum compellunt ad foedus eiusmodi ineundum : paciscuntur
» inter se, ne quis utrimque huic vel illi parti adhaereat, et

» inter se a mutua concertatione desistant; paribus vero studiis
» utrique utrisque operam navent, si vel ipsi Status, vel ipsi
» et Hispani castrum aut oppidum tentarent invadere, quo-
» usque de Regiae Maiestatis voluntate et sententia certum
» erat; qui si Hispanorum conatus probaret, eosdem sequeretur
» Comes de Oberstein; si vero Statuum consilia confirmaret,
» hos vicissim ille sequeretur. Hoc foedus prius percussum,
» quindecim diebus ante eum diem qui Omnibus Sanctis sacer
» est, fuit in tabulas relatum; post vero ipso profesto Omnium
» Sanctorum solemni iuramento utrimque firmatum, ac tertio
» deinde die a Comite violatum. Nam cum triduo post dictum
» foedus, venissent Statuum copiae, quibus praeerant Marchio
» d'Havree et Comes de Egmont, ut civitati adversus Hispanos
» praesidio essent, castrumque, quod tenebant Hispani, inva-
» derent, primum quidem Tribuni militum soli intromissi
» sunt, deinde de militum inductione est consultatum; hoc
» vero facile permisit Comes, iureiurando firmati foederis
» oblitus. »

III. « Admittuntur ergo milites Statuum ad triginta vexilla
» magna cum multorum civium gratulatione et gaudio; nam
» adventabant Hispanorum copiae, a quibus illi, si aliquot
» adhuc horas ante portam exspectassent, fuissent oppressi.
» Itaque laeti Civitatem ingressi, Hispanorum mercatorum
» domos invadunt ac diripiunt; cives autem iam animati intro-
» misso praesidio, cognitaque voluntate Gubernatoris Domini
» de Champaigny et Senatus, quod Statuum partes seque-
» rentur, magno studio vallum excitant, quod velut propugna-
» culum castro, in quo erant Hispani, opponeretur, omnemque
» vim tormentorum aeneorum, a castro displosorum, exciperet,
» atque a Civitate prohiberet; tantus autem erat civium in hoc
» opere fervor, ut viginti quatuor horis magnae longitudinis
» opus, et sedecim cubitis altum, erexerint. Neque deterrebat

» sumptus, neque periculum mortis praesens; nam prompte
» subministrabant ligna, currus, tigna ceteraque ad eam rem
» necessaria; atque cum innumeri trucidarentur ab Hispanis,
» qui ex castro explosis sclopis machinas civium impedire
» conabantur, tamen integri atque vivi succedebant laesis aut
» interfectis alacres atque intrepidi, viris mulieribusque, supra
» duodecim millia (ut asserit Strada) insudantibus operi.

» Veniunt deinde furibundi milites ad Collegium Societatis,
» sclopisque pectori ianitoris admotis, postulant sibi Hispano-
» rum res tradi; quod ni fiat, vitam se cunctis erepturos
» minantur. Iesuitae eos humaniter introducunt in domum,
» clausis portis, ne plures irruerent; cumque declarassent
» nihil Hispaniensium rerum apud se esse, utcumque pacatos
» dimittunt. Missus tamen erat Frater quidam ad Gubernato-
» rem et militum Ducem, indicaturus Patrum periculum. Eum
» milites quidam in via apprehendunt, aedes Hispanorum ut
» demonstret cogunt. Rogat Frater ut se prius captivum
» deducant ad Gubernatorem, esse sibi cum illo rem magni
» momenti communicandam. Itaque ab illis deductus ad Mar-
» chionem d'Havree et Dominum de Champaigny, quo in
» discrimine Patres versarentur exponit. Havreus celeriter
» vicarium suum mittit ad Collegium: hic sua praesentia
» insolentiam militum compescuit; ipse etiam Marchio cum
» Domino de Champaigny venit, Patres benigne animat,
» nihil esse dicens quod vererentur; se cum suis Principibus
» ipsos ac reliquos Ecclesiasticos strenue tutaturum; utque
» fidem suis dictis haberent, adiecit graviter in sceleratos
» animadversum iri, severaque ad ceterorum terrorem edenda
» exempla. »

IV. † Biduo ante praedictum diem Bruxellis (nam simul huc ad Commentarium Episcopalem revertor); Bruxellis, inquam, die VI Octobris, ante meridiem, Dux Arschotanus veniens ad

Consilium Ordinum, imperato silentio, multis verbis et rationibus monuit, accelerandam esse pacem, nec diutius differendam. Id cum praeter opinionem quorumdam fieret, mirati sunt cur tantopere faciendam pacem iudicaret; verum postea intellexerunt, litteras esse receptas, quibus significabatur Austriacum iter iam arripuisse ut in Belgium veniret, atque ob hanc causam pacem accelerandam, ne ille eam posset impedire. Mandavit itaque, ut statim, relictis omnibus negotiis, deliberaretur, quibus conditionibus et modis pax confici posset. Quidam ex Ordinibus Brabantiae, expendentes gravitatem causae, dicebant rem esse maximi momenti, ac proinde matura deliberatione opus esse, ut merito in alterum diem differri deberet. Alii aliud clamabant, negotium esse statim absolvendum priusquam quisquam egrederetur Domum civicam. Hic negotium aliquantum constitit.

Urgente nihilominus Arschotano, tandem incoepta est super hoc negotio deliberatio; sed valde superficialiter in tali ac tanta causa deliberatum est; ac tandem conclusum, ut ab illo loco Commissarii designandi inciperent tractare negotium pacis, quo in ultimo conventu Bredae habito perductum erat; ad eumque finem lecta tunc Acta Conventus Bredani. In iis habebatur, quod Commissarii Principis cum Commissariis Hollandiae et Zelandiae petiissent, quod puncta quaedam, concernentia Religionem, relinquerentur definienda per conventum Generalium Ordinum Belgii totius; et ex eo quod illis hoc tunc non esset concessum, recessum fuisse, prout revera erat. Iudicabant proinde quidam, hoc illis esse concedendum, quo pax coire posset, quae aliter videbatur non posse impetrari. Ad haec quidam ex Ordinibus Brabantiae libere responderunt, quod potius ad decem annos adhuc gerendum esset bellum, quam ut hoc haereticis concederetur cum summa iniuria Religionis, cum non spectaret ad Ordines Generales quidquam definire in

ea causa, sed ad solam Sedem Apostolicam; et qui aliter sentirent, haberi possent haeretici.

V. Talem deliberationem aegerrime tulerunt reliqui, et tamquam futilem exploserunt, indignis vocibus eius auctorem opprimentes, et miris iniuriis onerantes. Nec id sufficiebat illis, sed hanc suam deliberationem propalarunt apud populum Bruxellensem; qua causa factus est ille plebi exosus, ut quidam conspirarint contra illum et constituerint illum occidere; prout fecissent nono Novembris, nisi, praemonitus a quodam amico, confugisset ad domum cuiusdam civis, apud quem toto illo die delituit.

Habitis nunc taliter qualiter mediis, quibus pax componi posset, statim processum est ad deputationem Commissariorum: et pluribus ex Ordinibus Brabantiae videbatur nullum Ecclesiasticum esse mittendum, ne quid tractaretur concernens fidem Catholicam. Praelatis autem Hannoniae, nescio qua ambitione ductis, aliud visum est: nimirum inter commissarios debere mitti etiam Ecclesiasticos aliquos; quorum deliberationem cum plures Provinciae sequerentur, necessarium fuit, ut et Brabanti Ecclesiasticum nominarent. Nominati itaque sunt ex parte Brabantinorum, contradicentibus quibusdam, gratissimi Principi: nimirum, *Abbas Gertrudanus* et *D. Praelatus de Wortingen;* viri scilicet insignes ad tractandum eiusmodi negotium, a quo tamen multa pendebant; et ne quid deesset faventibus Principi, lectus est secretarius huius transactionis *Ioannis de Nam*, Principi addictissimus, ut qui fuerat ei aliquot annis a Secretis; nec aliquis hoc impedire poterat, quia principatum obtinuerant Consiliarii illi secretiores: nec quisquam audiebatur quantumvis bene diceret.

VI. Interea componebatur Procuratorium, sollicitabatur consensus Consilii Status, et reliqua omnia, quae ad hanc profectionem necessaria erant, praeparabantur. Pridie igitur Lucae

Evangelistae, xvii Octobris, Gandavum profecti sunt Commissarii, non sine honorabili comitatu, pro dignitate tantae commissionis. Circa haec eadem tempora missus est *Comes de Lalaing*, tamquam Locumtenens primarii Capitanei, Gandavum cum milite, equite et pedite, ad expugnandum castrum Gandense, quod iam obsederant Flandri. Dominus autem d'Aussy, frater Comitis de Bossu, qui cum equitibus fratris obsidioni castri Gandensis intererat, profectus est ad Principem, et impetravit ab eo quindecim vexilla peditum, et aliquot tormenta maiora bellica, quae cum militibus Gandavum abduxit pro oppugnatione castri, sine ulla commissione Ordinum; promisitque Principi, quod ei daturus esset, pro pignore suorum militum et tormentorum, oppidulum quoddam Flandriae, quod habet portum maris, cui nomen est *Sluys*, non longe a civitate Brugensi.

Hic erat rerum status initio Novembris. Milite (sicut ex Commentario Episcopali narratum est) inducto Gandavum, Dominus *d'Aussy* venit Bruxellam; et ingressus Consilium Ordinum, incepit iactare sua fortia facta, et bene gesta in adducendo milite et tormentis; multisque verbis et variis modis conatus est inducere Ordines, quo posset liberare fidem suam apud Principem interpositam, ut illi traderetur Slusa. Verum nihil tunc impetrare potuit, adeo quod Princeps minitabatur, se iam revocaturum militem suum. Tandem tamen, nescio quo intercedente aut sollicitante, Flandri concesserunt Principi oppidulum aliud minoris aestimationis, quod vocatur *Novus Portus* (Nieupoort) situm quoque ad mare, non longe a civitate Brugensi. Eo utcumque pacatus Princeps, permisit milites suos in Flandria manere in expugnatione castri. Interea non defuerunt officio suo pacificatores missi Gandavum; sed diligenter curarunt, ut pax componeretur et acceleraretur iuxta mandatum iis datum.

VII. Rebus tamen eo adductis, hoc intervenit malum, quod certo rumore spargeretur, Dominum Austriacum, a Rege Gubernatorem Belgii constitutum, iam venisse in Franciam. Quare non prius voluerunt Commissarii Principis ad conclusionem procedere, quam Commissarii Ordinum per litteras cognoscerent sententiam et intentionem ipsorum Ordinum; nimirum an, si Austriacus veniret in Belgium gubernaturus, illum tamquam Gubernatorem reciperent; aut, si reciperent, quibus conditionibus id facerent. Statim ergo Commissarii expedierunt scriptas ad Ordines litteras, quibus Bruxellas allatis, mox sub gravi poena convocati sunt omnes, ut, lectis litteris, super contento earum deliberarent. Et variae tum fuerunt deliberationes. Nam etsi quidam eo dementiae videbantur venisse, ut putarent Austriacum non recipiendum, nemo tamen hoc publice defendere ausus est; sed in hoc maior pars convenit, quod recipiendus esset (cum nulla posset allegari causa iusta quare non admitteretur), sed quod deberet recipi sub certis conditionibus ei praescribendis.

Imprimis quod deberet approbare omnia et singula, quae per Ordines erant acta et agerentur donec in Gubernatorem reciperetur. Item quod ante receptionem deberet iurare, curaturum se ut Hispani et reliqui milites exteri pellerentur e patria. Item quod in acceptatione Gubernationis nomine Regis iuraret, posthac non adducere militem externum in patriam, sine expressa Ordinum Provincialium licentia. Item quod gubernaret patriam per homines Inferioris Germaniae, et quod nullum extraneum, non oriundum ex hac patria, posset constituere in aliquo officio aut in aliqua arce. Item quod nullos habere apud se Consiliarios posset quam ex patria oriundos. Item quod nullos posset habere famulos aut Hispanos aut Italos, quorum consilio posset aliquando uti. Item quod Ordines Provinciales possent se mutuo convocare ad aliquem

certum locum, ab illis eligendum, bis in anno, sine auctoritate, licentia et offensione Regis. Item quod illis liceret habere suos Oratores apud Pontificem, apud Imperatorem, apud Regem Franciae, Reginam Angliae, et alios Principes potentiores; ut statim Ordines scire possent, si quid contra eos quis moliretur; hac enim de re saepe ante actum erat, et hoc valde quidam urserunt, non solum secretiores illi Consiliarii, sed etiam quidam Praelati aliarum Provinciarum, de quibus tale quid nemo suspicari posset; sed hactenus per quosdam semper impeditum fuit, ne quid concluderetur. Postremo quod iuraret, quod pacem ineundam auctoritate Regia approbaret, et omnes et singulos articulos illius pacis ineundae ipse observaret, et ab omnibus observari mandaret.

VIII. Erant qui urgebant iungendam et hanc conditionem, nimirum quod iuraret, quod omnia loca munita et arces totius Belgii in oppidis muratis demolirentur; hoc enim consilii suggesserat Princeps Ordinibus per litteras, dum castrum Gandense obsideretur; quibus per multas rationes conabatur Ordinibus persuadere, imprimis et ante omnia demoliendas esse omnes arces in oppidis muratis exstructas, quae in nullum alium usum erant conditae, quam quo liberi cives turpi servitute premerentur; quod proinde persuadere sibi debebant, quod numquam possent excutere tyrannidem exterorum atque ipsius Regis, et potiri libertate quam expetebant, et pro qua tantopere iam laborabant, nisi dirutis et deiectis arcibus. Atque ex hoc fonte processit diligens illa et importuna sollicitatio Antverpiensium, ut illis liceret arcem in sua Civitate extructam diruere, statim ubi Austriacus suscepisset rerum gubernacula.

Ex praescriptis conditionibus facile quivis intelligere potest quod, etsi Ordines protestarentur se velle manere in obedientia Regi debita, eorum tamen non aliud fuit studium, quam

excutere iugum Regis, et eidem constringere manus, ne illis imperare posset alia quam ipsi vellent praestare; nec aliam ob causam voluerunt eiectos Hispanos et exteros. Hoc testantur voces illae, quae ab initio motuum auditae sunt: *Cur non possemus in ista patria pervenire ad eam libertatem, qua fruuntur Helvetii?* Cum autem protestantur se velle manere in obedientia Regi debita, debitam obedientiam intelligunt agnoscere Regem pro Domino suo, quod praestare etiam possunt habita libertate et abolito mero imperio, ne ipsis aliquid impèret, quod non placeat. In hac opinione animi multorum Deputatorum Ordinum Provincialium ita obfirmati fuerunt, ut ne ipsum quidem Regem, si advenisset, aliis conditionibus accepissent; neque aliud quavis benevolentia ab ipsis quis extorquere potuisset, etiam si ex parte Regis Angelus de coelo ad ipsos missus fuisset.

IX. Hae conceptae conditiones statim missae sunt Gandavum ad Commissarios; quae cum placerent etiam Commissariis Principis, statim contractus pacis utrimque conclusus est; adeo ut, ultima Octobris, Dominus *Doctor Leoninus* et *Dominus de Fresin* equis concitatis venerint Bruxellam; et ingressi Consilium Ordinum, retulerunt quae acta fuissent in ineundo tractatu, exhibentes eis articulos pacificationis conceptae. Hi autem cum lecti fuissent, quibusdam valde displicuerunt; et erant qui etiam dicerent Commissariis, quod nullus esset articulus qui faceret pro Fide Catholica aut pro Regia Maiestate. Ad quod Commissarii responderunt, quod aliter pax iniri non poterat, imo quod a biduo multa quae ibi continentur, obtinere non poterant, et quod fere re infecta discessum erat; quare statim acclamatum est a maiori parte, non sine magno affectu: *Perficiatur et confirmetur*. Isto die nulla resolutio sumpta est; sed ipso die Animarum, qui erat secundus Novembris, propositi sunt denuo Articuli, ab omnibus approbandi, uti antelecti fuerant.

Cumque essent qui parabant contradictionem, non sunt auditi; imo clamatum est per quemdam Nobilem, non sine minis, si quis esset qui impediret quominus articuli approbarentur, quod communitas Bruxellensis esset in foro magno numero exspectans (prout verum fuit) ut talem occiderent. Itaque collectae sunt per singulas Provincias voces, et ex pluralitate vocum in qualibet Provincia approbati. Quo aliquousque obtento (neque enim fuerunt liberae voces), statim magna diligentia sollicitarunt apud Consilium Status, ut et ibi approbarentur; quod factum est quinto Novembris. Quibus habitis, redierunt Commissarii Gandavum, et octavo Novembris hinc inde per Commissarios contractus est subsignatus, et postea per omnes Provincias publicatus.

X. Sub idem tempus nuntiatum est Ordinibus, illustrissimum Principem *D. Ioannem Austriacum* iam pervenisse in civitatem Lutzenburgum. Hoc nuntio fautores isti Principis perculsi, studuerunt apud omnes illum infamare, tamquam tyrannum et traditorem et hostem patriae, priusquam adhuc hominem aut vidissent aut audivissent; et si quis de eo bene loquebatur, is eo nomine habebatur hostis et traditor patriae; ut nemo credat quam indignae voces saepe auditae sint ab impiis et atheis istis hominibus. Nam si ulla in eis fuisset Dei cognitio aut timor, non potuissent ita hominem deferre, quem non viderant aut audiverant loquentem, et quem omnes qui ab eo redierant, mire ab humanitate praedicabant.

Scripserat sua Celsitudo litteras benignissimas, Lutzenburgi existens, ad ipsos Ordines, quibus vel adamantinum cor movere potuisset, et in amorem sui rapere; sed tantum abfuit ut isti his moverentur, ut etiam magis in sua opinione mala obduruerint; semper obiicientes quod sub pelle ovina lateret lupus. Imo cum quidam Nobilis, reversus Lutzenburgo a sua Celsitudine, praedicaret humanitatem, prudentiam et

eloquendi vim illustrissimi Domini Austriaci apud Ordines, aderat alius, qui non verebatur illi obiicere quod mentiretur; cum stomacho adiiciens verba admodum contumeliosa contra ipsum Principem Austriacum; adeo ut non solum fortiter litigatum, sed etiam pugnatum fuisset inter eos, nisi aliqui intercessissent.

ARGUMENTUM.

I-III. Hispani erumpentes ex arce Antverpiensi Civitatem rapinis, incendiis, caedibus per triduum affligunt, ut narrat Strada. Mss. nostra, post quaedam praegressa, cladem istam haud paulo distinctius explicant. IV-V. Iesuitae quid hoc in casu egerint. VI. His licet decretum fuerit nullas a direptoribus militibus eleemosynas accipere, calumniam tamen evitare non potuerunt. VII. Scribuntur circulares de re tota litterae et a Rege postulatur mandatum ut ablata restituantur.

I. Quid interim Antverpiae? Stradam audire placet : « Civibus » contra Hispanos, non solum defensionem tam sedulo (ut » dictum est), sed etiam oppugnationem castri parantibus, » non defuit sibi huius Praefectus Sancius d'Avila, Mokensi » in Frisia expeditione et victoria celeberrimus. Dux Lyra, » Breda aliisque ex oppidis propioribus evocat quotquot ibi » erant, Hispanos, Burgundos, aliosque pedites et equites. Hi, » ducibus Iuliano Romero, Antonio Olivera, ac Francisco » Valdesio, protinus advolant. Quin et eodem tempore, a » superiore Traiecto ad Mosam, Alphonsus Vargas cum equi- » tatu, cum tamen ad eos nuncius nullus adhuc pervenisset, » et eadem propemodum hora, quasi illam condixissent, qui » Alosti erant Hispani, non quidem novo cuiusquam invitatu, » quem reiecerant semper, sed, ut arbitror, subsidio ab Avila » paulo ante misso, provocati, suo cum Electo, praeter opinio- » nem affuerunt; exceptique omnes arce sunt, non sine certa » animi persuasione, a Deo evocatos illuc mature se, quo Regis

» causam, a Regio Senatu proditam, ulciscerentur ipsi. Ergo, » cibis ab Avila paratis, curant paulisper corpora, mox egres- » suri in praelium. Soli Alostani, quamvis iter octo horarum » ieiuni perfecissent, vix epoto vini cyatho, truces adhuc » implacatique, iurarunt, *se nusquam nisi Antverpiae coe-* » *naturos.* »

II. « Dato igitur ab Avila egrediendi signo, erumpentes » ab arce omnes (erant circiter quinque millia, praeter equites » omnino sexcentos), calonibus a tergo lixisque stramina ac » faces spargendo, ubi opus esset incendio, ferentibus, tanto » impetu vallum aggrediuntur, arce interim in defensores » eius fulminante, ut, fossa atque aggere, quem armatorum » sex fere millia propugnabant, incredibili praesertim Alosten- » sium audacia superatis, tripartiti in urbis interiora penetra- » rint. Ibi consternatis subita irruptione civibus, nec satis » concordibus inter se praesidiariis, dum singuli seorsim » consulunt sibi, neglecta publicae rei cura, privatam simul » omnes amisere. Et quamquam his, qui Michaelitica via irru- » perant, obtulit se intrepide sua cum legione Egmontius, » collectitium tamen ac tironem militem, ductor ipse non » vetus, aegre continuit contra veteranas Hispanorum cohor- » tes, a quibus in S. Michaelis coenobium magna suorum cum » clade repulsus, captusque a Iuliano Romero, atque inde » protinus abductus in arcem, animosius nempe quam fortu- » natius posuit prima militiae rudimenta. » Leo Belgicus, pag. 185 v°, satis ad vivum exprimit ordinem quo Hispani castro egressi, divisa bifariam acie, in Civitatem irruperunt; simulque et arcis ipsius et urbis conspectum in plano videndam exhibet; et qui, pag. 187 v°, repraesentat equitatum facibus ad inferendum incendium instructum, erumpentem per portam castri, quadratae molis; et pag. 189, exhibet trepidam civium, ex moenibus Michaeliticis in Scaldim praecipitum,

fugam, sed absque ulla verosimili specie earum quae tunc istinc steterint aedium; ita ut ideam, mere imaginariam, pictor expressisse videatur.

III. « Repulso et caeso Egmontio, inquit Strada, renovatum » ad Curiam certamen est. Ibi dubio aliquamdiu marte His- » pani pugnavere; nam oppidani, ut ad defendendos patrios » lares acrius suae quemque res, quam peregrinum emptum- » que stipendio militem vilis nempe merces, exstimulat; » oppidani, inquam, cum Magistratuum aedes insedissent » armati, infesta explosione e tuto Hispanos impetebant; » simulque inde manipulatim erumpentes, prompto regressu » pugnabant; Hispanis aliquot, interque eos Damiano Morali, » Centurione non instrenuo, trucidatis; donec ab Alfonso » Varga, qui Georgiana via, stratis ubique propugnatoribus, » cum aliquot equitum turmis advenerat, immisso in hostium » turbam ad forum undique accurrentem equitatu, partim caesi » obtritique, partim in Curiam ac vicinas domos repulsi sunt. » Quibus e locis dum adhuc infesti cursum victoriae retar- » dant, binis repente lixis, non alia re quam exiguo stramine, » in Curiam iniecto igne, quamvis solido ex marmore con- » structam, celebre illud, si quod aliud per Europam aedifi- » cium, atque octoginta circiter domus, pleraeque mercimoniis » opulentae, conflagrarunt; praeda inter victores ignemque » divisa.

» Tum vero, captis iam praecipuis Ducum, ac militum » fortissimis in praelio caesis, dum reliqui aut commissas » sibi stationes turpi fuga deserunt, aut turpius ad victores » praedatoresque se aggregant : Hispani deserta defensoribus » Antverpia potiti sunt; in qua quidquid ira atque avaritia » in summa armorum licentia persuadent, id inimica ac » praedivite in urbe per caedes ac rapinas agitarunt.... De » caede mortuorumque numero infinite variant, qui spectarunt

» quod ad Hispanos attinet, quorum aliqui minimum ducentos » affirmant, ipsi solum quatuordecim; at ex Ordinum militibus civibusque, excessisse omnino sex millia, mire consentiunt Belgae Hispanique. Ex hoc autem numero, ferro » peremptos tradunt tria circiter millia, incendio aut ruina » combustos aut obtritos mille quingentos; totidem in aquis » urbem alluentibus et Scaldi amne submersos.... Comes » *Otho Oberstenius*, Germanorum Tribunus, urbanaeque militiae Praefectus, dum saltu cymbam petit, fallente vestigio » aquis absorptus periit. » Hactenus Strada.

IV. Leoni Belgico, saepius iam citato citandoque, inseritur ad pag. 185 insignis tabula, egregie repraesentans formam castri, et Hispanorum Civitatem aggredientium dispositio ipsaque tota, ut tunc erat, ibi exhibetur Civitas, a Meridie in Aquilonem protensa; subtus autem, ne spatium vacet, vici flamma consumpti hoc ordine notantur : DE SUYKER- BOTER- SOUTRUYE, DE KEES- SILVERSMIDTS- BREYERYE-STRAET, DEN SILVERPANT, EEN DEEL DER HOOG- EN DOORNICKSTRAET; DE VLASMERT, BEYDE DE OUDE BORSSTRAETEN, S. JORIS POORT, DE YSEREN BRUGGE, AL DE NIEUWE HUYSEN DAER 'T OUD STATHUYS GESTAEN HEEFT, HET HEERLYK NIEUW STADTSHUYS HEEL EN GANS VERBRANT. » Tum subiciuntur nomina praecipuorum civium hoc furore peremptorum, videlicet : *Ioannes vander Meeren, Consul, Goswinus Varick, Marcgravius, graviter saucius; eius famulus iugulatus; Scabini, Nicolaus van Bouchhout †, Franciscus vande Willige, Ioannes vande Werve †, Lancelottus van Ursel, Ioannes de S. Ioanne, Franciscus des Pommeraulx †, Dominicus Wag* etc. » Sed ex his soli tres actu Scabini erant, hic † notati, ceteri patricii fuerint aut alio civili munere functi. *Urselium* vero intelligo, non eum qui decies octies summo apud nos Magistratu est functus (nam hic obierat anno M.D.LXXIII), sed eius verosimiliter filium, in similem spem, si vita mansisset, natum. De Marcgravio scribit

Caukerkius, in ea quam insederat sella latus pugione transfossum domi suae, quam habebat ad Viam-longam-novam, cui a Cruce tunc Aurea, sequenti deinde seculo caerulea, *crux* nomen erat; nunc vero eam incolunt posteri Engelberti Borrekens, affinis mei. Idem Caukerkius addit, corpus Marcgravii ad S. Georgii tumulatum fuisse, ubi credo familiae monumentum commune fuisse, donec Gheusii, constantem eius pro Catholicae Religionis observantia zelum execrati, ossa transtulerunt ad ultimum novae Civitatis propugnaculum, ab erecto ibi tormentario suggestu CATTENBERG dictum; quae si postea recuperari potuissent, posteri eius haud dubie transtulissent ad novum suum apud Praedicatores sub maiori altari sepulcrum.

V. Civitate (ut dictum est) sic occupata et multis locis ardente, quomodo servata sint Civitatis tabularia, ita narrat Valkenisse : « Petrus Fabri, clericus Curialis (STOELKLERK), adiutus a baiulis » militibusque Hispanis ad hoc conductis, e Secretaria abstulit » protocolla, registra, et alios maioris momenti codices, nec » non sigilla Scabinalia; exstinxit etiam ignem, qui Privilegiorum Cameram invadebat; ita ut haec quoque servata fuerint, » adiuvantibus eum quodam Ioanne de Wit et Iacobo Kempe, » eiusdem ordinis Clericis, quibus singulis dati sunt propterea » floreni trecenti, ut est in Ms. fol. 3. »

Porro XIII Novembris prodiit edictum, « ne quis a militibus » quidquam male acquisitorum, praesertim ablatorum ex Curia, » emeret; et ut scripta, si qua in manus venerint, referrentur » ad Graphiarium Dyck, vel Secretarium Neese. Prima autem » Decembris, nationes exterae, Genuensis, Florentina, Lucensis, Lombardica, et Hispanica supplicarunt Magistratui, » publicari edictum, ut si quis ipsorum aliquid ex rapina » haberet adhuc, restituere obligaretur. » Ita ex libro mandatorum D. fol. 13, 27 et 31, Pensionarius Nys.

VI. Rotuli octennalis compilator hoc anno scribere desinens,

haud paulo distinctius rem totam enarrat, et, post exposita seditionis Hispanicae initia apud Herenthaldum et Alostum, praemittit quaedam mensium Septembris et Octobris Acta ad praecedentes paragraphos pertinentia ipsamque urbis expilationem, digna hic suppleri : « Die vi Septembris occupaverunt Hispani » cataractam Willebroukanam, et, eadem munita, occiderunt » viros quinque, ex navi Bruxellensi illac transire volentes; alii » vero, ex arce Antverpiensi missi, Caput Flandriae e regione » Civitatis ceperunt, murisque ac fossis celeriter munitum plu» ribus aeneis tormentis instruxerunt, coactis incolis illius loci » et civibus nostris, quos extra portam reperire potuerant, » fossioni allaborare; eodemque die S. Bernardi Abbatiam » expilaverunt.

» Die xix Septembris (inquit idem auctor, cetera ex ordine » prosequens), missus est ex castro catenatus globus usque in » Beginagium ad forum boarium; et alius, in Civitatem no» vam pervolans, domum quamdam iuxta Caeruleos Fratres » perforavit; sub vesperam autem tertius de trans Scaldim » iactus, impegit Curiam, Senatumque permovit ut ediceret ne » quis ante nonam matutinam sequentis diei domo egrederetur; » quando etiam tres globi in Civitatem directi sunt, librarum » xl et xlv. Die xx, mandatum est cauponibus omnibus, ne » quem militem apud se pernoctare permitterent, qui non » esset sub signis Comitis Oberstenii; idque sub mulcta duode» cim Rhenensium pro singulis et arbitrariae correctionis. » Constabat enim quod in nova Civitate versarentur plures » Hispani et Angli, sub habitu Germanico, qui a Germanis ibi » vigilantibus petierant noctis illius tesseram, prudenter nega» tam. Die xxiv, Hispani ex arce Antverpiensi circiter trecenti » egressi ad Kilam inferiorem, conscensa, quam ibi habebant, » grandiori nave, traiecerunt in novam Capitis Flandriae » munitionem, coepta ibidem opera perfecturi. »

VII. « Die xxv, erupit Antverpiae conspiratio quorumdam
» Anglorum, Scotorum et Hispanorum in novam Civitatem,
» quorum praecipui ad quatuordecim a Comite Egmontio fue-
» runt capti. Sequenti die, magnus tumultus fuit ante domum
» Aquensem, quam tunc Iesuitae incolebant, falso (ut compertum est) accusati multa apud se arma occultare. Eodemque
» die, Comes Oberstenius cum Senatoribus mandavit, ut bom-
» bardarii Civitatis una cum Germanis excubias agerent; quod
» multos vehementer consternavit, eo quod diceretur ea nocte
» magna strages et caedes imminere. Die xxix, in carcerem ducti
» sunt alii novem Angli, et post meridiem tria vexilla Hispano-
» rum egressa sunt Burgerhoutum atque ad S. Willebrordum,
» indeque in Contik, multam incolis molestiam inferentes,
» spoliando et pecuniam exprimendo; quibus paria ab iisdem
» revertentibus pati metuentes Berchemenses, domos suas
» vacuas dimittere eorum libidini maluerunt. Ultima Septem-
» bris, edictum est, ne qui cives vel pueri eo accederent, ubi
» Hispani aliquid edicebant; hi autem eodem die Willebrou-
» kam, ad canalem Bruxellensem, interceperunt ac munive-
» runt, et similiter Lyram, ductore Iuliano, Capitaneo suo,
» coactis vicorum proximorum rusticis ad novas fossas et
» propugnacula ducenda, quo tutiores istic essent. Com-
» pulerunt etiam colonos omne frumentum, triticum, avenam
» et hordeum illuc comportare; unde horum mox caritas
» magna fuit, ita ut proximo fori die secale Rhenensibus
» tribus, triticum sex, avena xlii stuferis veniret. »

VIII. « Die iv Octobris, sub poena capitis Magistratus edixit,
» ne quis aliquam iniuriam militi cuicumque faceret. Die
» vii, *Sancius d'Avila*, Castellanus arcis, cum *Rhoda* pluribus-
» que aliis Proceribus Hispanis, in maiori sua celoce navigavit,
» ad Caput Flandriae, quod novam Goulettam appellandum
» instituit, nomine sumpto a Tunetanae civitatis praecipuo

» munimento, ibidemque ordinavit Praefectum dicendum
» *Flandriae Capitaneum*; magnumque istic festum Hispani
» agebant, cum tibiis tympanisque et epulis quotidianis, nec
» sine crebra tormentorum maiorum explosione. Die XVII, in
» urbem ex arce explosum magno cum damno cuiusdam
» domus in viculo Tornacensi, et de trans Scaldim in turrim
» S. Walburgis; cuius pyramidem perforans globus in semitam
» Salsitiarum (HET SAUCIESSTRAETJEN), prope Praedicatores, per-
» volavit. Die XXVI, hora quarta post meridiem, Germani
» milites magnum excitaverunt tumultum, clamantes: *Pecunia,*
» *Pecunia: volumus solutionem habere.* Maiorem autem stre-
» pitum fecerunt iidem noctu per plateas, iaciendo lapides
» in domos et vitreas civium; idcirco clausae sunt portae
» Civitatis, nec ante XXIX et horam octavam matutinam apertae;
» illis interea forum insidentibus, invito Comite Oberstenio.
» Die XXIX, Lyranum oppidum, expulsis Hispanis, occupatum
» fuit a copiis Statuum. »

IX. « Die II Novembris comparuerunt ante Civitatem Burger-
» houti, ex militibus Statuum, viginti quatuor vexilla peditum,
» simul VII millia, et equites quingenti, rati se mox intro-
» mittendos; sed portas clausas invenerunt; quas aperiri peti-
» erunt eorum ductores, in quibus Comes *Egmontius* et
» Dominus *Havreus*, asserentes se venire ut amicos Civitatis et
» inimicos Hispanorum. Hoc cum relatum Magistratui esset
» ab excubantibus ad Kipdorpiam portam Comitis *Oberstenii*
» Capitaneis, exiverunt per lateralem portulam Dominus *de*
» *Champaigny*, cum uno Consulum Officialibusque ad ingres-
» sum petendum missis; responsum est habendam illis
» patientiam usque ad crastinum mane, eo quod iam vespera
» immineret, timoremque faceret alicuius tumultus.

» Die III, permissi sunt Civitatem intrare iam dicta VII millia
» peditum et equites quingenti, omnes fere Walones maleque

» ab armis et plumbo ac pulvere instructi, moxque in melio-
» ribus quibusque domibus hospitium sibi quique sumpserunt,
» et bene tractati a civibus, totam diem noctemque tam
» secure quieverunt dormiveruntque (triduo enim in armis
» manserant), ac si in castro sive trans Scaldim nulli essent
» Hispani : experrecti autem quaerebant horum domus, eas
» spoliaturi, dum ingentes ab Hispanis utrimque globi mitte-
» rentur, tota illa nocte et Dominica mane, non sine magno
» aedium plurium damno. Interim ipso vespere Sabbati iussi
» sunt viri et feminae, maiores et minores, sumptis ligonibus,
» moliri vallum contra arcem, favente ad hoc nebula totam
» noctem diemque valde densa. Itaque certatim accurrentes
» cives, cum ligonibus, sarculis et corbibus ad opus facien-
» dum, a domo Gladiatorum, id est veteri porta Georgiana,
» usque ad Croneburgicam, coeperunt erigere vallum lanae
» et lupuli saccos et cerevisiaria vasa implentes terra; in-
» terim dum ex castro horribilius intonarent tormenta, ac
» nonnullos occiderent, praesertim circa dictam domum hor-
» tosque vicinos. Ob hoc cum remissius instaretur operi,
» apparuit sequenti die nullius momenti esse quod factum
» fuerat. Mandatum quoque fuit, ut unusquisque adferret
» plumbum, globos, fomites pro militibus permale (ut dictum
» est) instructis, idque comportaret ad S. Michaelis. Itaque
» ex nova Civitate advectum est quidquid potuit tormento-
» rum navalium, vel aliunde, in domo Gladiatoria valloque
» qualiquali locandum. »

X. « Die IV, misit *d'Avila* in Civitatem exploratores, cognituros
» numquid munimenti praeparassent cives contra aggressiones,
» suffodiendis viarum stratis, catenas tendendo, currus car-
» rosque concatenatos disponendo; nihilque tale provisum
» intelligens, militibus suis irrumpendi signum dedit, Civita-
» tem tradens ferro flammaque perdendam diripiendamque per

» dies tres. Itaque illi, sub horam primam post meridiem, » numero bis mille pedites equitesque, qui Alosto advene» rant promissa solutione Antverpiae praestanda, in planitie » castri velitationem aggressi cum Walonibus et Germanis » sunt; victoriaque de iis potiti ad portam Croneburgicam » irruperunt, perrupto pluribus locis vallo atque armata manu » ingressi plateas. Hoc audito ad Curiam accurrunt cives, ex » Senatu ibi congregato quaerentes quid facto opus esset. » Hic, pulsata maiori campana, exciri omnes ad arma iussit. » Verum priusquam aliquis parare se posset (erat enim tempus » prandii), coeperunt Hispani passim mactare quoscumque » obvios. Germani vero adeo nihil in communem defensionem » agebant, ut omnes pariter conclamantes, pecuniam et » solutionem poscerent; abiectisque armis potius quam iis » uterentur, patiebantur se ignaviter occidi; quidam etiam, » capite ad parietem applicato, ictum ferientium immoti prae» stolabantur; alii versus Forum fugiebant, ad contubernales » suos, eius custodiae commissos, qui similiter ibidem so» lutionem postulantes vociferabantur; quod Oberstenius » audiens accurrit, pecuniamque pollicebatur; sed frustra : » quapropter iis dimissis, aufugit. »

XI. « Tunc Civitate potiti Hispani, per omnes vicos et » plateas coeperunt horribili cum clamore discurrere, instar » canum rabidorum, caedereque et mactare quidquid obviam » fiebat, praesertim in armis; eorum autem lixae et famuli, » stramentis et pulvere instructi, pulverem hunc quidem » hinc inde spargebant per domos, stramenta vero inflammata » circumferebant. Itaque prope S. Michaelis, per Ripam et ad » eum quem vocant Hilarem angulum, DEN BLYDEN HOEK, » multas insignes domos incenderunt. Ubi ad Forum ventum » est, collecti cum Guldistis sclopetarii cives, impetu in » hostes facto, bis terve eos repulerunt, haud ita facile locum

» obtenturos, si Germani cum eis stare voluissent. Sed pro-
» ditores isti, Hispanos amice compellantes, eis se nitebantur
» adiungere; verum ab his contumeliose explosi, citra discri-
» men interficiebantur quotquot nequibant aufugere; atque
» ita, ex tota illa vexillorum viginti quatuor turma, pauci
» superfuerunt qui mortem evaderent. Hispanorum porro, quos
» dixi, lixae, sparso inter eos rumore quod ad Croneburgicam
» portam plus quam octingenti Hispani cecidissent, et videntes
» tam acrem in Foro civium resistentiam, incendium propa-
» garunt ad Forum Linarium atque per viam Altam fossam-
» que Saccariam, plateamque Argentariorum et Assatoriam
» (DE BRAYERY-STRAET), circum novam Curiam omnia inflam-
» mantes. Sic incensa est in Foro Domus seu Camera Vietorum
» ab aureae Manicae insigni nuncupata DE GULDE-MOUWE; unde
» ad Cameram veteris Balistae domumque Oenopolarum, a
» talpis autem nuncupatam DE MOLLEKENS; inde mox in
» Curiam ignis transfusus est, atque in omnes post illam
» domus; censenturque plures quingentis exustae intra duo-
» decim aut quatuordecim horas.

» Ergo iam toto Foro libere vagantes victores, irrumpen-
» tesque in Curiam, quos ibi invenerunt de Magistratu aliquos
» captivarunt, » puta *Ioannem vander Meeren*, Consulem Internum, *Ioannem de Pape* et *Nicolaum de Voocht*, magno lytro soluto aegre redemptos; sed Consulem ipsum ducentes ad castrum, cum inter se iurgarentur de pretio, quod pollicebatur, cuius esset, unus illorum ipsum in area ante castrum confodit. Similiter ad maius coemeterium transfossus est Civitatis Graphiarius *Wagemaker*, ante ostium Domini Silvestri Pardo, Canonici, quia nolebat se redimere tanto quantum exigebatur pretio. Idem pluribus aliis honestioribus civibus contigit, quos summo cum contemptu appellabant *Villanos*, *Proditores*, *Lutheranos*. Denique per mercatorum

domos diffusi, coeperunt mensas eorum excutere et spoliare; monasteria quoque omnia, excepto conventu Minoritarum, et Iesuitarum Collegio. In Abbatia S. Michaelis omnes « Reli-
» giosorum cellas scrutati, nihil iis integrum reliquerunt,
» ipsosque in arcem captivos duxerunt, ubi usque ad disces-
» sum Hispanorum manserunt. Hos qui sequebantur desertores
» Germani, sub vexillo cuiusdam Capitanei sui Cornelii,
» ipsis Hispanis crudeliores, in signum victoriae pileis suis
» affixos portabant roris marini ramusculos, unde contigit
» eorum quoque plures, explosis per domorum fenestras glan-
» dibus, undique traiici. »

XII. « Non pauci civium generose tuebantur sese, atque
» imprimis *Gerardus des Pommeraulx*; qui ex equo pugnans,
» Capitaneumque Iulianum arripiens, ipsum transfodisset,
» nisi milites sui de manibus eius eripuissent, Gerardum-
» que occidissent. Similiter in ponte Merano confossus est
» fortiter dimicans *Dominus Ioannes vande Werve*, Sca-
» binus. Ceteri autem ibi cum Germanis multis peditibus
» collecti, fugerunt in novam Civitatem, unaque *Comes Ober-*
» *stenius* Dominique *Havreus* et *Champaigny*, Civitatis Guber-
» nator, Marcgraviusque *van Immerseel*, et varii opulentiores
» cives; quorum multis contigit evadere per portam Lutosam
» aliasve ad Scaldim, et naves aut cymbas attingere; quidam
» etiam saltu per omnia, natatuque salvati sunt, sed submersi
» plures. Qui Lilloam vel Ostrewelam se receperunt, per varia
» Zelandiae oppida dispersi sunt, et ab Auriaco humanissime
» excepti; alii effugium terra quaerentes, tota nocte illa, per
» fossas et paludes, Ekeram et Bergizomium tetenderunt. In
» Civitate qui permanserunt viri, alii quidem, dimissis uxoribus
» liberisque, intra tecta et parietes domorum se abdiderunt;
» alii in Religionum conventibus, vel latibula quaesierunt,
» vel sub eorum cappis fallere perquirentes non frustra

» speraverunt; ceteri inauditis et horrendis modis torque-
» bantur, ut vel magno lytro vitam redimerent, vel thesauros
» absconditos indicarent, suspensi ex virilibus, sicut etiam
» matronarum aliquae suspensae ex mamillis sunt. Misera-
» bilis autem erat virginum puellarumque conditio, omnium
» ludibrio petulantiaeque expositarum; multae autem vel
» minis inductae, vel muneribus allectae, vel gratis dimitti
» sperantes, stuprum admittebant. »

XIII. « Dici non potest quanta fuerit per triduum praeda
» collecta ab iis, qui nec porcorum haram, nec stabulum
» equorum, aut gallinarum chortem ullam indiscussam prae-
» teribant; et fuerunt qui crederent maiorem illam fuisse
» quam integrae unius in Hispania civitatis, etiam ex amplio-
» ribus, pretium. Caesorum vero, ustulatorum, submersorum,
» aut incurabiliter laesorum numerus (nam glandes, gladios,
» lanceas suas veneno Hispani tinxerant) ad septem millia
» putantur ascendere. Denique concipi non potest, nedum
» verbis explicari, quanta ea calamitas fuerit, divinitus super
» hanc Civitatem immissa, propter multiplicia inhabitantium
» peccata, sicut olim supra Ierusalem in exemplum aliarum.
» Nam Nova quoque Civitate potiti, ipso die IV Novembris,
» ad omnes portarum et viarum exitus disposuerunt custodes,
» qui fugam et accessum ad naves inhiberent; idem et in
» Foro maiori fecerunt: unde postea in caveis incensarum
» domuum, plurimi viri, mulieres, pueri puellaeque et infantes
» reperti sunt suffocati vel adusti. Etenim communicante se ab
» incensis aedibus in locis pluribus quam ducentis ad alias
» contiguas flamma, vici integri fuerunt funditus exusti;
» et, si ventus Borealis, qui tunc lenius spirabat, fuisset
» vehementior, poterat plus quam dimidia civitas deflagrasse,
» una cum ecclesia Deiparae Virginis, quae quasi miraculo
» mansit illaesa. Nemo interim exstinguendae flammae causa

» audebat in publicum prodire, donec, v Novembris, die
» Lunae, signum campana maiori dederunt Hispani, polli-
» centes immunitatem omnibus eo allaboraturis. »

XIV. « Die vi, subsidere rabies grassantium coepit, et
» cives liberius commeare per plateas, mortuosque sepelire
» potuerunt. Cum autem ustulati plerique aut vulneribus
» deformati nequirent dignosci, grandes in coemeterio Mariano
» factae sunt fossae ad inhumanda cadavera, nisi quos amici
» curaverunt honestius tumulari in aede Cathedrali, ubi pro-
» xima Dominica celebrata est more solemni Missa factaeque
» exequiales caeremoniae simul pro omnibus. Die vii, lustrum
» instituerunt Hispani, ut caesorum e suis numerum cogno-
» scerent, supplerentque ex lixis calonibusque, cum quibus
» rite armatis procederent Bruxellas, neminem istic, uti
» iactabant, ne infantem quidem dimissuri vivum, vel in
» ipso matris utero; unde magna istic trepidatio fuit, et
» fuga multorum; sed pepercit eis Deus; nam Capitaneus
» castri, *Sancius d'Avila*, et *Rhoda* Capitaneusque *Iulianus*
» et alii, litteras acceperunt, advenisse Lutzemburgum ex
» Italia *Ioannem Austriacum*, omnia pacificaturum; et die
» viii, Bruxellis est publicata pax cum Auriaco, provinciis-
» que Hollandiae et Zelandiae. Die autem ix, edixit *Rhoda*,
» tamquam supremus Hispanorum Capitaneus, sub poena
» capitis et bonorum, ne quis amplius male haberetur vel
» cogeretur lytrum pacisci; sed equites Itali, Siculi, Neapo-
» litanique et Mediolanenses, pedites quoque Hispani qui
» Alosto advenerant, et qui se illis adiunxerant Germani,
» parum eiusmodi edictum curarunt. Denique, die x, in
» Sabbato sub meridiem, inter duos pontes Civitatis repertum
» est cadaver Comitis *Oberstenii*, aquis suffocati; perlatumque
» ad D. Virginis in chorum Venerabilis, aliquamdiu iacuit
» omnibus spectandum. »

Atque hic mihi finitur octennis Rotulus, merito a summa accuratione laudatus, et in hos Annales translatus verbotenus, quatenus quidem nostram Civitatem attinet, omissis quae hinc inde miscet alia, Belgicam historiam concernentia quidem, sed non ita certa fide cognita atque ista.

XV. Haec licet sufficere hoc anno possint, iuvat tamen domestici nostri scriptoris narrationem attexere, ea quae ad aedificationem spiritualem spectant, minutius explicantem.

Hic, relatis quae ex eo diximus acta die II ac III Novembris, et collaudata Dei providentia, per quam factum erat ut, cum ceterae Religiosae familiae et fossores et commeatum fodientibus suppeditare cogerentur, ab eo opere liberi fuerimus; istis, inquam, relatis, sic progreditur :

« Postridie, qui dies Dominicus erat, nos pro nostra consue-
» tudine Sacramenta ministravimus multis, qui sibi impendere
» exitium a castro timebant; cumque iam post prandium
» signo campanae populum ad concionem vocassemus; ecce
» repente fit clamor ingens; campana, ad eam rem designata,
» vocat ad arma. Nos perculsi subita turbatione, Fratrem
» iubemus conscendere in turrim templi nostri, ut inde
» tumultus causam agnitam nobis significet. Nuntiat ille,
» Hispanos e castro erumpere, altera manu straminis fascem,
» altera gestantes arma. Nos continuo concionem dimittimus,
» templi ac Collegii portas claudimus, sanctum Christi corpus
» in aram deponimus, ibique horam unam orantes agimus.
» Audiebatur interea flebilis eiulatus, planctus miserabilis
» personat undique; accurrunt passim lamentantes ad aedes
» nostras, effringunt pene portas omnes, clamant : Miserimini
» nostri : vitae nostrae succurrite, uxorum ac liberorum
» nostrorum salutem eripite praesenti periculo. Nos vicem
» populi miserati, opem ferimus : alios per portam Collegii
» introducimus, alios per tecta excipimus, alios per posticum,

» quod fossa a Felibus dicta praeterfluit admittimus; sola-
» mur omnes pro virili parte, cibo potuque ac igne lassa ac
» tremula membra recreamus. Tanta autem erat multitudo,
» ut domus, quamvis ampla, non caperet omnes, itaque sub
» dio fiebat ignis multis in locis. »

XVI. « Miles Hispanus, iam devicta Civitate ac magna caede
» edita, aedificiis privatis plurimis ac publica domo inflam-
» matis, ad spolia se parat. Quisque eo accurrit ubi plus facul-
» tatum reperire se posse credebat. Armatur vultus ferocia,
» manus gladio, extorquent aurum et argentum; interficiunt
» plurimos, qui quantum exigebatur numerare non poterant;
» irruebant in monasteria, Collegium nostrum invadebant;
» nullos abire sinebant, nisi qui certa pecuniae summa vitam
» redimerent.

» Convenit ergo cum illis quidam ex nostris Fratribus,
» Superiorene nescio, ut certam summam designent, qua quis
» que pro suis opibus numerata liber dimitteretur. Contractum
» illum idem Frater scripsit, ac sua fide pro omnibus qui domi
» nostrae erant interposita, abierunt incolumes. Iam vero peri-
» culo erepti solutionem negligunt; ideoque milites, videntes
» se illusos, grandi ira succensi, vicinos quos apud nos deli-
» tuisse certo sciebant, mire exagitant; adeo ut necesse fuerit
» ipsos cum militibus certa pecuniae pactione vexationem redi-
» mere; quae ut non omnino iniqua esset, effectum est opera
» nostrorum Patrum, Lyra reversorum tertio post cladem die. »

XVII. « Haec fere tunc temporis apud nos gesta. Per reli-
» quas urbis partes personabat tantus eiulatus, ut imago quae-
» dam futuri iudicii cerneretur. Aer ipse flammae similitudinem
» gerebat; tantumque erat incendium, ut lux ignis per multa
» milliaria circumquaque diffunderetur. Res eo spectabat ut
» totam urbem flamma consumptura videretur. Quam ob rem
» castri Praefectus tuba convocari omnes iubet ad incendium

» exstinguendum. Misimus Fratres nostros duos, qui suam » operam navarent cum ceteris. Sed cum ad locum pervenissent, neminem qui opem ferrent reperientes, domum » sunt reversi. Nam qui cives erant in plateis a militibus » inventi, iugulabantur, qui domi remanserunt, torquebantur » ut quidquid haberent facultatum victoribus darent; neque » eos ulla incendii cura tangebat, solum sollicitos qui mortem » evaderent. »

Leo de Meyer, in Prosopopoeia Gallo-metrica ad Archiducem Ernestum, cladem hanc prolixe describens, censet decem millia hominum ferro caesa, praeter alia quatuor, qui, ferrum fugientes, aqua mersi sunt.

« Postridie prima luce ad nos accurrunt amici qui supererant cladi; quaerunt utrum sui liberi et coniuges apud nos » sint, rogant ut se comitemur ad aedes suas, milites ferocientes atque auro inexplebiles placemus; iuvemus se in » acquirendo mutuo; non enim esse sibi in promptu tantum » pecuniae, quantum postulabantur. Nos precibus et lacrymis » moti, operam iis dedimus, tum milites deprecando, tum » mercatores opulentos rogando, ut mutuata pecunia egentibus succurrerent; quod utrumque cumulatius praestitum est » a Patribus Frigoso et Ferdinandez cum Lyra redivissent, » quia eorum erat auctoritas et apud milites et apud mercatores maior. »

XVIII. « Hac ratione succurrimus civibus, quantum potuimus : neque deerat hoc tempore ubi operam nostram locaremus, cum plurimi essent aegroti milites in nosocomiis, multi » etiam ob scelera in custodiis tenerentur.

» Inter hos cum iam duo essent afficiendi supplicio, alter » eorum a nostris eo adductus est, ut quae in direptione urbis » inique rapuisset, restitueret; alter, non volens audire de » restitutione, facto testamento coram Notario et testibus,

» trecentos aureos Collegio nostro reliquit. Quod ut ad Patris
» aures est allatum, accurrit is ad Notarium, codicillum postu-
» lat, atque, inspectante testatore, eam partem codicilli, arrepto
» calamo scriptorio, expungit, dicens non egere nos eius
» legato ex praeda relicto; si animae saluti consultum vellet,
» dominis omnia redderet. Hoc cum sinistre relatum esset
» Superiori cuidam Religioso, in multis nobis alias adversato,
» quasi Pater lituram induxisset in eam testamenti partem,
» quae legatum suo conventui factum continebat, conquestus
» est graviter apud Dominum Canonicum Pardo de iniuria a
» Patre Societatis illata: nos eorum eleemosynas intervertere,
» quod re ipsa iam ostendere posset, cum Pater eorum legatum
» delevisset ex testamento pii cuiusdam militis. Ipse ergo, cum
» alio sui conventus primario, Canonicum deducunt ad carce-
» rem, rei veritatem ex ipso codicillo cogniturum. Verum
» aliter re inventa atque narrata erat, insigni rubore suffusi
» sunt, monitique a Domino Canonico, ut Patris exemplum
» in repudiando iniquo legato imitarentur. »

XIX. « Porro, Dei sapientia ita suggerente, ab initio apud
» nos erat decretum militum eleemosynas non esse facile
» admittendas, ne malevolis calumniandi daretur occasio; unde
» saepenumero militum oblata repudiabantur, etiam cum ipso-
» rum offensione. Toto autem hiemis tempore, multum negotii
» facessebant altercationes civium cum Hispano milite, qui
» admodum insolens erat, ac graviter cives premebat; quos
» ut inter se conciliarent, multum laborabant nostri; de
» quibus nihilominus eodem tempore sinistri rumores varii
» per totum Belgium dissipabantur. Passim aiebant, Ant-
» verpiensis Collegii Patres, equis insidentes strictosque
» gladios manu tenentes, cum militibus Hispanis ad occu-
» pandam Civitatem ingressos, ac caedes civium patrasse;
» deinde aliquot millia, qui apud nos fuissent in insidiis, ex

» penuariis nostris erupisse in subsidium Hispanorum, quando
» oppidum capiebant; nostra opera civium aedes inflammatas
» esse; nobis id studio fuisse, ut tota urbs conflagraret;
» denique nos spoliorum omnium ac praedarum fuisse parti-
» cipes. Haec autem fama passim erat tam constans, ut
» aliorum Collegiorum Rectores suaderent, requirendam publi-
» cam auctoritatem Senatus, qua testaretur falsos esse huius-
» modi rumores, ut haberent illi quod opponerent; nam id
» Antverpiae opus non erat, ubi noverant omnes, nos domi
» fuisse cum Civitas caperetur, multorumque salutem a mili-
» tum furore defendisse. Magistratus vero Antverpiensis nobis
» in hac re non defuit; nam publicis litteris, Civitatis sigillo
» munitis, nostram testatus est innocentiam; quarum litte-
» rarum exempla, Notarii chirographo notata, celeriter ad
» Collegia omnia misimus; quibus licet facile, apud omnes
» viros graves et amicos veritatis, innocentiam et integritatem
» nostram persuaderent nostri, numquam tamen consecuti
» sunt, ut calumniae invidorum cessarent; nam etiam quo
» tempore eiiciebantur Antverpia, eadem nobis palam obii-
» ciebantur. »

XX. Interim huc omnino videntur spectare circulares illae litterae ante dimidium Novembrem (nam dies nullus additur) pluribus linguis scriptae; Belgica autem et Gallica inveniendae in Collectione Gevartiana; quibus communi nomine Civitas, non solum Hispaniarum Regi, sed etiam omnibus circum civitatibus exterisque emporiis, « supplicat, pro remedio
» qualicumque adferendo suae huic extremae calamitati,
» quam ab Hispanis, Regi rebellibus, et nulla iniuria laesis
» aut provocatis, recentissime passa sit ipsa, quae fuerat
» *(ut non omnino vane gloriatur)* primum ac praecipuum totius
» Europae emporium, verum atque unicum receptaculum
» et asylum omnium totius universi nationum, promptuarium

» copiosum cunctorum bonorum ac divitiarum, in ventrix
» et nutrix artificiorum, sincera ultrix verae et Romanae
» Catholicae Religionis, fautrix universarum scientiarum
» atque virtutum, et inter tot suas excellentias, fidelis, si
» qua uspiam, suo Principi ac Domino supremo. Itaque,
» licet metuat ne iustissimas suas querelas disseminasse
» noxae sit apud eos, a quibus dira nec alias audita pertulit,
» prospiciens tamen quantum damnum provenire possit ex
» syngraphis et chirographis violenter extortis, traditisque ab
» eis qui alia via non poterant vitae suae consulere, petit
» sequentia puncta sibi concedi :

» I. Declaret Maiestas sua infinite sibi displicuisse inflam-
» mationem et expilationem talis suae civitatis, civiumque
» enormem carnificinam.

» II. Quod cuiuscumque generis bona, ex eiusmodi casu
» profecta, apud quemcumque et ubicumque invenientur,
» sive in propria sua forma, sive in aliam commutata, vindicari
» et repeti a proprietariis poterunt, in specie aut valore.

» III. Quod omnes obligationes et promissiones tam princi-
» pales quam fideiussoriae, durante expilatione et violentia
» factae a civibus vel habitatoribus huius loci, quocumque
» titulo vel colore emanatae, palliatae aut excogitatae, cassae
» sint et nullius valoris, unicuique probibendo solutionem
» ullam aut satisfactionem dare eiusmodi raptoribus, aut aliis
» eorum causam agentibus; alias iniuriae particeps et fautor
» habeatur quicumque id fecerit.

» IV. Et quia constat quod plures ex raptoribus, aut alii
» pro iis, iam dederint grandes pecuniarum summas aut com-
» mutarint cambiandas vel recambiandas in Italia, Hispania,
» Francia; vel aliter deposuerint ad mensas publicas aut pri-
» vatas negotiantium, cum fiducia eas hic vel alibi inve-
» niendi; ordonetur mercatoribus omnibus, tam externis quam

» internis, qui eiusmodi pecunias cambio, vel recambio,
» vel mutui aut depositi titulo acceperint, iam inde a die iv
» Novembris ultimi praeteriti, quod teneantur Commissariis
» ad id nominandis eas declarare, coram quibus examine-
» tur quantitas et qualitas debiti, et utrum eiusmodi pecuniae
» aliquo modo ex rapina processerint; mandando quam
» expressissime omnibus mercatoribus, aliisve qui pecu-
» nias aliquas, cambii, mutui vel depositi titulo, acceperunt,
» et in aliis quibuscumque nundinis, locis aut provinciis
» numerandas transcripserunt, ut id continuo declarent, et
» mandata desuper scripta retractent; idque insinuent acto-
» ribus et procuratoribus suis vel aliis, ad quos eiusmodi
» litteras direxerunt, ne super iis, sive iam acceptatae sint,
» sive non, solvant quidquam; alias puniendi et reddituri
» ipsas originales summas.

» v. Prohibeatur quidquam terra vel aqua efferre sub specie
» mercium, quod non fuerit a Commissariis praedictis visita-
» tum, recognitumque ex praeda non provenisse.

» vi. Quicumque ad eiusmodi bona transferenda scienter
» auxilium aliquod tulerint, puniantur ut latrocinii ipsius
» fautores, uti et ii qui nomina sua commodaverint, etiamsi
» talia bona iam pervenissent ad tertiam manum; perdent
» autem bona propria, et insuper arbitrario corrigentur qui id
» facere neglexerint.

» vii. Ultra scrutinium sarcinarum indifferenter omnium, ad
» cognoscendum numquid in iis ex rapto lateat, obligabitur
» proprietarius, quoties fuerit requisitus, iurare quod praedicta
» bona ex spoliatione Civitatis non processerint, nec in ea
» directe vel indirecte partem aliquam habeat, per modum
» emptionis, commutationis vel aliter.

» viii. Denique, quoniam, tam ante quam post insultum,
» multi mercatores, cives et inquilini, dereliquerunt Civitatem,

» hac illac dispersi cum parte bonorum suorum, libris ratio-
» num, instrumentisque; seque transtulerunt ad alia loca et
» provincias etiam non subiectas Maiestati suae; unde necesse
» foret negotiationem huius Civitatis prorsus cessare, et manu-
» facturam (unicum harum Provinciarum fundamentum ac
» sustentaculum) annihilari, oportebit omnino (salvo meliori)
» curare, ut mercatores praedicti revocentur, et redeuntes
» sua resumant commercia; quod videtur fieri non posse,
» nisi ante omnia curetur, ut praesidia tam Hispanorum quam
» Germanorum, tam ex urbe quam ex arce, removeantur,
» observenturque pacificationis articuli negotiationem et manu-
» facturam concernentes. » Hactenus epistola illa, quae an, ubi et quatenus effectum aliquem habuerit, non invenio; vereor autem ut magnum, nisi forte apud paucos, quorum corda tetigerit, non reverentia Magistratuum aut metus poenarum, sed conscientiae remorsus et Dei timor. Ultimum certe punctum, quam fuisset efficax ad securitatem plebis, tam erat impossibile factu, in tanta proclivitate animorum ad defectionem a Religione Catholica, et alienatione ab observantia decretorum Regiorum.

ARGUMENTUM.

I. Ingreditur Luxemburgum Ioannes Austriacus, de cuius in Belgio Actis habemus prolixum Commentarium sub nomine Rolandi Mirtei Onatini, manu viri senatorii scriptum, unde accepimus instructionem ituro in Provinciam Ioanni traditam. II. Mittitur ad eum incivilis legatio. III. Auriaco oblatum armorum regimen, nisi tradita sibi Slusa, recusat. IV-V. Alenzonius Protectorem se offert per suum nobilem. VI-XII. Quo Austriacum calumniante et Aldegondio in Consilium se ingerente, urgetur traditio Slusae, plebe etiam per seditionem movente.

I. Eodem quo tragoedia Antverpiensis nuntiata Bruxellis fuit die, festinatis itineribus Luxemburgum ingressus est Austriacus, a quo ingressu usque ad obitum habemus viri Senatorii

Commentarium ms. ad Gregorium XIII, sub nomine *Rolandi Mirtei Onatini*, verum nomen *Martini Antonii del Rio* occultantis, ab auctore, in Hispaniam redeunte, relictum amico suo, ut coniecturum, Andreae Scotto; de quo Martino plura ad annum quo obiit M.DC.VIII. Distinguitur iusti voluminis opus in libros quinque, quorum secundus, post explicatum primo libro eum qui tunc erat Belgii statum, exordium sumens ab isto ingressu : « Transiverat, inquit, » Austriacus magna celeritate et periculo totam Franciam » cum duobus tantum comitibus, quorum unus fuit Arnulfi » Principis frater, Octavius Gonzaga, cuius se famulum simu» labat et hospitio Luxemburgi usurus erat. Exiverat autem » ex Aula cum festinatione tanta, ut commentarios, quos » Rex dare solet ituris ad gubernationem Provinciarum, » secum efferre nequiverit, postea in Belgium attulit Ras» sengemius. Illis clementissimo et optimo Rege dignissima » mandata continebantur, ut statim ab adventu per totum » Belgium pro quiete, pace et tranquillitate publica suppli» cationes decerneret, ad eam reducendam omnes actiones » et cogitationes suas dirigeret, Provinciam iisdem legibus » et moribus regeret, quibus Caroli V imperio regebatur; » privilegia, iura, consuetudines, immunitates, quas, illo » vivente, Belgae habuerant, diligenter tueretur; si qua ex » illis violata vel temerata reperirentur, statim ista restauraret; » in publicis negotiis collateralium et Provincialium Consi» liorum opera uteretur; iisdem et Praefectis et Magistratibus » auctoritatem relinqueret; turbatum Consilium Statuum, cau» sis, quae in eo pendebant, ad Provinciales Curias remissis, » aboleret, iustitiam accurate omnibus administraret, malos » suppliciis, bonos praemiis afficeret; bene de Religione et » regio obsequio meritorum nomina ad se rescriberet et » quomodo unumquemque remunerare posset; amplissimam

» delictorum, superiori rebellione commissorum, abolitionem
» omnibus, praeter solum Orangium, caput malorum omnium,
» concederet; cataphractorum turmas et ordinaria limita-
» neorum militum praesidia ad Caroli V Imp. disciplinam et
» ordinem redigeret; Belgarum et Hispanorum promiscua opera
» uteretur; superiores Germanos paulatim e numeris expun-
» geret; Hollandos Zelandosque primum clementia, huma-
» nitate et indulgentia ad officium reducere tentaret; sin
» pertinaces esse pergerent, ad eos debellandos cum Statuum
» Ordinibus rationes ineat, et vires coniungat; dicat Braban-
» tiae Ordinibus se, quoad incorporatarum Abbatiarum toties
» petitam separationem, brevi quod e republica sit ordina-
» turum; quod autem ad Flandriae membrorum supplica-
» tionem de confiscatione bonorum, sibi placere, ut omnia
» maneant in statu quo erant Caroli V tempore; permitteret
» tamen ut interea in maximo Mechliniensi Consilio ius suum
» quisque persequatur; videret autem ut, cum Statuum Ordi-
» nibus deliberaret, an idem Duacensibus, Orchiensibus et
» Insulensibus concedi expediat; porro sententiam contra
» Ultraiectinos ab Albano latam se rescindere et eos in
» integrum restituere. »

II. « Ordinum porro legati, statim ut fama increbuit ve-
» nisse Austriacum, misere Luxemburgum Ischae Dominum
» cum incivilibus mandatis, ut percunctaretur Ordinum
» Belgii nomine, quis esset? ad quid venisset? quae Regis
» mandata attulisset? eaque sibi inspicienda dari postula-
» ret vel ipsum saltem Bruxellam accedere; eo scilicet con-
» silio ut Ordines, iis visis, dispicerent, an illum ad Guber-
» nationem Belgii admitti expediret; et, si expedire videretur,
» quibus id conditionibus faciendum, ut constituerant cum
» Orangio paulo ante ad quem etiam miserant Gandavum
» Legatos Tresinium et Leoninum. Ischanus Luxemburgum

» festinat, adit Austriacum, mandata promit. Ille, etsi legationis indignitatem aegre ferebat, satis tamen clementer : Quis esset? respondet venisse ut tamdiu desideratam pacem constituat et Provinciam gubernet; non autem se consuevisse mandata Regia et potestatem datam confringere, sed habere penes se autographum, quod, quando et quibus necesse putet, sit ostensurus. Ita dimissus Ischanus Bruxellam redit, ibique a Statuum Ordinibus male praeter spem excipitur; nam variis atque ridiculis omnium interrogationibus fatigatur, et aperto quorumdam, quod Austriacum laudasset, corruptelae et proditionis convicio lacessitus, iniuriae magnitudine de mentis statu decidit, et vix aliquot septimanis post statum mentis recuperavit. » Hactenus Mirteus libri sui secundi initio, in sua ante primum librum ad Pontificem allocutione profitens *simplicem veritatem et nudam fidem, nihil autem gratiae vel indignationi tribuens, neque incerta pro compertis, neque pro dubiis explorata narrare; ut qui tradendis vel interfuit, vel ab iis qui ante praefuerunt aut interfuerunt, vel etiam ex publicis Actis, litteris et monumentis ea excepit, quo facilius fuerit, conciones, legationes et epistolas (ut plerique faciunt) ex arbitrio ad ingenii ostentationem proponere, sed revera sicut habitae vel scriptae sunt ad fidem exponere.* Sic, post iam relatam instructionem Regis Austriaco datam, refert xxv conditiones pacis Gandavi initae cum Austriaco et Statuum Ordinibus, quas ille multo fidelius servandas curavit quam ipsius pacificationis Gandavensis infra distinctius exhibendas ab Episcopo Metzio, cuius commentarium, quem coepi verbotenus exhibere, libentius hic prosequor, quia brevior multo et Antverpiam nostram, Austriaco numquam accessam, saepe propius attingit. Ita ille habet :

III. † Mira (ad nuntium iam certo praesentis Austriaci) suborta est in civitate Bruxellensi commotio et a multis per

istos homines factiosos est clamatum (tum in civitate, tum apud Ordines) Principem Orangium vocandum, ut praeesset bello et gubernaret patriam; neminem ex Nobilibus esse, qui posset quidquam boni praestare. Conspirarunt ergo cives cum ceteris fautoribus Principis et ad hunc certos legatos miserunt, ut dignaretur venire Bruxellam et suscipere gubernationem et curam belli; verum ille tum fecit difficultatem veniendi, nisi ei traderetur Slusarum oppidum. Quare magna instantia actum est apud Ordines, et praesertim apud Flandros, ut locus traderetur; sed viriliter restitum est importunae sollicitationi per Ordines Generales; etsi quidam Flandrorum Deputati viderentur eo inclinati, aut saltem non magni aestimare si traderetur. Ergo coniurati, captata opportunitate temporis, quo aberant plures Principis postulationi contrarii, effecerunt apud praesentes, ut praestaretur consensus; sed cum hoc a reliquis esset rescitum, altero die in pleno Consilio rursus revocatum est.

IV. Porro, quo commodius possent illustrissimum Austriacum a Belgio excludere factiosi isti, omni conamine aduisi sunt eo inducere, non tantum *Orangium Principem*, sed etiam *Ducem Alenzonium.* Hinc *D. Hezius,* cui magna familiaritas intercedebat cum Oratore Franciae, tunc Bruxellae praesente, habito cum eo consilio, et cum suis, quos ex Ordinibus habebat sibi addictos, misit tres legatos nobiles ad fratrem Regis Henricum de Valois, nimirum oeconomum suum et quemdam vander Noot ac tertium, cum litteris credentiae seu fiduciae, et cum mandatis ut apud eumdem sollicitarent, ut mittere Ordinibus dignaretur auxilium, quod alias benigne promiserat. Dux vero, audita postulatione legatorum, eos benigne excepit et apud se detinuit, expediens interea Nobilem quemdam quem scribebat esse de cubiculo suo, cum litteris credentiae Bruxellam ad Ordines.



Ingressus ille Cameram Consilii, oblatis ac lectis litteris suis, iussus est legationem exponere. Coepit igitur orare et multis verbis praedicare virtutes Domini sui: nimirum benignitatem, bonitatem, liberalitatem, fortitudinem, mansuetudinem, misericordiam et commiserationem in omnes homines; adeo ut videretur natus ad succurrendum oppressis; et quod nihil aeque haberet cordi quam ut omnibus gratificari possit, eumque dolere si quando transisset dies quo nemini gratiam aliquam praestitisset, more Romani illius Imperatoris Titi; proinde non debere dubitare Ordines de bona voluntate Domini sui, cum esset paratissimus ad ferendas illis auxiliares copias; neque de potentia eius: habere enim ad manus equitem peditemque, quibuscum extemplo illis posset adesse. Sed cum ipsemet in persona venire vellet, et copias suas adducere, volebat ab omnibus Ordinibus per litteras requiri, et in litteris causam requisitionis exprimi, quare requireretur venire in inferiorem Germaniam cum milite; nimirum ut eam protegeret ab hostibus; ut venire posset cum honore sua magna Celsitudine digno. Intelligebant statim quidem fraudem et dolum Ducis, et quo tendebat. Hinc non est illi statim responsum, sed solum, quod super ea re suo tempore deliberaretur; itaque dimissus Orator est.

Elapsis itaque diebus aliquot, cum nihil responderetur, rediit rursus ille ad Consilium, et petivit sibi responderi, dicens Dominum suum avide exspectare responsum, ut posset parare auxilium quod petebant. Res igitur proposita est, ut super ea deliberaretur; et post multa verba hinc inde habita conclusum est, ut scriberentur ad Ducem litterae gratiosae, quibus illi immensae agerentur gratiae de auxilio oblato, et significaretur, quod admodum gratum foret Ordinibus si milites, quos habebat paratos, adhuc apud se servare dignaretur, si fortassis auxilio eius ipsis opus foret; et se non futuros

ingratos. Haec cum Oratori Ducis non satisfacerent, rursus rediit ad Ordines, et petivit ut scriberentur litterae, quibus absolute requireretur Dominus suus, et insereretur causa cur requireretur, nimirum ut Protector Patriae.

V. Hae litterae cum in tali forma obtineri non possent a Generalibus Ordinibus, et *Hezius* videret rem tentatam sine huiusmodi litteris non successuram, consilio habito cum suis, curavit istiusmodi litteras confici per quemdam bene in hac arte versatum; sed difficultas erat in illis subsignandis, quia subscribi debebant per Graphiarium *Willemaers*. Ut ergo illi imponerent, et subsignationem extorquerent, venerunt ad domum eius sub horam nonam vespertinam, magna cum importunitate petentes, ut litteras scriptas ad Ducem d'Alenzon, quas apud se habebant, vellet subsignare; nam opus esse acceleratione, quia Nobilis, qui eas deferret, iamiam volebat conscendere equum concitatum, qui iam paratus erat cum aliquot comitibus. Respondit ille se primum debere litteras legere; non enim solere quidquam subsignare, quod prius non legisset et vidisset. Etsi vero urgerent, dicentes quod alter tamdiu exspectare non posset, propter comites itineris, quos habebat ante paratos; perstitit tamen prius legendas esse, et e manibus eas tenentis raptans, legit.

Cum autem invenisset scriptas ea forma qua legatus petierat, dixit se non posse subsignare, quia tali forma scribere Ordines inhibuerant. Urserunt illi magna cum importunitate, imo cum violentia et minis conati sunt eum cogere ad subscribendum; et fecissent, nisi horrende exclamasset. Eo enim clamore audito, accurrit famulus, accurrerunt et alii de familia eius, et ita confusi abierunt. Altera autem die graviter conquestus est de vi sibi illata, ex eo quod eiusmodi litteras subsignare recusasset; et ab Ordinibus quidem valde laudatus est quod probe egisset; sed cum falsariis illis (sicut cum omnibus

aliis reipublicae perturbatoribus dissimulatum est, nec quidquam mali illis illatum. Itaque ad plures dies procrastinata est responsio; nam falsarii illi confusi urgere amplius non audebant. Interea Nobilis ille significavit domino suo quod Ordines Generales facerent difficultatem in exprimenda causa requisitionis et qualitatis, eo quod odiosum esset nomen Protectoris.

Id ut intellexit Dux *Alenzonius*, misit statim alium Nobilem ad Ordines, quem etiam suum cubicularium appellavit, cum litteris confidentiae seu credentiae; qui, impetrato apud Ordines silentio, multis verbis coepit extenuare petitionem domini sui : nimirum, quod non volebat venire ut *Protector patriae*, prout Ordines intelligere videbantur, ac si sibi aliquid iuris in Germaniam inferiorem vellet adscribere. « Non est, inquit, » dominus meus ambitiosus, non quaerit dominia aliena, » contentus est suis; sed cum ipse in persona venire vellet, » vellet etiam sibi adscribi primam auctoritatem in exercitu; » ut si qua defensio, inquit, vobis per eum praestetur, » illam sibi adscribendam existimaretis, et intelligeretis, eum » esse unicum omnium oppressorum liberatorem; ea est » enim sola eius intentio, hoc unicum studium suum, ut » oppressos defendat et de omnibus bene mereatur. » His et similibus verbis multis usus est, ut sunt Franci copiosi in suis. Responsum est autem ei, quod Ordines super iis, quae proposuerat deliberarent; et sic dimissus est.

Cum autem aliqui dies per alia negotia elaberentur, et nihil ei responderetur, venit uterque congregatis Ordinibus, et graviter atque cum stomacho conquesti sunt, quod tam diu detinerentur sine ullo responso; proinde constituisse se abire, et domino suo significare, quam ignominiose secum actum esset, et quam turpiter reiiceretur opera domini sui, tanto affectu oblata.

Hac oratione plures vehementer commoverunt; quare, ipsis

egressis, hanc opportunitatem nacti sollicitatores subsidii Francici, inceperunt graviter increpare eos, qui obstiterant, quo minus litterae petitae essent missae; multis verbis exaggerantes, quantum mali hinc evenire posset, si Dux Alenzonius etiam fieret Ordinum inimicus; quod sine dubio fieret, si illius oblatum auxilium contemneretur, cum iam diu copias suas auxiliares habuerit paratas. His atque aliis verbis complures adeo perterruerunt, ut statim ordinatum sit, cuilibet eorum catenam auream dandam ducentorum coronatorum; qua honorati dimitterentur cum litteris, quibus Duci significaretur quod statim mitteretur Nobilis aliquis ex parte Ordinum, qui ei declaret omnem eorum intentionem.

VI. Dimissis illis, vocatus est illico *Baro d'Obigny*, ut hanc profectionem in Franciam susciperet. Et primo quidem is cupivit se excusatum ab hac legatione certis de causis, postmodum tamen, a quibusdam inductus, acceptavit. Habebat autem is sibi commissum ut summas ageret gratias Duci de copiis auxiliaribus oblatis; verum, cum iam incepissent tractare et pacisci cum Domino Austriaco, non constituerint adhuc illis uti; brevi tamen memores futuros et gratos tanti beneficii sibi praestiti. Non obstante istiusmodi commissione, minime destiterunt perduelles isti a sua perversa conversatione cum Francis; sed, subornato Domino *de Bonivet*, qui etiam se esse de cubiculo Ducis Alenzonii asserebat, et cum istis conspiraverat (ad hunc enim finem haerebat Bruxellae), voluerunt incutere Ordinibus terrorem, quoad subsidium Francorum oblatum reciperent.

Bonivet igitur subornatus, ipso die S. Andreae Apostoli, sub horam undecimam ante meridiem, cum sciret Ordines esse congregatos ob quamdam gravem causam, pulsans Cameram Consilii, significavit se habere aliqua Ordinibus communicanda, quae illis non parum profutura forent. Ingressus itaque

et facta ei facultate eloquendi quae habebat dicenda, coepit et ipse Principem suum Ducem Alenzonium pluribus verbis extollere: nimirum, quod benignissimus esset Princeps, quod liberalis ad omnes, et in conversatione suavissimus; et, si perspecta esset eius humanitas et in rebus gerendis dexteritas, asserebat se non dubitare, quin summa alacritate auxilium eius implorarent; et si omnino constituissent pacisci cum Austriaco, hoc ipsum per Ducem Alenzonium fieri commodissime posset; quodque eius auctoritas in pacto ineundo multum operaretur. Volebat interea commonitos Ordines, ne Austriaco ullo modo fiderent; nihil enim certius esse quam quod constituisset illis inferre bellum. Nam se vidisse asserebat Austriacum apud Oratorem Regis Hispaniarum in Francia; cum quo eum per aliquot dies super futura sua expeditione in Belgio communicasse sciret. Addebat quoque certum esse quod Austriacus haberet magnam copiam militum paratam in Italia, et quod eius nomine in Germania quoque milites conscriberentur. Accusabat etiam D. Baronem de Rassinghem, quod et ille communicasset cum dicto Oratore, et quod non alia ad Ordines retulisset quam Oratori videbatur expedire; ac proinde quod eidem Domino Ordines non deberent credere, aut quidquam illi confidere, cum et ipse conscius esset futurae expeditionis; adhortando denuo Ordines, ut rebus suis bene prospicerent, ac maiore illis opus esse crederent auxilio quam aestimabant.

VII. Haec et similia miris verbis exaggerabat, prout in sua lingua gallica admodum eloquens est. Ubi autem finem dicendi fecit, dimissus est; et quia iam tempus prandii aderat (erat enim duodecima audita), dissolutum est Consilium sine ulla deliberatione. Hinc factum est quod, licet quorumdam animos permovisset, parvum tamen sua oratione fructum fecerit; nam permanserunt semper aliqui constantes; qui,

quoties negotium hoc ab aliis urgebatur, semper per indirectum, quod alia negotia essent tractanda, impediebant. Sed neque desiit Bonivettus apud cives Bruxellenses virus suum evomere; quo et suam Celsitudinem et Dominum de Rassinghem eis redderet odiosos, nec alia de causa haerebat Bruxellae. Hinc tantum effecit apud cives, ut tandem et Dominum de Rassinghem apprehenderent, etsi per D. Ducem Arschotanum et alios quosdam Nobiles de manibus civium statim fuerit liberatus.

Quid vero contra suam Celsitudinem, cum quodam alio nobili Gallo, attentaverit idem Bonivettus, favore et auxilio fretus seditiosorum civium et administrorum et fautorum Principis, notum est; nam et eius insidiae patefactae sunt. Quibus autem consiliariis et auctoribus usi sint ad eas insidias parandas, satis manifeste patuit, dum complures ex Ordinibus causam eorum magno effectu defenderent ac tuerentur. Quando autem praefatus Bonivettus cum socio, auctoritate Regia, manere iussi sunt in domo sui hospitii, isti eorum patroni, publico conventu Ordinum non sunt veriti admodum libere asserere, magnam ipsis fieri iniuriam; cum tamen ex ipso Consilio Ordinum essent iussi detineri. Et rursus dum tertius dies elaberetur ab eorum detentione, non cessarunt urgere et sollicitare causam ipsorum, magna importunitate postulantes, ut vel relaxarentur, vel exhiberentur ipsis, iuxta privilegia Brabantiae, capita accusationis suae; ad quae responsum est illis, quare illa privilegia non potuerint habere locum, dum idem peterent illustres Comites Mansfelt et Barlaimont, et alii Consiliarii saepius id postularint.

Hoc responso accepto, magis exasperati sunt patroni isti, et ad convicia confugerunt, multisque verbis culpare coeperunt Celsitudinem suam, quod nimium esset credula delatoribus; et quod illi ordinandum esset quod numquam ullis delatoribus

quidquam crederet, nisi ipsi id quod deferrent, proprio nomine subsignarent. His atque similibus verbis dissolutum est Consilium. Alio porro die rursus non minori affectu causam illorum sollicitantes, proposuerunt Ordinibus quanta pericula illis imminerent, si praescriptos Nobiles captivos detinerent, qui se iactabant a cubiculis esse Ducis Alenzonii, et hactenus tanta fidelitate negotia Ordinum apud eumdem Ducem curassent; cuius iram si contra se provocare non vellent, deberent illos relaxare, et illis facultatem facere abeundi.

VIII. Post publicatam autem Pacificationem Gandensem, cum iam inciperent fieri communicationes inter Ordines et Austriacum, missus est a Principe *Dominus Aldegundius* Bruxellam ad Ordines, ut observaret quae agerentur; et ut hoc melius praestaret, frequenter intrabat Consilium Ordinum; et nunc hoc petebat ab iis nomine Principis, nunc illud; nunc cupiebat mutari approbationem factam per Consilium Status, eo quod habebat particulam hanc, *Quantum in nobis est;* nunc habebat hoc in commissis a Principe, nunc illud; adeo ut pene alternis diebus interesset Consilio. Nec deerant frequentes communicationes inter ipsum et Consiliarios illos secretioris ipsorum Consilii, et nunc ipse Aldegundius adibat Abbatem S. Gertrudis, nunc Abbas adibat illum, nunc conveniebant apud Liesvelt.

Ex horum quoque Consilio prodiit conceptus ille execrandae et crudelis traditionis civitatis Buscoducensis, circa illa tempora; qua traditione decreverant eiicere militem Germanum, et civitatem tradere in potestatem *Comitis de Holbach*, qui erat Locumtenens Principis; quae traditio Dei singulari beneficio, et militum Germanorum diligentia, tum non successit. Nec quidquam tractabatur cum illustrissimo Principe Austriaco, quin Aldegundio, Bruxellae existenti, communicaretur. Imo eo

tempore quo ab Austriaco missi erant ad Ordines Bruxellam illustris Dominus *Octavianus Gonzaga* et Dominus *Secretarius Escovedo*, et iam incepissent exponere suam commissionem Ordinibus, venit Aldegundius ad Cameram Consilii, quae iam clausa erat; et magno impetu pulsans ostium, petebat intromitti; dicens et se debere interesse propositioni. Ex qua occasione orta est magna disputatio, quibusdam nolentibus quod intraret, aliis volentibus.

Ille autem, hac disputatione pendente, tandem sic intravit, ut omnium rerum quae tractabantur inter Ordines et Austriacum, plenam notitiam habuerit, quo contra receptionem huius suggerere semper consilium posset. Mirum proinde non est, cur Austriacus tam parum fidei et auctoritatis invenerit apud Ordines, quoscumque etiam mitteret legatos. Nam fautores Principis cum Aldegundio in hoc semper totis viribus et nervis incumbebant, ut impedirent ne Austriacus in Gubernatorem acciperetur; sed ut Princeps, vel vi, vel Ordinum consensu, vel saltem motu populari, Gubernator crearetur. Hoc vero non dubitabat futurum Aldegundius; iamque inceperat se informare a quibusdam Commissariis Finantiae Regiae et aliis Regis Officialibus, quibusnam opus esset ad suscipiendam gubernationem, quae in officio illo praestanda forent, et de similibus ad illud pertinentibus.

IX. Diligenter quoque curarunt semper isti, ne quis ex iis, quos suspectos habebant suae parti non favere, mitteretur ad Austriacum; metuentes ne studium eorum obtinendi libertatem Religionis per Principem, ipsi Austriaco patefacerent. Nam indubie, si Austriacus aut ipse Rex aliquo modo fuissent informati de hac eorum intentione, numquam admisissent ut Hispani relinquerent loca quae obtinebant. Et revera pax illa Gandensis non fuit alia quam ea, quam oves aliquando inierunt cum lupo, iuxta apologum. Ad hoc enim

procurabatur eiectio Hispanorum et externorum militum, quo oves Christi et Regis subditi facilius devorari possent. Dedito autem nunc castro Gandensi, advocati sunt milites Principis in Brabantiam; ut, quemadmodum in Flandria haeresi sua mortifera Flandros infecerant, idem et praestarent in Brabantia, quod et factum est; nam ad quemcumque pagum diverterent, eiecere Pastores, neve Sacrificium Missae celebraretur inhibuere, neve Sacramenta administrarentur (ita ut multi, in locis ubi diutius illi haeserunt, sine Sacramentis sint mortui), pollueruntque templa et omnia Sacra profanarunt.

X. Ut autem isti perduelles vi militum possent cogere Ordines ad Auriacum suscipiendum in Gubernatorem, et maturandam traditionem Slusani oppidi (hoc enim sibi tradi cupiebat Princeps pro sua securitate, ut illi liber regressus esset ex Flandria in Zelandiam, si forte res ei male cederent); ut, inquam, istud utrumque obtinerent perduelles, induxerunt per quoddam stratagema decem vexilla Principis in civitatem Bruxellensem, ignorantibus Ordinibus et ipso Magistratu; quorum magna pars, in gravem Regis ignominiam, collocata fuit in magna aula interiori Palatii regii; alii per monasteria et Catholicorum domus distribuebantur, quo ostenderent bonum suum erga Religionem affectum. Etenim in locis ubi erant, nolebant esse otiosi, sed canebant Psalmos suos Calvinisticos, itaque turbabant divinum officium; quidam etiam conati sunt concionari. Dei tamen beneficio factum est, ut cordatiores cives, et praecipue hi qui erant ex sodalitiis, contubernales (Gildas vocant) simul et convocantes, concluserint, diutius illos non esse tolerandos in civitate. Omnes enim Catholicos, qui tunc adhuc multi erant, etsi non omnes Regii (plurimi enim aversi a Rege fuerant, per susurrationes et detractiones istorum perduellium), gravissime offenderat

illud militum Principis factum, itaque post triduum aut quatriduum eos eiecerunt e civitate.

Egressi autem collocati sunt in vicinis pagis, ubi omnia Sacra, sicut aliis locis fecerant, profanaverunt. Et haec tolerabantur; imo Ecclesiastici quidam eo dementiae venerant, ut etiam publice sustinerent, haec potius toleranda esse, quam ut Hispani non eiicerentur.

XI. Cum autem isti perduelles, eiectis Principis militibus, frustrati essent sua intentione, ad aliud medium confugerunt. Excitaverunt cives Bruxellenses, ut magna importunitate apud Ordines agerent, ut Princeps vocaretur ad suscipiendam gubernationem, illique Slusa, quam petebat, traderetur. Venerunt itaque pridie Luciae, XII Decembris, magno numero et praefidentia ad Consilium Ordinum, dicentes et protestantes quod nollent diutius differri traditionem oppidi Slusani, quo Princeps statim gubernacula rerum suscipere posset; nam sine eius directione animadvertere se dicebant, non posse servari patriam ab ignominiosa servitute. Ordines porro dexteritate quadam eos aliquousque pacarunt, allegantes quod traditio istius loci ad se non pertineret, sed ad Consilium Status Regii, quo esset pro hac re recurrendum. Illi ergo recta eodem numero adierunt domum Arschotani, in qua sciebant Consilium Status convenisse; et eadem importunitate aut maiori idem ab illis postulabant. Dux autem Arschotanus, eorum importunitatem atque inurbanitatem non ferens, dure excepit illos; multaque verba cum iis commutans, sine ullo responso dimisit; quod aegerrime tulerunt.

XII. Itaque altero die mane, ipso scilicet S. Luciae, convenerunt in foro, exspectantes congregationem Ordinum; et tamquam diligentes sollicitatores, omnes adeuntes Domum civicam, monuerunt non sine minis, ut expedirent negotium quod postulabatur de traditione civitatis Slusanae, aut aliter

totus populus Bruxellensis consurgeret in eos. Inter decimam vero et undecimam horam, conscenderunt Domum civicam bene sexcenti, totamque impleverunt; pars autem illorum ad Consilium admissa, magna importunitate postularunt statim expediri litteras ad Senatum Brugensem, pro obtinenda civitate petita. Hae vero cum illis essent concessae, aliquo modo pacati abierunt, non tamen sine gravi comminatione: nam publice dicebant, quosdam ex Consilio Ordinum apprehendendos esse, et collocandos apud alios captivos; eiusque facinoris conclusio iam facta erat, fuissetque deducta ad effectum, nisi quidam moniti subtraxissent se. Porro cum Magistratus Brugensis responderet, non esse in sua potestate Slusanum oppidum tradere, qui nullam habebat in eo iurisdictionem, sed totum hoc negotium dependere a Capitaneo Slusano, per Regem constituto, Domino *d'Oygnies*, summo Praetore Brugensi, ne tunc quidem consecuti sunt, quod tantopere sollicitabant.

A. C. M.D.LXXVII.

AMMANUS. — D. Godefridus Sterck, *quo abdicante, substitutus* D. Ludovicus vander Linden.

RENOVATIO MAGISTRATUS.

Tertium hoc anno fuisse mutatum Antverpiae Magistratum, notant Fasti MSS. Primo, Kalendis Ianuarii, deinde XVII Iulii, arce ab Hispanis vacuata, ac denique XXII Decembris, iubente Auriaco, ut antiqua consuetudo praeveniendi Kalendas Ianuarii resumeretur. Fuerunt igitur huius anni principio

declarati et continuati (quorum quatuor asterisco * notati defunctis successerant) :

CONSULES I *Ianuarii.* — Dominus Henricus van Berchem. — Dom. Ioannes Wolfaert.

SCABINI. — Dom. Nicolaus Rockox. — Dom. Ioannes van Schoonhoven. — Martinus van Ranst. — Wilhelmus Schoyte. * — Rogerius van Leefdale. * — Mag. Ioannes de Pape. — Mag. Cornelius de Wyse. * — Aegidius Happaert. — Mag. Adr. van Heylwegen. — Wilhelm. Borrewater. — Blasius de Beiar. — Philippus Vensel. — Mag. Adolfus van Blyleven. * — Mag. Michael Knobbaert. — Ioannes Dammant. — Mag. Balth. van Vlierden. — Cornelius Pruynen.

ARGUMENTUM.

I-V. Hanseatici exigunt a Statibus reparationem damni, mercatoribus suis in expilatione Antverpiensi per milites regios illati. VI. Indicitur supplicatio generalis pro restitutione commerciorum. VII. Gregorius Papa in Belgium ad res componendas destinat Episcopum Ripensem.

ACTA PRIORA.

I. ANNUM hunc nobis ordiuntur *Consules et Senatores civitatis Imperialis Lubecae, reliquique Civitatum Hansae Teutonicae Legati, ibidem congregati,* scribentes, die v Ianuarii, « Illustribus, Generosis, Strenuis, Magnificis Dominis NN. *Consiliariis sive Statibus Generalibus Provinciarum Belgicarum,* » in hunc modum :

« Cum ad nos antehac rumore haud dubio delatum sit, quam » miseranda inopinataque prorsus calamitas in Antverpiana » civitate, Hispanorum et Germanorum militum, armata » manu, impetrata occupatione, acciderit; quam calamitatem

» etiam, non suos intra limites se continentem, latius seri- » psisse, nobisque cum Regiae Maiestatis Hispaniae ibidem » subditis fere communem factam, una cum aliis quibusdam » R. I. subditis, experti sumus; perquam necessarium duxi- » mus ea de causa huius conventus Civitatum, in hac vicinia » non procul dissitarum, nomine reliquarum omnium con- » foederatarum Hansae Teutonicae, prout hoc inter ipsas tali » vel simili in casu consuetum est, diem dicere.

» Non solum autem illum impetum, quo milites isti pro » Rege, nec non Belgica libertate restituenda (uti prae se » ferunt) militantes, eiusdem Regiae Maiestatis subditis, » utpote visceribus propriis non pepercerunt, dolemus, verum » etiam quam aegerrime ferimus, quod in illo tumultu etiam » nostrarum Civitatum Hanseaticarum mercatoribus, tamquam » S. R. Imperii subditis, simul vim inferre non solum » (ut dictum est) non abstinuerunt, verum etiam hoc ipso » facinore ipsimet Regiae Maiestati, ut quae tali in tumultu » bellico Regiam securitatem, ad exemplum Regiae Maiestatis » suae praedecessorum, etiam iureiurando Regiisque litteris » confirmatam, nostris mercatoribus in Brabantia commoran- » tibus, renovavit clementissimeque concessit, parcere animum » non induxerunt; idcirco certe calamitatem et inopinatam » hanc invasionem vel omnino non accidisse, vel saltem in » hoc quod a Maiestate Regia nobis datae fidei non maiorem » et debitam curam habuerint, mitiorem fuisse, ex animo » optaremus. »

II. « Ut autem Excellentiae vestrae horum omnium maio- » rem possint habere notitiam, rem ipsam sic se habere, » Excellentias vestras ex hoc intelligere petimus, quod nobi- » lissimi progenitores Serenissimi Potentissimique Principis » D. Philippi, Hispaniarum Regis, Domini nostri clementis- » simi, inclytae Hansae Teutonicae, utpote maritimarum

» reliquarumque plurium S. R. Imperii Civitatum societatem
» confoederatam, singularium immunitatum et privilegiorum
» praerogativas, per universum Belgium in Regiam prote-
» ctionem specialem securitatemque plenissimam, et iuris-
» iurandi religione confirmatam et obsignatam, clementissime
» susceperint; eumdem in finem hisce fere formalibus privi-
» legiorum verbis praecipientes et mandantes distinctius,
» etiamque inhibentes, quatenus earumdem Civitatum foede-
» ratarum mercatoribus, in personis, rebus, mercaturis seu
» mercimoniis, aut eorum famulis, nulla prorsus molestia,
» gravamen, iniuria vel damnum aliquod inferretur, vel
» inferri quomodolibet permitteretur; pro istarum rerum
» omnium inviolabili observantia, se et successores suos cum
» omnibus bonis suis ac successorum suorum, mobilibus,
» et immobilibus, praesentibus ac futuris, ubicumque et in
» quibuscumque locis existentibus, eiusdem Hansae mercatori-
» bus efficaciter et expresse obligantes, pariter etiam se et
» successores suos iurisdictioni Sedis Apostolicae, nec non
» cuiuslibet alterius ecclesiasticae vel mundanae, quoad hoc
» plenarie subiicientes; quemadmodum ista latius pluribusque
» verbis praememoratorum Regiae Maiestatis progenitorum di-
» plomatibus in eodem tenore confirmatis, expressa habentur. »

III. « Quibus immunitatibus et praerogativis, una cum
» iurata illa commemoratorum Regiae Maiestatis progenito-
» rum securitate, a Regia ipsius Maiestate novo (ut dictum
» est) diplomate confirmatis et consignatis litteris Regiis,
» mercatoribus nostris per totam Belgicam corroboratis, nostri
» certe dictae Hansae Teutonicae mercatores, quidnam aliud,
» prae reliquis S. R. Imperii subditis, sibi persuadere debue-
» runt, quam tanti et tam serenissimi Regis auctoritatem et
» fidem inviolatam perpetuo mansuram; neque hisce in
» contrarium adversi quidquam a quibusvis, nedum ab ipsis

» Regiae Maiestatis subditis et stipendiariis militibus, machi-
» nari vel attentari potuisse vel debuisse, maxime vero in
» eo loco, intra moenia dictae civitatis Antverpianae; ubi
» Maiestas Regia ipsiusque progenitores nobis nostrisque resi-
» dentiam perpetuam tutissimumque receptaculum in specie
» designatum esse voluerunt; ubi et eumdem in finem nos
» Regia fide fortiter fulciti, non minus in dictae Civitatis
» honorem, quam nostrorum mercatorum commoditatem,
» totiusque Provinciae Belgicae inde emergens emolumentum
» non exiguum, magnifica emporiali curia, nostris socia-
» rumque Civitatum sumptibus exstructa, ibidem domicilium
» instituimus; et huc usque, Regia Maiestate non modo
» indulgente, verum etiam, tamquam dictae Civitati at-
» que adeo toti Belgicae honorificum, approbante, secure
» habuimus.

» Accedit et hoc, quod Regia Maiestas, sub initium adventus
» illustrissimi Ducis Albani, ad gubernationem generalem
» Provinciarum Belgicarum designati, tum viva voce, tum
» scriptis, Imperii Principibus reliquisque Ordinibus promitti
» fecit : nimirum, bellicos suae Maiestatis apparatus nullis
» Imperii subditis vel detrimento vel oneri futuros; imo arcem,
» tunc temporis Antverpiae exstruendam, armatosque in ea
» praesidiarios, duces ac milites, et id genus alia praepara-
» menta bellica, in praesidium et maiorem firmitatem suscepti
» foederis instituendam fore; quo ita ab omni iniuria ibidem,
» tamquam in tutissimo asylo, latitare et sub secura prote-
» ctione degere possent. »

IV. « Quibus omnibus tamen oblivioni traditis et postha-
» bitis, praedicti praesidiarii, duces et milites, a dicta arce in
» urbem venientes, quanta strage et clade miseranda et cala-
» mitosa, incendiis, rapinis, ceterisque horrendis violentiis di-
» ctam Civitatem, non solum inquinarunt affeceruntque; sed et

» in illo armorum strepitu mercatoribus, in dicta emporiali curia
» seu domicilio commorantibus, et alibi per civitatem Antver-
» pianam habitantibus, vel mercaturae exercendae gratia eo
» profectis (ut qui cum istis, quae totum tum decennium dura-
» runt, controversiis bellicisque motibus nihil umquam com-
» mune habuerunt, nec per se, nec per alios quoscumque se
» istis rebus umquam immiscuerunt, nedum ulli parti militum,
» tunc temporis in urbe vel in arce existentium, vel re vel con-
» silio coniunxerunt) violentas manus iniecere, multis ex his
» graviter vulneratis, partim etiam quaestioni submissis, iniu-
» riaque lacessitis, eorum domos invaserunt, pecunias, aurum
» et argentum et id genus alia diripuerunt; magnisque insuper
» pecuniarum summis, videlicet viginti millibus florenorum,
» domicilia sua, et ad haec pertinentia redimere et liberare
» diris comminationibus coegerunt, prout haec omnia per
» nostrum Hanseaticarum Civitatum Syndicum et Legatum,
» D. Henricum Suderman, I. V. Doctorem (cui etiam ea in re,
» tamquam Nobis ipsis, plenam dari fidem petimus), cum
» antehac copiosissime apud Excellentias vestras exposita
» esse sciamus, spem nobis haud dubiam facimus benignae
» exauditionis. »

V. « Nos itaque, quanto convenit moerore firmam et extre-
» mam spem nostram, in Regiae Maiestatis clementia, et fide
» collocatam habentes, nonnumquam hallucinantem, et non
» sine laesa Maiestatis regiae auctoritate et fide in ambiguum
» reductam et frustratam, quam merito deplorare debeamus,
» Excellentiae vestrae, pro innata ingenii sui dexteritate, facile
» vident. Sed quia Regia Maiestas (ut quae sicuti iustitiae pro
» ingenita Regia virtute studiosissima, ita suae Maiestatis lae-
» sionem minime perpessura est) ideo haec omnia, si querelis
» nostris ei deferrentur, haud dubie Regia quadam nemesi quam
» indignissime feret, et tamquam potentissimus et summus

» Rex hasce nostris mercatoribus et Nobis illatas iniurias
» gravissimas, caeco isti militum furori, prout quidam ad
» confoederatos nostros respondendo (nostra quidem sen-
» tentia plus aequo temerius praetendere nisi sunt) non
» adscriptura est; ideo ab Excellentiis vestris quam possumus
» enixe petimus rogamusque, velint Excellentiae vestrae,
» omnibus istis, quae supra memorata sunt, ordine conside-
» ratis, rem ipsam animo perpendere, benigneque efficere,
» quo nostri, sub Regia illa protectione et securitate enormiter
» laesi, praedictorum privilegiorum tenore in integrum resti-
» tuantur, proteganturque, ablatorum bonorum auri et argenti
» iterum compotes fieri, imposterumque secure ibidem privi-
» legiis et immunitatibus gaudere, uti, fruique queant. Id,
» sicuti ad stabilienda inter Regiam Maiestatem ipsiusque
» praedecessores et confoederatas Hansae S. R. Imperii Civi-
» tates antiqua et ultra hominum memoriam foedera, plurimum
» valebit, Regiae item Maiestati absque ullo dubio gratissimum
» erit; ita etiam de Excellentiis vestris quolibet tempore pro-
» mereri conabimur. Excellentias vestras Deo Opt. Max. ad
» Provinciarum Belgicarum pacificum et tranquillum statum
» quam diutissime incolumes commendamus. Datum sub
» nostro Senatus Lubecensis secreto, quo nos et reliqui Civi-
» tatum Hanseaticarum hoc in conventu consueto more uti-
» mur, die v Ianuarii M.D.LXXVII... Consules et Senatores *et*
» *cetera*, *inscriptum ut supra.* »

Additur in Mss. Actis Statuum Belgicorum (unde hanc aliasque similes epistolas accepimus) quod illa fuit *recepta* x *Februarii* M.D.LXXVII. Quid autem in tali rerum articulo responsum sit aut responderi potuerit, facile per se intelliget prudens lector.

VI. Interim, dum epistola talis huc fertur, de concilio communi in diem XXVII currentis Ianuarii, tunc Dominicam, indicta (prout habet liber mandatorum, fol. 59) et instituta

est generalis processio pro publico Civitatis desolatae statu per maiorem circulum, eum, credo, per quem solebant amburbalia circumduci; nisi forte iam tum raro aliquo casu in usu fuerit ille, quem nostra memoria pro ipsis quoque amburbalibus ordinatum scimus, et usque ad S. Iacobi extensum. Supplicabatur autem, ut Deo placeret restituere commerciorum priorum abundantiam.

VII. Similem in curam, latiusque patentem quam sint temporalia lucra, incumbens *Gregorius Papa XIII*, XII huius eiusdem mensis, scripsit *Venerabilibus Fratribus, Episcopis, dilectisque filiis, Abbatibus, et Nobilibus viris Statuum trium Ordinum Belgii*, hoc sensu : « Summum semper dolorem Nobis » attulerunt nobilissimae istius Provinciae mala, in quibus tot » annis versata est; nec quidquam optavimus magis, quam » tantarum calamitatum finem; et cum Rege Catholico, et » Maximiliano Imperatore Electo, ac ceteris, quorum aucto- » ritate aliquid profici posse iudicavimus, agere numquam » destitimus; talem autem animum et Catholicis omnibus » universe, et propriae huic ipsi Provinciae, quam semper » amavimus, debere nos profitemur; quo etiam gravius » angimur nihil hactenus profectum esse; quin potius veren- » dum esse, ne, si mora longior fuerit, ad insanabilia dissidia » et mala perveniri necesse sit. Sed avertat Deus a populo » suo hanc pestem, eamque in hostes convertat. Haec igitur » nostra summa de istius Provinciae tranquillitate cogitatio » et cura efficit, ut istuc mittamus Venerabilem Fratrem » Philippum, Episcopum Ripae-Franconis, propinquum nos- » trum, singulari fide et prudentia praeditum, omnibusque in » rebus Nobis probatissimum; ut Vos coram certiores faciat » nostrae paternae caritatis, omnique studio atque opera de » pace nitatur, nihil enim longius avemus, quam ut eam » confectam audiamus; ita Nos faciat Dominus Deus noster

» huius nostri desiderii compotes. Omnem igitur Episcopo » fidem, super iis de quibus Vobiscum aget nostro nomine, » tribuetis. Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo » Piscatoris, die XI Februarii anno M.D.LXXVII, Pontificatus » nostri anno V. » *Subsignatum :*

ANT. BUCCAPADULIUS.

Plura ex Actis Statuum, ad primos huius anni menses pertinentia, neque Civitatem nostram proprie spectantia, praetermitto excerpere, donec veniam ad tempus commorantium Antverpiae Commissariorum Status Generales repraesentantium; et transeo ad prosequendum Episcopi Metzii Commentarium, plus satis interruptum.

COMMENTARII PARS II.

RES HOC ANNO SUB STATUUM REGIMINE GESTAE.

ARGUMENTUM.

I-II. Austriacus Namurcum, Episcopus Leodiensis Huium invitat Ordines. III. Hi per suos Deputatos illum conveniunt Marchiae. IV. Conclusam ibi concordiam conatur interturbare Auriacus; V-VI. Austriacus nihilominus Lovanio venit Bruxellas, ibique ceu Gubernator excipitur, VII. conditionibus ibi et Antverpiae publicatis.

I. † AUSTRIACUS, missis circa huius anni initium ad Ordines litteris, postulavit, ut ad civitatem Namurcensem accederent, quo tractatio de pace cum eo commodius institueretur; quod admodum prudenter consultum erat, ut impediretur continua illa Ordinum communicatio cum Aldegundio; sed parum profecit; et ex ea ipsa petitione, magna nata est inter Ordines dissensio. Nam cum super ea re deliberaretur, complures, etiam priusquam eorum votum expeteretur, clamabant : nullo modo egrediendum esse civitate Bruxellensi, aut Ordines

disiungendos; nam erant qui eo proficisci nulla ratione constituerant; atque ita res haec pluribus diebus suspensa remanebat. Tandem tamen hoc impetratum est, ut ex qualibet Provincia deputarentur aliquot, qui eo proficiscerentur; his tamen conditionibus, quod iurarent se Bruxellam absolutis negotiis redituros, et quod praeter commissionem dandam nihil agere possent; item quod apud remanentes Bruxellae tanta esset auctoritas, quanta apud eos qui Namurci agerent, et unum haberetur Consilium.

II. Cum autem Deputati iam Namurcum venissent, destinarunt Vicecomitem Gandensem ad suam Celsitudinem; et dum eius reditus exspectatur, nuntiatur iam advenisse Leodium Oratores Imperatoris, cum Oratoribus Ducis Cliviae, et eosdem properare Namurcum cum Oratoribus Episcopi Leodiensis, ut Ordines convenirent, et apud eos exponerent causam suae legationis. Antequam tamen ipsi Namurcum poterant venisse, missae sunt litterae Leodio ad Ordines a quodam magno fautore partis Auriacae, qui missus erat ad Consilium Circuli Westphalici, quibus praemonebat Ordines, ne crederent aut multum fiderent Oratoribus ad eos properantibus, ut qui plurimum obfuissent petitioni Ordinum in Consilio praedicti Circuli, et nihil boni ab ipsis sperandum esse, cum plus viderentur partibus Regis favere quam oporteret. Hae autem litterae allatae sunt Consilio Ordinum, pridie quam Oratores advenissent, per quemdam eiusdem farinae hominem, qui tum erat Namurci, et contenta litterarum egregie exaggerabat; adeo ut ipsi Oratores habiti fuerint suspecti et partiales, antequam causam suae legationis exposuissent, aut quidquam in negotio suo, ad quod missi fuerant, attentassent. Quare nemo mirari debet quod tam parum profecerint in tractatu cum Austriaco.

Princeps Leodiensis nuntium miserat Namurcum cum

litteris ad Ordines, quibus significabat, si Deputati dignarentur venire Huium, ad conveniendum cum Austriaco, se curaturum, ut et Austriacus eo veniret. Sed haec oblatio statim reiecta est, quia Delegati nihil facere poterant extra suam commissionem. Actum quoque est ibi diligenter, ut Deputati, qui proficiscerentur Marchiam ad Austriacum, secum deferre possent instrumenta et litteras confectas, quibus Episcopi, Abbates et reliquus Clerus, una cum Doctoribus Theologiae et Iuris Universitatis Leodiensis, attestarentur, Pacem Gandavi initam, eo statu rerum, fuisse iustam et approbandam; quas cum non omnes adhuc subsignassent, verbis et minis coacti sunt ut subscriberent; nam has exhiberi voluit Austriacus priusquam dictam pacem vellet approbare.

III. Profecti itaque Deputati Marchiam ad Austriacum, aliquousque negotium cum sua Celsitudine promoverunt, et iecerant iam bona fundamenta pacis cum eo tractandae; super quae si potuisset ulterius aedificari, negotium feliciter successisset; sed per eos qui Bruxellis remanserant penitus sunt eversa, ut nova fundamenta ponenda fuerint. Quae porro postea Huii et Marchiae acta sunt per Deputatos Ordinum, nota sunt. Eo tamen semel res haec deducta est, ut consenserit Austriacus in Articulos Pace Gandavensi contentos; idque partim propter consensum Oratorum, qui valde hoc urgebant, partim victus precibus quorumdam Ecclesiasticorum qui existimabant Religionem Catholicam perituram, si non iniretur pax cum Ordinibus; cum e contrario Religio multo felicius fuisset conservata, si Hispani retinuissent loca quae occupabant, ut quidam tum bene intellexerunt, et eventus docuit.

Cum igitur tractatui isti pacis Celsitudo sua subscripsisset (xvii Februarii) misit eumdem tractatum Bruxellam ad Ordines, ut ab eis subscriberetur; quod quidem factum est tandem, sed non sine contradictione; nam quotquot erant ex secretiori

illo consilio, eumdem volebant primum communicatum Principi. Atque hinc factum est, ut, cum publicaretur, complures ut isti, omnes se absentaverint, et noluerint publicationi interesse. Hi itaque statim expediverunt nuntium ad Principem, qui ei significaret, transactionem pacis inter Austriacum et Ordines esse Bruxellae publicatam. Verum, ne nimium ex hac re turbaretur, dederunt ei consolationem, addentes nihil hanc pacem officere posse intentioni suae; nam, descriptis Articulis pacis, unicuique eorum adscripserunt interpretationem, qua facile, egressis Hispanis, iidem Articuli impugnari et irritari possint; cuius scripti copia alicubi diligenter asservatur. Ex eo scripto clarissime constat, intentionem istorum hominum fuisse, ab initio contractus initi, eumdem non solum non observare, sed prorsus irritare, ut suam Celsitudinem ad alias conditiones multo iniquiores admittendas cogerent, quo ad libertatem a se intentam pervenirent, neve illis alia posset imperare quam vellent.

IV. Atque hinc etiam factum est, quod tot calumniae per istos homines contra suam Celsitudinem confectae sint, ut populo persuaderent, ipsum priorem violasse contractum pacis, quo iustam causam viderentur habere ab ipso resiliendi. Ubi autem sua Celsitudo venerat Namurcum, magna contentione animi defenderunt, eum non esse admittendum in Brabantiam, donec egressi essent Hispani, ut ex iis qui isti factioni adhaerebant Lovanii (pridie quam sua Celsitudo civitatem ingrederetur, et cum omnia pararentur ad eius receptionem) fuerint nonnullli, qui non verebantur publice interrogare, num futurus esset Magistratus Lovaniensis tam obcaecatus, ut talem ac tantum proditorem reciperent in suam civitatem. Nempe bonus Princeps exosus erat istis hominibus, non tamquam Ioannes Austriacus, sed tamquam a Rege missus Gubernator ad impediendam Religionis et aliarum rerum libertatem, quam

tantopere affectabant, et ad quam consequendam omnes homines ad arma concitassent.

Nam hoc sane unicum eorum semper fuit studium, ut eam libertatem per tumultus excitatos consequerentur; qua Rex non solum non posset ipsis imperare alia quam volebant, in rebus civilibus; sed ne quidem in causa Religionis. Volebant enim sibi remanere Religionem tam liberam, ut contra neminem in conscientia inquiri posset, ut Pax Gandensis satis declarat.

V. Et quo alio fine tam indigne tractarunt Consiliarios quosdam, qui de haeresi aliquando iudicarant, quam ut ostenderent, quam illis displiceret punitio haereticorum? Cùm etiam in isto tumultu tam multi miseri, sine ullo iuris ordine, oppressi sunt, qui aliquando contra haereticos deposuerunt? Tam enim crudeliter quidam in his motibus tractati sunt, ob eam solam causam, ut posthac vix ullus reperiri posset qui in hac causa dicere testimonium auderet. Et cur, quaeso, factiosi isti homines clarissimum Dominum Consiliarium *del Rio* (hic est *Martinus Antonius del Rio*, postea Iesuita, de quo infra) post multos menses in publicis carceribus summa iniuria, ignominia et molestia detentum, curarunt ablegandum in Zelandiam, ignorantibus multis ex Ordinibus, et Principi exhibendum? nisi ut Princeps forsitan expiscaretur secretiora iudicii Inquisitionis, et incuteret metum ne simile postmodum attentaretur. Eadèm fuit ratio cur Domino *Assonvillaeo*, diligenter sollicitanti, ut posset per satellites deduci in domum suam, quo uxori extremo laboranti ante mortem posset semel loqui, tantillum concedere tam crudeliter et inhumaniter noluerint. Nam cum obiiceretur in pleno Consilio, barbarum hoc nimium esse, respondit quidam ex ipsis cur illi hoc concederetur, cum Comiti Egmondano idem fuerit denegatum? aperte declarans, se vindicatum velle quidquid per Ducem Albanum, in causa rebellionis atque haeresis, fuerat actum.

Dum autem Lovanio Austriacus significasset Ordinibus, se statuisse venire Bruxellam, quo magis ad manum esset si quid forte postularetur; rursum isti perturbabant omnia, multis verbis commonstrantes, quod nulla ratione ad civitatem Bruxellensem admitti deberet, donec in Gubernatorem reciperetur; quod, inquiebant, nullo modo fieri adhuc poterat: debebant enim prius adimpleri omnes conditiones pacificationis, quae nondum erant impletae. Et paulo post, cum D. Hezius ab Austriaco Bruxellam rediret, et Consilio Ordinum quaedam proponeret, quae a sua Celsitudine habebat in mandatis, nimirum, quod constituerat cum gratia Ordinum venire Bruxellam, quo negotia possent magis accelerari, sic ea proposuit ut omnes facile intelligerent, illum indicare, quod petitio non esset admittenda.

VI. Postremo, cum Austriacus per Ducem Arschotanum indicasset, se velle venire ipso die Philippi et Iacobi Bruxellam, ob honorem Domini ac fratris sui Philippi Regis, vehementer conturbati sunt Consiliarii isti secretiores et omnes Auriaco adhaerentes. Nam cum per maiorem partem resolutum esset, quod Austriaco concederetur ingressus in civitatem Bruxellensem, quia nemo aliquam iustam causam allegare poterat, ob quam excludi deberet; adferebatur per eos contra omnem veri speciem, quod per ingressum in civitatem vellet sibi adscribere gubernationem. Frustrati itaque hac sua spe, aliam putabant ineundam esse viam, qua Austriacus posset Bruxella excludi. Confugiunt itaque ad conditiones illi praescribendas, quas deberet promittere se observaturum, priusquam in civitatem intraret; urgentes vehementer quod nullo modo aliter ei concedendus esset ingressus, aut Civitatis aut Palatii regii. Quid enim aliud restat, inquiebant, si semel ingressus fuerit Palatium regium, quam ut sibi usurpet auctoritatem etiam regiam? Permissum est itaque illis, ut praescriberent

conditiones, quas illum promittere vellent, exhiberentque Consilio examinandas et approbandas.

Hoc illis tributo, bene functi sunt munere suo et proposuerunt conditiones non paucas, quibus Regi et illi qui nomine Regis gubernaturus venerat, constringerent non solum manus, sed etiam pedes, ne quid praestare posset quod illis non placeret; nec quoquam proficisci, quo illis non luberet. Et cum inter illas fuerint quaedam tam ridiculae et exorbitantes, ut per maiorem partem reiicerentur, data fuit commissio sex Deputatis, qui, reiectis compluribus, in paucas quasdam, quae videbantur magis necessariae, eas contraherent. Hoc illi diligenter praestiterunt, et sex tantum praescripserunt, quas se observaturum Austriacus promitteret; unaquaeque autem talis erat, ut auctoritatem mire constringeret, et eum non Gubernatorem futurum, sed Statibus gubernandum convinceret.

VII. Conditiones fuerunt istae: Imprimis, quod Ordines Provinciarum, Bruxellae congregatos, in ea auctoritate relinqueret, in qua erant convocati, donec de singulis, quae ad utilitatem patriae spectare videbantur, disposuissent. Quod nec ipse, nec Rex bellum suscipere possent sine consensu Ordinum. Quod nullum posset retinere in familia sua Hispanum aut Italum, a quo possit aliquando habere consilium, aut cum quo possit secreto consultare. Quod non posset exauctorare Tribunos militum, assumptos per Status, aut milites eorum; sed quod deberet eos relinquere in ea auctoritate in qua constituti erant, et quod nullam in eos praetenderet iurisdictionem exercere; quod non posset locare in castris aut aliis locis munitis exteros aut etiam alios, sine consensu Consilii Ordinum, et nisi illi primo ab Ordinibus iudicarentur idonei. Quod Ordines bis in anno se possent propria auctoritate convocare, ut Gubernatori imponerent leges, quibus vellent gubernari et non aliter.

Hae conditiones traditae sunt Commissariis missis Lovanium, ut per eosdem Austriaco proponerentur priusquam se accingeret itineri. Et commissarii quidem functi sunt officio suo, illique easdem proposuerunt Lovanii, sed serius, quia iamiam erat conscensurus equum; proinde ipse prudenter dissimulavit, et recta profectus est Bruxellam, ipso die Philippi et Iacobi, ubi a civibus magno cum triumpho et animi alacritate (ut videbatur) receptus est. Altero autem die salutatus est ab omnibus Ordinibus, cum debita gratulatione adventus, et oratione satis accommoda, si Pensionarius, qui onus habebat enuntiandi, eam recte et prompte fuisset elocutus. Ad huius orationis partes omnes et promptissime et commodissime respondit Austriacus, non sine admiratione omnium praesentium, etsi istiusmodi hominibus qui affectabant libertatem, numquam satisfacere potuerit. Die autem Inventionis S. Crucis, quae fuit secunda ab eius in civitatem ingressu, satis commode propositum est Ordinibus a Duce Arschotano, quod, quia iam Hispani pene omnes egressi essent Belgio, et ipse Austriacus iam Bruxellae, deberet recipi in Gubernatorem; ne viderentur Ordines summo rigore cum eo agere, si omnes conditiones pacis requisitas prius peterent ad amussim impleri.

VIII. Placuit propositio quibusdam, et a Brabantinis seorsim in cameram recedentibus, mature deliberatum est; atque post longam consultationem feliciter recessit, contra omnem fere spem, et prorsus per accidens. Ex Praelatis enim tum aberant duo, qui erant ex secretiori illo consilio Principi addicto; etsi alter etiam per litteras receptionem libenter impedivisset; miserat enim litteras ad Abbatem Parcensem et ad Ordines Brabantiae Lovanio, ubi dicebatur aegrotare; quas petebat exhiberi Ordinibus, dum iam ageretur de recipiendo Austriaco in Gubernatorem. Cum igitur de hac re deliberandum esset inter Praelatos, protulit iste Parcensis praescriptas litteras,

petens ut legerentur, priusquam aliquid resolveretur. Lectae sunt igitur litterae, lingua teutonica scriptae, quarum tenor talis erat :

« Reverendi Domini, cavete diligenter ne Austriacum, nunc
» Bruxellae existentem, in Gubernatorem recipiatis; sed mature
» deliberate, neque quidquam de hac re attentetis priusquam
» conditiones, illi per Commissarios nostros Lovanii exhibitas
» (repetendo in iisdem litteris conditiones omnes praescriptas)
» approbet, et iuret se observaturum; nam alias nihil egerimus
» hactenus, sed redigemur in eamdem servitutem, in qua
» viximus usque modo. »

IX. Lectis his litteris, quidam qui vehementer urgebat apud praesentes Praelatos recipiendum esse Austriacum, nec diutius eius receptionem differendam, arreptis litteris, laceravit eas, dicens Abbati Parcensi : non indigemus informatione aut consilio; nos scimus quid iudicemus expedire Reipublicae nostrae; dic quid tu sentias, non quid ille scribat. Bonus vir confusus, cum nullum haberet sibi adhaerentem, obmutuit, non ausus pluribus verbis se opponere; quare inter Praelatos conclusio sumpta est, ut reciperetur Austriacus in Gubernatorem. Perpauci quoque tum aderant Nobiles; et cum inter eos quidam esset magnae auctoritatis, qui existimabat eum recipiendum (etsi non eo zelo ut fortassis debebat, et postea compertum est, sed alio spectabat), facile persuasit Nobilibus praesentibus, ut se conformarent opinioni Praelatorum. Verum inter Deputatos civitatum maior erat difficultas : nam erant qui allegabant, Ordines Generales promisisse Principi quod non reciperent Austriacum Gubernatorem sine consilio et consensu eius. Et ita revera erat : tales enim litterae per allegantes fuerant missae ad Principem nomine Ordinum, ignorantibus tamen pluribus eorum.

Cum ergo de eiusmodi litteris non satis constaret, et copia

quaesita per scribam haud ita statim inveniri posset, iamque serior esset hora (instabat enim secunda a meridie), maior pars Deputatorum praedictorum conformavit se opinioni Nobilium et Praelatorum; atque ita plene consensum est per Ordines Brabantiae, Austriacum in Gubernatorem esse recipiendum. Quam deliberationem cum publicassent reliquis Provinciis, secutae sunt eam aliquot aliae, ut viderentur Brabanti, cum sibi adhaerentibus, superare numero alias Provincias quae sustinuerant non recipiendum esse. Sed cum id non ita clare constaret, magna contentione utrimque certatum est; et rursum collectae sunt voces Provinciarum; ac tandem inventum est quod una voce superaret Brabantia, cum suis adhaerentibus, reliquas Provincias, adeo ut concludendum fuerit recipiendum esse; quam conclusionem statim per Deputatos suae Celsitudini significarunt.

X. Itaque omnia quae iudicabantur necessaria ad eiusmodi actum, parabantur. Altero autem die, sub horam nonam ante meridiem, convenientibus omnibus Provinciis, in Aula magna Palatii Regii, adhibitisque caeremoniis debitis, susceptus est Austriacus in Gubernatorem, clangentibus tubis, magnoque omnium praesentium applausu; atque ita ex Aula itum est ad Sacellum Regium, ubi solemne Sacrum de Spiritu Sancto est celebratum. Interea erant quidam, qui ante et post Sacrum adibant suam Celsitudinem, sine mandato tamen Ordinum omnium, qui multis verbis inculcabant quod sperarent suam Celsitudinem servaturam quod promiserat, et exspectationi Ordinum satisfacturam, et multa alia similia accumulatis verbis ingeminabant, usque ad nauseam etiam audientium; ipse tamen semper benigne respondit.

Conditiones autem pacificationis huius, post multas difficultates, confirmatae subscriptionibus Austriaci, Auriaci et Ordinum sunt, quas ex Leone Belgico, pag. 205 et seqq., hic

transcribo, utpote non Bruxellis solum, sed etiam Antverpiae publicatas ante Curiam, necdum totam ab incendio reparatam, portis fenestrisque exterioribus omnibus (ut de tectis taceam) adhuc patentibus, uti videre est in iconismo praenotatis paginis Leonis Belgici inserto, cum nota diei xxvii Februarii. Ibi sub Camera, quam vocant, Statuum, unde in totum, quam longe tenditur, Forum prospectus patet, cernitur theatrum eiusdem cum illa longitudinis, minime operosum, nec valde ornatum; id enim tempora non ferebant, et discors animorum in pace illa excipienda sensus. Praelegitur autem instrumentum pacis ab uno ex Graphiariis capite nudo, adstantibus sex aliis tamquam testibus capite tecto, sicut etiam caput contectum habent duo ad angulum borealem stantes, (ut existimo) Orator Caesaris et Legatus Iuliacensis; et Consules duo, ibidem in scamno sedentes; ante theatrum vero audientibus et stantibus civibus, vix pluribus quam quinquaginta; cum aliae similium actuum eodem in libro et alibi tabulae Forum soleant confertissimum repraesentare.

X. Sed ad rem : ipsas conditiones exhibeamus :

« i. Ut omnes offensiones, iniuriae, damna, ubique illata » per hasce discordias et tumultus, contentionesque bellicae » ab incolis Inferiorum Regionum, ubique tam publice quam » privatim et quovis modo, cessent oblivionique sempiternae » mandentur, censeanturque numquam accidisse de quibus » nulla umquam fiat mentio in posterum, nedum inquisitio.

» ii. Et quoniam Nos Episcopi, Abbates et alii Antistites atque » Ecclesiastici homines dictarum nostrarum Inferiorum Regio» num, quicumque Theologiam et Iurisprudentiam Lovanii » profitentur, per patentes litteras monuerunt quo in statu res » tunc essent Belgii, cum tractatus pacificationis conclusus et » confirmatus fuisset in nostra urbe Gandavi, die viii Novem» bris proxime elapsi, inter ipsos Status ex una, et nostrum

» Sobrinum Guilielmum Nassavium, Aurei Velleris Equitem, » Principem Auriacum, ac regiones nostras Hollandiae cum » adiunctis ex altera; et quia nihil tractatus contineret quod » adversaretur nostrae sanctae fidei aut Religioni Catholicae, » Apostolicae, Romanae; sed contra omnia essent ad eius favo- » rem conversa; cum etiam monuissent Nos Consiliarii nostri » Status, nihil ibidem contineri quod praeiudicium inferret » nostrae vel auctoritati vel obedientiae, quae debetur a » Regionibus Inferioribus; cum praeterea Oratores Caesaris » et Ducis Iuliacensis delegati testati sint his ipsis consen- » tanea, quae ab Episcopis, Abbatibus, et aliis Antistitibus » atque Ecclesiasticis scribebantur; quare nostri Consiliarii » Status libenter assenserunt, probarunt, ratificarunt tracta- » tum : Nos quoque libenter assentimus, probamus, ratifi- » camus per praesentes illam pacificationem in omnibus » suis punctis et articulis; promittentes verbo ac fide regia, » in omnibus quae ad Nos spectare possunt, Nos semper » servaturos curaturosque, ut omnes ad quos pertinebit, eos » servent. Ad hoc ipsum statuimus, ut fiant comitia et » unio Statuum Generalium nostrarum Regionum Inferiorum, » nominata in III Articulo dictae pacificationis, in omni modo » et forma et omni pacto, quod plenius in ipso articulo » continetur.

» III. Edicimus, decernimus statuimusque praeterea ut om- » nes nostri milites, Hispani, Germani, Itali, Sequani, aliique » exteri, tam equites quam pedites, qui nunc sunt in nostris » Inferioribus Regionibus, libere excedant ex Belgicis finibus, » ac sine ulla perturbatione vel impedimento, terrestri itinere; » quos non liceat reverti aut revocari ab aliis, nisi bellum » Nobis ab exteris inferatur, et nisi Nobis necessitas revocandi » palam exorta fuerit, probata a Statibus Generalibus harum » Inferiorum Regionum.

» IV. Quod ad tempus excedendi pertinet, copiis exituris sta- » tutum : decernimus et iubemus ut omnes Hispani, Itali, Se- » quani excedant intra viginti dies, postquam a Fratre nostro isi » significatum fuerit, ex omnibus nostris oppidis et urbe Ant- » verpia, omnibus castellis, arcibus et munitionibus Inferiorum » Regionum, quae tenent nunc et ubi sunt, excedant; ac prae- » sertim ex nostro Ducatu Leucorum intra alios viginti dies vel » quanto citius fieri poterit. Qua in re Frater noster omni » diligentia utetur pro viribus, atque intra praedictos quadra- » ginta dies nemini nostrorum militum licitum sit impune » praedari, vel damna inferre, vel quovis modo vexare nostras » Inferiores Regiones, vel finitimas, aut earum habitatores; » sed ubique honeste pacateque vivatur.

» V. Quod ad tempus, intra quod debent excedere nostri » milites Germani, illud fiet statim atque convenerit cum » Statibus de iis quae infra in Articulo XV nostrarum littera- » rum patentium plenius explicabuntur, atque ut rationes » fuerint expletae, ac pro aequitate factum satis.

» VI. Relinquent autem nostri milites, Hispani, Germani, » Itali, Sequani, vel alii quivis nostra stipendia merentes, » ubi exibunt e nostris castellis, urbibus, locis, omnem anno- » nam, tormenta, apparatus bellicos; quae una cum annona, » tormentis, apparatibus bellicis, pro Consilii nostri Status » monitis, concredentur fidei Procerum indigenarum Belgii, » qui erunt eius conditionis, pro privilegiis Inferiorum Regio- » num, quibus magis in praesenti placuerit ipsis Statibus.

» VII. Quod attinet ad iniurias illatas a quovis nostrorum » militum, dum fuerunt in his Inferioribus Regionibus, cura- » bitur ut reddatur ratio, atque iustitia ita procedat, ut pro » omni aequitate conveniet; curabiturque, ut quam citissime » exsequantur instituanturque informationes, tam de princi- » pibus militum quam de quovis alio militari, qui vel in

» Regionibus Inferioribus, vel in finitimis peccaverit, aut
» inique versatus sit; curabiturque ut pro iure ac iustitia
» nostrorum Locorum Inferiorum vel regnorum Hispaniarum,
» vel ubi magis conveniet, ea res iudicetur.

» VIII. Decernimus item ac statuimus, ut omnes captivi
» praedictorum tumultuum ac seditionum causa, utrimque
» libere et sine redemptione dimittantur; ita tamen ut ad
» dimittendum in nostras Regiones Inferiores, nostrum sobri-
» num Philippum Guilielmum Nassavium, Comitem Buranum,
» provideamus et curemus, ut ipse Comes libere remittatur
» statim atque etiam Princeps ipse Auriacus exsecutus fuerit,
» pro viribus, quae decernentur in comitiis Statuum Genera-
» lium, finita unione et consultatione ipsorum Statuum.

» IX. Edicimus rursum, decernimus et statuimus ut contro-
» versia de restituendis Proceribus quibusdam in Principatus
» aut Praefecturas, aut Magistratus, aut de muniis reddendis,
» quibus privati sunt propter discordias et tumultus prae-
» dictos, habeatur in suspenso, donec comitia Statuum
» convenerint, quia tunc illa controversia committetur prima-
» riis Consiliariis, aut aliis iudicibus nostrarum Regionum
» Inferiorum, ut, cognita, pro iure decidatur.

» X. Promittimus praeterea, pro nostro Principis verbo ac
» fide regia, Nos servaturos et curaturos ut serventur ab ipso
» Fratre nostro, et quibusvis tam universorum quam proprio-
» rum locorum Gubernatoribus, qui a Nobis vel successoribus
» nostris instituentur in Inferioribus Regionibus, omnia antiqua
» privilegia, mores, consuetudines regionum; neque fore ut
» alii adhibeantur in consiliis ad iustitiam et administrationem
» publicam, quam inquilini sive indigenae nostrarum Regio-
» num Inferiorum.

» XI. Promiserunt contra ipsi Status, obtestatique sunt
» Deum et homines, quod servabunt integre et incontaminate

» nostram sanctam Fidem Catholicam, Apostolicam, Roma-
» nam, et auctoritatem et obedientiam Nobis debitam, quibus
» numquam adversabuntur. » Ad hunc articulum notat in pag. sequenti Aitsingerus, quod Antverpienses, ut ei satisfacere pro sua parte viderentur, Concionatores qui Fidei Catholicae, Apostolicae, Romanae adversabantur, omnes ad se vocatos urbe tandem excedere iusserunt; quorum nomine, Ioannes quidam Scaliger, Magistratibus Antverpiensibus, in pleno consistorio congregatis, dira minando vaticinatus esse dicitur, scilicet, *quia Verbo Dei indignos se hoc pacto redderent.* Ita Aitsingerus, mox, pag. v° exhibens iconismum camerae ipsius consistorii, sive *(ut hic nominamus)* Collegii, in qua ius dicitur usque modo, iam tum scilicet refecta ad quotidianos iuris dicundi usus cum subselliis operis quidem, ut nunc, scriniarii, sed omnino simplicis, quae superiori seculo exeunte elegantissime refecta sunt, accedente ad materiae nitorem sculpturae ornatu, qualem nostra ferunt tempora solertiora. Ibi post subsellia ultima, adstat iste Ioannes medius inter quinque Collegas, quorum uni subscribitur nomen *Legarus*, et in medio consistit mensa, cui sex primi ministri Senatus circumsident: Graphiarii scilicet, et Secretarii; quorum deinde unus in recessu exprimitur tradens Ioanni sociisque actum dimissionis. Ad latus unum cancellorum adstant octo alii, omnes, uti et priores sex capite detecto, in veste plane seculari, cum aliis sex togam induti cernantur, ut hos esse Praedicantes intelligas, illos non item. Videamus porro articulos compromissionis reliquos.

XI. « xii. Promiserunt item dicti Status, se reiecturos et
» abnuntiaturos omnibus foederationibus initis cum exteris
» ad tutelam et defensionem securitatemque patriae, post
» excitatos tumultus.

» xiii. Promiserunt pariter ipsi Status dimittere extra

» Regiones Inferiores omne genus militum convocatorum, et » impedient ne quis alius in ipsas regiones ingrediatur.

» xiv. Ad significationem vero sincerae suae erga Nos bene» volentiae et observantiae, liberaliter prompteque obtulerunt, » sexies centena millia librarum, quarum singulae librae con» tineant quadraginta grossos, ut vocant, monetae Belgicae. » Huius omnis pecuniae dimidium assignabunt Oratoribus » Caesaris et Delegatis Ducis Iuliacensis, qui Fratri nostro » assignabunt, aut quibus videbitur pro illo ipsis Oratoribus; » ut milites nostri, Hispani, Itali, Sequani, et alii exteri exeant » e nostris castellis et urbe Antverpia, et ex omni alio castello, » urbe, munitione, praeter Germanos; donec habitae et exple» tae fuerint cum illis rationes, ut dicetur paulo inferius. » Alterum vero dimidium dictae pecuniae, per litteras aptas » iubeatur numerari Genuae, cui Fratris nostri auctoritas illud » fieri decreverit, intra duos menses, posteaquam Hispani, Itali, » Sequani excesserint e nostris castellis et urbe Antverpia.

» xv. His de rebus Status ipsi, ut dictum est, receperunt » solvere nostris militibus Germanis sua stipendia, ita ut, » absolutis rationibus praeteritorum temporum, decretis, quae » apparebunt pro aequitate illis deberi plane satisfiat Quam» obrem Nos et Frater noster promittimus adiuvare ipsos Status, » pro omnibus viribus et auctoritate nostra, tam cum haben» tibus rationum libros, ut illos exibeant, quam cum ipsis » Germanis, ut acquiescant rationi postulati; cum etiam Ora» tores Caesarii et Delegati Ducis Iuliacensis sponte se obtu» lerunt, usuros bono officio erga Germanos, ac suppliciter » petituros a Caesare, ut suam auctoritatem hac ipsa de causa » convertat in Germanos. At vero dum satisfiat Germanis, » poterunt morari pacate in nostris Regionibus inferioribus, » quae per nostrum Consilium Status, ad protectionem et » securitatem nostram ac Statuum, ipsis assignabuntur.

» xvi. Promiserunt consimiliter Status praedicto modo, ubi » exierint Hispani, Itali, Sequani ex ipsis nostris regionibus, » se accepturos Fratrem nostrum pro litteris patentibus » nostris procuratoriis, qua ratione convenit huic negotio; » admissurosque iuramentum; cui assistent seque exhibe- » bunt, atque servabunt cetera solemnia debita, quae ser- » vantur in rebus similibus, quae admissa sunt et observata » erga Gubernatores nostros, Vicarios, Proreges in Regionibus » Inferioribus, cui praestari convenit omne obsequium debi- » tusque honor et obedientia; permanente interim in omni » suo robore et vi tractatu Pacificationis Gandavensis, ut supe- » rius dictum est, cum omnibus ab ea manantibus et annexis.

» xvii. Statuimus item et decernimus, ut nostri successores » in ingressu, et Frater noster, et quivis pro Nobis Guberna- » tores, qui admittentur in Regiones Inferiores, tam rebus » universis quam propriis praefecti, vel quilibet e nostris Prae- » sidibus, Consiliariis, Ministris, Iudicibus, antequam ineant » administrationem ac munia, vel attingant gubernacula loco- » rum, solemniter iurent se adservaturos et procuraturos pro » viribus, ut serventur statuta et pacta praesentia.

» xviii. Probamus denique et confirmamus omnes constitu- » tiones de vectigalibus, pensionibus, obligationibus, et vadi- » monia quae Status concesserunt aut concedent iis qui » opem tulerint atque adiuverint pecunia per occasionem » dictorum tumultuum et imprimis ea quae spectant ad dignis- » simam potentissimamque Principem nostram carissimam » sororem, Reginam Angliae.

» xix. Ut vero conditiones praedictas et articulos omnes » reipsa servent, impleant et exsequantur; et quantum in litteris » nostris patentibus continetur ratum stabileque sit, quae omnia » inviolata semper debent persistere. Statuimus ut nostris » patentibus nostrum sigillum adhibeatur; iussimusque ex

» altera parte Fratrem nostrum subscriptione confirmare; ex » altera, Status iusserunt sigillum Statuum adhiberi Ducatus et » Regionis nostrae Ambivaritarum, ita petentibus iis Statibus, » ut subscriberetur ab omnibus aliis Statibus, praecipuo illo- » rum mandato subscriberetur manu nobis dilecti Cornelii » Weellemans, scribae dictorum Statuum Ambivaritarum; » subscripserunt etiam, ad preces nostras et Fratris nostri, » Caesarei Oratores et Delegati Ducis Iuliacensis. Datum in » nostra urbe Bruxellis, die XVII Februarii M.D.LXXVII, anno » regnorum nostrorum Hispaniae, Siciliae, etc. XXIV, Neapolis » vero etc. XXV. » Ubi *Ambivaritarum* nomine intelligo Provinciam terrae Riensis, HET LAND VAN RYEN, cuius caput Antverpia, sub suo Praetore, qui inde vocatur illius terrae *Marchio*, non vero civitatis; quia titulus *Marchionis S. Imperii* reservatur Regi. « Ceterum, inquit Aitzingerus, cum pax » iis conditionibus, quas diximus, fuisset per Caesaris Com- » missarios prope conclusa, additum est postea, ut Auriacus » Hollandiae et Zelandiae regionum Gubernator relinqueretur, » et Buranus Comes intra certum spatium ex Hispania libe- » raretur. » Hactenus ille: pergit deinde Metzius.

ARGUMENTUM.

I. Austriacus permittit Statibus, pro solutione externorum militum Belgio emittendorum, contributionem capitalem; huius per Brabantiam promulgatio, et cuiuscumque capitis secundum suam conditionem taxatio, ex vernaculo programmate.

I. † Post biduum triduumve a receptione, proposuerunt Austriaco Ordines Provinciarum per Deputatos, quod adinvenissent contributionem quamdam capitalem, qua possent exauctorare et dimittere milites non necessarios, petentes ut dignaretur illam approbare Austriacus; quod ille non solum libenter fecit, sed et liberaliter pro sua persona quadraginta

coronatorum millia obtulit, praeter sexaginta millia alia, quae prius iisdem mutuo dederat pro solvendo Hispanorum stipendio, quo citius Belgio egrederentur. Imo nihil beneficiorum Ordinibus praestare omisit, quo posset eorum animos sibi devincire.

Addit Aitzingerus quod « Austriacus, cum Lovanium, ut » antea dictum est, pervenisset, a maiori parte Regulorum ac » Nobilium foederatorum ibidem exceptus, eos ita clementer » ac benigne tractavit ac si nihil umquam grave contra Regem » ac Religionem perpetrassent; atque ut illos magis gratificari » videretur, quos vel maxime culpabiles prae ceteris non igno- » rabat; liberaliter enim eos beneficiis, officiis ac proventibus » cumulavit, inter quos *Hezio*, Bruxellensium Praefecto, ducatos » bis mille annui reditus donavit. »

† Exhibitis praeterea conviviis, ludricis et festivitatibus, tali cum discretione, affabilitate ac familiaritate ita se gessit, ut aequalis prorsus illis atque unus ex ipsis, non autem Gubernator esse videretur, malens hac in parte gradui et auctoritati suae prudens derogari quidpiam, quam vel in minimo etiam occasionem dare hominibus cogitandi, severum ipsum, morosum, vel rigorosum esse Gubernatorem. Multum eidem cupiebat Populus Belgicus, vel propter singularem gratiam, benignitatem, affabilitatem et clementiam, qua utebatur erga tam pauperes quam divites, vel propter virtutem etiam et plus quam humanam discretionem, promptumque iudicium tam proponendi quam respondendi; adeo ut nihil tam arduum tamque difficile umquam proponeretur deliberandum, quin paratam e vestigio haberet responsionem, non aliter sane ac si diu admodum super ea re fuisset meditatus.

CONTRIBUTIO CAPITALIS INDICTA A STATIBUS BRABANTIAE.

Liceat hic mihi contextum historiae interpolare atque explicare qualisnam fuerit contributio, ex consensu Austriaci

indicta a Statibus, per Provinciam Ducatumque Brabantiae, unde de ceteris Provinciis fiat coniectura. Habemus eam vernacula lingua excusam Bruxellae, apud Michaelem Hamont, Catholicae Maiestatis iuratum Typographum, hoc tenore :

« Cum, ad exonerandas Maiestatis suae hereditarias regiones » ab ineffabili oppressione militum, aliquot abhinc mensibus » a Statibus Generalibus deliberatum decretumque sit, indi- » cere ubique personalem quamdam et voluntariam petitionem » et exactionem, secundum cuiusque personae qualitatem, » nemine excepto, quam sua Celsitudo nomine Maiestatis » praefatae approbavit confirmavitque; hinc est quod tres » Brabantiae Status, considerata praesenti necessitate dictarum » regionum, et ad conservandam defendendamque veterem » nostram Catholico-Romanam Religionem, debitamque Maies- » tati suae obedientiam, nec non ad regiones ipsas praeser- » vandas earumque subditos ab omni violentia et invasione, » consenserunt in dictam personalem contributionem, pro » hac solum vice et absque ulla in futurum consequentia aut » praeiudicio privilegiorum, libertatum atque immunitatum, » hunc in modum : »

I. ECCLESIASTICI.

Archiepiscopi, tam praesentes quam absentes, habentes in citimis hisce partibus hoc tempore bona temporalia vel reditus, solvent singuli M libras Artesienses, XL grossorum Flandricorum singulas, et pro singulis suis Capellanis, Nobilibus et Secretariis, ad rationem praedictorum Dominorum (quod etiam de subsequentibus omnibus intelligendum) . DC lib. Artes.

Pro singulis suis famulis et famulabus . XXX schel. Artes.

Pro famulis dictorum Capellanorum, Nobilium et Secretariorum, ad rationem Dominorum suorum . . . . XV schelling.

Pro Episcopis, tam praesentibus quam absentibus, temporalia bona et reditus habentibus in his citimis partibus, solvent singuli ccc lib. ut supra. Similiter sumentur de reditibus vacantium Episcopatuum, Abbatiarum, aliorumque beneficiorum, cuiuscumque naturae, etiam litigiosorum.

Pro singulis eorum Capellanis, Nobilibus et Secretariis	iv lib.
Pro singulis famulis et famulabus eorumdem.	xxx schell.
Vicarii generales solvent	xxxiv lib.
Officiales.	xvi lib.
Promotores	vi lib.
Abbates et Abbatissae, habentes annue v millia librarum vel infra	c lib.
Alii quorum proventus excedunt v millia ad x millia	cc lib.
Alii a decem millibus ad quindecim millia	ccc lib.
Alii a quindecim millibus ad viginti millia.	cccc lib.

et ita consequenter pro excessu.

Religiosi qualescumque ad rationes suorum Praelatorum.	xl schell.

Praepositi omnes proportionate ad Abbates, de suis reditibus solvent.

Decani, Personae Thesaurarii c librarum annui reditus aut plurium	vi lib. plus minus

proportionate.

Scholastici aut Cantores in dignitate et officio, singuli.	xii lib.
Canonici Cathedralium aut basilicarum ecclesiarum	xii lib.
Canonici Collegialium ecclesiarum . .	vi lib.

Canonicae	VI lib.
Pro singulis praedictorum Nobilibus aut Domicellabus	XL schellingos.
Pro singulis eorum famulis et ancillis. .	XX schellingos.
Hereditarii Pastores sive Curati in urbibus aut maioribus municipiis	XL schellingos.
Omnes eorumdem famuli et ancillae, singuli	X schellingos.
Hereditarii Pastores vel Curati in pagis singulis.	XX schellingos.
Commendatores singuli	XXV lib.
Protonotarii singuli	VI lib.
Pro famulis et ancillis dictorum Commendatorum et Pronotariorum singulis. .	XX schellingos.
Capellani et Sacristae seu Custodes in civitatibus	XX schellingos.
Praepositi et Priores in dignitate, Praepositae et Priorissae V millium annui reditus vel infra	C lib.
Alii excedentes a V millibus ad X . . .	CC lib.
Alii a X ad XV	CCC lib.
A XV ad XX.	CCCC lib.
Atque ita proportionate ad excessum.	
Ipsorum et ipsarum Religiosi et Religiosae, singuli ac singulae.	XXX schellingos.
Omnes famuli et ancillae praedictorum Praepositorum et Priorum, Praepositarum et Priorissarum	XX schellingos.
Singulae Begginae de suo viventes. . .	XX schellingos.
Alii minoris conditionis	VI schellingos.

Et ceteri omnes tam regulares quam seculares Ecclesiastici, exceptis Ordinibus mendicantibus, cum non conveniat aliquem

immunem vel exemptum ab hac contributione haberi, propter rationes praenotatas.

Nec non omnes qui plura beneficia possident, quorum reditibus fruuntur, solvent quod taxatum est pro cuiusque beneficii qualitate.

Omnes principales Receptores et Secretarii praedictorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Collegiorum Ecclesiasticorum et Capitulorum, eorumque uxores et viduae solvent pro se ipsis . . VIII lib.

Pro singulis liberis suis. . . . . . . XL schellingos.

Pro singulis suis famulis et ancillis . . X schellingos.

II. SECULARES.

Duces, Ducissae, Principes, Principissae, harum Provinciarum indigenae, absentes vel praesentes, seu praecipuum suum titulum in ipsis habeant sive non; ipsorumque uxores, si viduae, DC lib. ad praenotatum.

Bene intelligendo quod uxores hac taxatione sic comprehendantur, ut solvere teneantur tantumdem ipsae ac viri earum, adeoque pro ambobus duplicanda sit summa, prout etiam in sequentibus.

Pro singulis eorum liberis necdum coniugatis aut beneficiàtis, ad numerum quaternarium, sive iis cohabitent sive non . . . CC lib.

Bene intelligendo quod liberi praedictorum Dominorum, Ducum aut Principum, extra parentum panem constituti, habentes titulum et familiam propriam, solvent secundum taxam sui tituli; uti etiam omnes ceteri facturi sint, quisque secundum titulum et qualitatem suam; quod si eorum aliquis absens fuerit, receptori incumbet onus praestandi taxam.

Marcgravii aut Marchiones, Marcgraviae seu Marchionissae, Comites et Comitissae, Senescalli, et alii Domini ac Dominae altioris ordinis, eorumque uxores ac viduae solvent	CCC lib.
Pro eorum liberis necdum coniugatis, ad numerum quaternarium vel infra. . .	C lib.
Pro singulis Nobilibus vel Domicellis in obsequio praedictorum Dominorum Principum, Marchionum, Comitum et aliorum, solvent ipsi Domini et Dominae, nihil propterea detrahentes de illorum et illarum salario, vel alia quacumque ex causa. . .	IV lib.
Pro aliis quibuscumque minoris conditionis aliter famulantibus, iidem Domini ac Dominae solvent	XXX schellingos.
Barones et Borggravii eorumque uxores et viduae, et alii cuiusvis sexus et qualitatis eiusdem.	CL lib.
Pro singulis eorum liberis necdum coniugatis aut beneficiatis, ut supra.	L lib.
Pro singulis Nobilibus aut Domicellis, ipsorum obsequio adscriptis	XL schellingos.
Pro singulis eorum famulis vel ancillis .	XX schellingos.
Cancellarii Praesides Consiliorum et Rationum ipsorumque uxores et viduae. . .	L lib.
Pro singulis eorum liberis.	VIII lib.
Pro singulis Nobilibus vel aliis ut tales se gerentibus Domicellis et Puellis, calyptram gestantibus vel hukam	XXX schellingos.
Pro singulis famulis et ancillis earumdem.	XX schellingos.
Consiliarii regii, Commissi Finantiarum,	

Equites ordinarii vel extraordinarii, Rationum magistri, Locumtenentes Gubernatorum, Ballivi et Praepositi, principales suae Maiestatis officiales in civitatibus et balivatibus hereditariis aut ad vitam revocabiliter commissis; Advocati et Procuratores atque Fiscales, Ballivi et Praepositi, officiales praecipui suae Maiestatis in civitatibus et balivatibus hereditarii, aut ad vitam vel per commissionem revocabiles; Advocati et Procuratores atque Fiscales supremorum atque Provincialium Consiliorum; Quaestores Dominorum, postulationum aut expeditionum suae Maiestatis, eorumque uxores et viduae. xii lib.

Pro singulis eorum liberis . . . . . iv lib.

Pro singulis Nobilibus, aut ut tales se gerentibus, Domicellis aut Puellis, ut supra. xxv schellingos.

Pro eorum famulis et ancillis singulis. . xx schellingos.

Domini civitatum et municipiorum maiorum, eorumque uxores et viduae . . . xx lib.

Pro singulis eorum liberis . . - . . vi lib.

Pro singulis Nobilibus ut supra. . . . xxx schellingos.

Pro eorum famulis et ancillis. . . . xx schellingos.

Domini pagorum turrim campanilem habentium, eorumque viduae et uxores . . xv lib.

Pro eorum liberis. . . . . xl schellingos.

Pro singulis Nobilibus aut aliis ut tales se habentibus Domicellis aut Puellis, ut supra, singulis . . . . xxv schellingos.

Pro singulis eorumdem famulis et ancillis. xx schellingos.

Omnes alii qualemcumque Dominii titulum gerentibus, uxores et viduae eorumdem. vi lib.

Pro singulis eorum liberis	xxx schellingos.
Pro singulis Nobilibus aliisve ut tales se habentibus, Domicellis aut Puellis, ut supra.	xx schellingos.
Pro singulis eorum famulis et ancillis. .	xv schellingos.
Nobiles titulum nullum habentes, Doctores vel Professores in Theologia, Iure, aut Medicina, eorumque uxores et viduae . .	iv lib.
Pro singulis eorum liberis non coniugatis aut beneficiatis, ut supra	ii lib.
Pro singulis Nobilibus aut aliis, eo nomine ministrantibus, Domicellis vel Puellis, ut supra	xv schellingos.
Pro singulis eorum famulis et ancillis. .	x schellingos.
Alii Nobiles vel Domicellae coelibes, nullum titulum habentes, sine patre et matre vel extra eorum panem et onus, sive in alieno obsequio vivant, sive non	iv lib.
Pro singulis eorum famulis et ancillis. .	x schellingos.
Secretarii, Graphiarii, Auditores rationum Regiarum aut Consiliorum Provincialium; Graphiarii Statuum et Provinciarum, Pensionarii, Secretarii, Graphiarii vel Syndici civitatum vel regionum, exceptis oppidis minoribus; eorumque uxores et viduae . .	iv lib.
Pro singulis eorum liberis	xx schellingos.
Pro singulis eorum famulis et ancillis. .	x schellingos.
Quaestores principales Ducum, Principum, Marcgraviorum, Comitum, Baronum, Seneschallorum et Burggraviorum, eorumque uxores et viduae.	viii lib.
Pro singulis eorum liberis	xl schellingos.
Pro singulis eorum famulis et ancillis. .	xv schellingos.

Advocati, Graphiarii aut Secretarii aliarum Curiarum, tam secularium quam ecclesiasticarum, Medici Practici, eorumque uxores ac viduae	IV lib.
Pro singulis eorum liberis	XX schellingos.
Pro singulis eorum famulis et ancillis . .	X schellingos.
Cives de suis reditibus viventes, Caupones, Stabularii, Oenopolae, eorumque uxores et viduae	IV lib.
Pro singulis eorum liberis	XX schellingos.
Pro famulis et ancillis singulis	X schellingos.
Procuratores, Uxarii, Chirurgi et alii similis conditionis, ipsorum uxores et viduae.	LX schellingos.
Pro singulis eorum liberis	X schellingos.
Pro singulis eorum famulis et ancillis. .	V schellingos.
Mercatores, negotiationem grossam exercentes, vel negotiatores alii gladium portantes, vel quorum uxores capucium vel hukam gestant, vel quae filo-serico aut gemmis ad collum ornantur: ipsae illae uxores et viduae eorum	XX lib.
Pro singulis eorum liberis	V lib.
Pro singulis eorumdem famulis et ancillis.	XX schellingos,
Arcarii eiusmodi mercatorum et proxenetae, eorumque uxores et viduae, singuli .	XL schellingos.
Pro singulis eorum liberis	X schellingos.
Praecipui mercatores, habentes tabernam sericorum aut laneorum pannorum, tapetum, linteorum, aromatum, mercium variarum, apothecariam crassiariam aliamve similis qualitatis, ipsorumque uxores et viduae, singuli	LX schellingos.

Pro singulis eorum liberis	xx schellingos.
Pro singulis famulis et ancillis	xv schellingos.
Alii mercatores, aut tabernam habentes minoris qualitatis mercium, eorumque uxores et viduae	xxx schellingos.
Pro singulis eorum liberis	x schellingos.
Pro singulis famulis et ancillis. . . .	v schellingos.
Omnes generales Ministri, Praepositi et Wardini Monetarii, eorumque uxores et viduae	vi lib.
Pro singulis eorum liberis	xxx schellingos.
Pro singulis famulis et ancillis . . .	x schellingos.
Omnes monetarii, cusores monetae, et operarii, eorumque uxores et viduae . .	x schellingos.
Pro eorum liberis.	o.
Omnes famuli et ancillae praedictorum Dominorum, annue merentes salarium octodecim aut plurium florenorum ultra victum, quique in particulari solvent	x schellingos.
Omnes artifices et opifices officinam habentes, eorumque uxores et viduae . . .	x schellingos.
Pro eorum liberis.	o
Caupones cerevisiarii, et fidicines tabernarii, eorumque uxores et viduae. . . .	xx schellingos.
Pro singulis eorum liberis	v schellingos.
Pro eorum famulis et ancillis	o.
Omnes artifices et opifices tabernam non habentes, manuoperarii tam intra quam extra civitates, neque ex eleemosynis aut mensa S. Spiritus viventes, et plus quam sex schellingos in diem lucrantes. . . .	vii schellingos.
Villici et principales coloni atque spectabiliores personae pagorum, eorumque	

uxores et viduae sigillatim solvent. . . . LX schellingos.

Pro singulis suis liberis . . . . XX schellingos.

Pro singulis famulis et ancillis . . . . X schellingos.

Alii villici et coloni minoris conditionis, eorumque uxores et viduae . . . . . . XXX schellingos.

Pro singulis suis liberis . . . . X schellingos.

Pro famulis et ancillis. . . . . O.

Omnes nummularii vel nummulariam mensam tenentes per alios, solvent pro mensa unaquaque. . . . . L lib.

Pro famulis et ancillis . . . . X schellingos.

Eorum factores, uxores ac viduae ipsorum factorum pro se ipsis solvent. . . . XL schellingos.

In his porro intelligendum :

I. Quod pro liberis numerum quaternarium excedentibus, nihil exigendum sit.

II. Quod omnes minorennes, patre ac matre orbi, tenebuntur solvere per suos tutores vel curatores, pro cuiusque conditione, qualitate vel statu, secundum taxam praenotatam.

III. Coniugati omnes, cuiuscumque sexus, qui liberos non habent, itaque minus gravantur, solvent duplum eius quod alii similis conditionis, liberis onerati.

IV. Similiter innupti omnes supra annum XXX, utriusque sexus, patre et matre orbi, solvent duplum taxae sibi impositae, aeque ac coniugati carentes liberis.

V. Personae omnes, tam seculares quam ecclesiasticae, diversis qualitatibus praeditae, debebunt solvere supra notatam taxam, proportionate ad principalem suum titulum et qualitatem; insuper pro suis nobilibus, ministris et famulis utriusque sexus; pro praesentibus quidem in loco suae residentiae, pro absentibus vero in loco sui principalis tituli, in manu sui Receptoris vel Commissi; hoc autem facto, exonerati

manebunt ex parte aliarum suarum qualitatum, excepta pluralitate beneficiorum, ut supra dictum et declaratum est.

vi. Ut autem collectatio praenotatarum taxarum facilior et expeditior reddatur, Magistratus singularum civitatum, municipiorum et pagorum constituent binos homines, plures aut pauciores in singulis vicis, quemadmodum convenire iudicabunt, qui infra proximos octo ut summum dies, facta visitatione, collectione, descriptione et relatione personarum cuiusque loci et qualitatum omnium, eosdem moneant, ut quisque taxatos sibi nummos habeat paratos ad diem octavum sequentem, ipsiusque descriptionis chartas tradant suo cuiusque Magistratui, qui easdem committat duabus personis, pluribus aut paucioribus a se deputandis, ut ipsos nummos colligant intra tertium octiduum, simulque expendant et recognoscant ac verificent quam bene vel male facta sit relatio secundum cuiusque qualitatem.

vii. Utrique Commissi, tam ad descriptionem personarum quam ad collectionem nummorum, facta omnium collatione, separabunt inde centesimum nummum, trifariam dividendum; cuius pars una cedat in salarium descriptionis, duae aliae Collectori, qui obligabitur etiam apocham factae solutionis dare eis qui petent.

viii. Idem Collector non obligabitur plus quam unica vice accedere ad domum cuiusque taxati; sed omnes qui ipsi statim non solverint, obligabuntur taxam suam ultro ferre ad domum illius, infra octiduum ad hoc definitum, sub poena ipsius taxae in sextam partem augendae.

ix. Ita tamen ut nulli, cuiuscumque magnae vel parvae auctoritatis vel qualitatis, licebit in solutionem adducere aliquid a sua Maiestate vel Generali aut Provinciali Statu sibi debitum, cuiuscumque naturae aut conditionis id sit; sed quilibet obligetur suam taxam et quotam prompte in parata ac patenti

pecunia solvere; quandoquidem patria frustranda alias esset eo fructu, qui ex hac petitione speratur. Id quod unicuique debet praecipue cordi esse, et pro tanto bono quantum est communis quies, posthabere omne suum interesse particulare, idque prompte ac libenter.

x. Quicumque sua qualitate abusi fuerint, reticendo numerum suorum vel liberorum vel famulorum ancillarumve, incurrent poenam duplicandi taxam suam, pro ea quam celaverint parte.

xi. Nummi autem huius collectionis censebuntur privilegiati, tamquam nummi Principis et Domini, sive suae Maiestatis, et ut tales vero effectu dabuntur executioni.

xii Quod si super iis difficultas vel quaestio aliqua oriatur, ea definietur ad arbitrium et iudicium Magistratuum quatuor capitalium urbium, qui stante pede totam diriment, accepta anticipate ea ipsa summa, de qua controvertetur. »

II. Habent hic oeconomiae publicae privataeque, veteris et hodiernae, curiosi quod expendant, tempora temporibus, causas causis, gravamina gravaminibus conferendo. Unum hic te velim, lector, considerare, quod Status, Regi suo rebelles, eorumque incentores, dum coram populo aliud nihil crepabant quam tyrannidis Hispanicae intolerabilem immanitatem, et oppressi populi sublevationem modis quibuscumque quaerendam, nihil grave duxerint eorum, quae Auriacus et factionarii eius quotidie excogitabant ad emungendam miseram plebem, praetextu tuendae libertatis et privilegiorum suorum. Quanto tamen leviora sunt illa, quam quae nunc ferunt et perferunt populi, contra Religionem Regemque olim foederati, et nunc tanto sanguine tantisque impendiis quaesita et acquisita libertate fruentes, si non servitute graviori oppressi. Lepide et sarcastice ab annis non multis Roterodamensis quidam civis, suo ex Brabantia hospiti ostendens Hispaniae Regem, in vitrea frontali

ecclesiae istic maioris expressum : Hic est, inquit, tyrannus ille, qui decimum nummum a nobis petiit, dum clementissimi Domini nostri secundo contenti sunt.

ARGUMENTUM.

I-II. Hispanis arce Antverpiensi excedentibus, eius regimen accipit Arschotanus. III-VII. Interim contra Austriacum, velut foedifragum, Auriacus concitat plebem Bruxellensem, dum ipse nihil minus quam pacta Gandavensia servat.

I. † Redeo ad Metzium : qui cum (ut supra vidimus) exposuisset quam facilem se ad omnia, soli paci intentus, exhiberet Austriacus, infra quam par erat, dignitatem suam Regisque sui Maiestatem dimittens : In vanum, inquit, laborabat ille : secretiores enim illi, quos Auriacus Statibus adiunxerat, Consiliarii in sequiorem partem interpretabantur omnia, et cunctis persuadebant, universa eius opera esse hypocritica, fraudeque ac dolis plena, quo illum vulgo odiosum redderent, et idolum suum, Principem Orangium, apud omnes magnum facerent; quasi, semel eo ad Reipublicae gubernacula promoto, optata libertate populi fruituri essent.

« Pergebat nihilominus Austriacus exsequi promissa; postea » quam vero advenisset dies xx Martii, terminus Hispanis » ordinatus atque statutus ut arces et loca cum castellis ab » ipsis obtenta redderent (inquit Aitzingerus), venit Dux » Arschotanus, cum Oratoribus Caesaris *D. Barone de Winneburg*, et Consiliario Imperatorio *D. Gayl*, ad recipiendam » arcem Antverpiensem, faciendumque fidelitatis homagium, » quod vocant, PHILIPPO Regi Hispaniarum, in manu Secretarii » *Iacobi Escovedii*. Qui quidem Dux pariter accersiri iussit » militem suum Walonem, qui in Hispani locum succederet » arcemque custodiret. »

II. « Praefectus arcis, *Sancius d'Avila*, se mox absentavit,

» nec traditioni praesens interesse voluit; rem indignam existimans (ut ex eis habeo qui eum hoc loquentem audiverunt), » non quidem quantum ad suam personam attineret, verum » pro ea potius affectione quam singulariter haberet serviendo » suo Regi; probe prospiciens quod ex eiusmodi traditione » eventurum esset inconveniens. Quare suo Locumtenenti Martino del Rio negotium commisit; qui ad illud exequendum, » convocans omnes in arce Hispanos, iussit attolli pontes » et claudi portas arcis; ipse vero egreditur tandem cum » clavibus obviam Duci aliisque Nobilibus qui simul venerant, » ut per falsam portam ingrederentur.

» Verum in introitu descendentes de equis suis, substiterunt in pontis una parte; ubi praedictus Secretarius » Escovedius, nomine Regis, homagium ac fidelitatem sibi » fieri petiit ac postulavit, quemadmodum id a castellorum » vel arcium Praefectis fieri consuevit huiusmodi munia in » se recipientibus. Ibi tunc Arschotanus Dux suam manum » manui Secretarii postulantis imponens, reverenter postquam » caput aperuisset, iuravit, homagiumque fidelitatis hac forma » praestitit : » † *Ego Philippus de Croy per Deum Virginemque Mariam super Sancta quatuor Evangelia, promitto custodire ac tenere hanc arcem pro servitio suae Regiae Maiestatis Philippi Domini nostri; nec tradere cuiquam alteri praeterquam suae ipsius personae, aut successoribus suis, sine expresso suo mandato.* Ad quod Secretarius replicans haec verba scribitur dixisse : *Si sic feceris quod dicis, Deus te adiuvet; sin minus, diabolus te auferat cum corpore et anima.* Tunc quilibet dixit *Amen.*

« His ita peractis, Martinus del Rio claves illi e vestigio » tradidit, atque ita Dux Arschotanus, tamquam novus Gubernator, introduxit praesidiarium militem suum Walonem in » arcem, interea dum egrederetur miles Hispanus; quod a multo » iam tempore summo cum desiderio efflagitaverant Belgae. »

III. Additur hic iconismus, ubi repraesentantur egredientes per Caesaream portam Hispani versus Traiectum, praecedente curru, quo vehebatur Comes Egmondanus (eius filius quem Albanus fecerat decollari) et anonymus alius, fortassis Hieronymus Roda, de quo apud infra citandum Mirteum lego, quod a die XXIII Septembris Civitatis regimen sibi coeperat arrogare. Post currum illum spectantur in tabula equites sclopetarii sex, totidemque tormenta currulia, adequitantibus eorumdem uxoribus; superius vero cernitur ingrediens, per portam S. Georgii, legio pedestris Arschotani Ducis, et per planitiem, hinc usque ad castrum porrectam, circumducta. Inter castrum autem et dictam Caesaream portam cernitur vetus porta Georgiana, nunc versa in domum Gildae Gladiatoriae, amoto altiori quondam fastigio, quale est hodiedum, et in molem quadratam humiliata, ac tecto bifariam diviso cooperta, sicut ante incendium cooperiebatur turris imperfecta ad D. Virginis.

IV. † Post egressum Hispanorum (ut cum Metzio progrediar), ii, quos supra dixi, secretiores Auriacae factionis Consiliarii, totis viribus conati sunt persuadere Ordinibus Provinciarum, necessarium esse ut, retentis Scotis et militibus Principis, statim dimitterentur Germani; non animadvertentes, quod hoc directe repugnaret Articulis pacis, inter Austriacum et Ordines initae; quorum decimo tertio disertis verbis disponebatur, quod, egressis Hispanis, Ordines promiserant eiicere omnes milites extraneos, ut erant Scoti; et decimo quinto, quod, egressis iisdem Hispanis, Germani possent in Belgio pacifice haerere iis locis, quae illis per Consilium Status designarentur.

Hoc vero cum allegabatur contra propositionem illorum per quosdam Regios, aegerrime tulerunt quod non potuerint impetrare tum quod volebant; non tamen ob id cessarunt,

sed omnium animos commovere studebant, ut Germani dimitterentur; hoc enim expedire omnino clamabant, si vellent patriam semel liberari a servitute qua pressa erat, et a gravamine quo exhauriebatur. Cum autem diceretur de dimittendis militibus Ordinum, respondebant illos adhuc esse necessarios; quo autem id studio et intentione, ipsimet postea declararunt. Nempe ut Austriacus destitueretur omnibus viribus, quibus se contra eos tueri posset, his et similibus vocibus in conventu utentes: Quamdiu Germani in his regionibus haerebunt, nihil poterimus impetrare ab Austriaco. Haec fuit illorum intentio, hoc studium, dum urgerent Germanos dimittendos; et voluerunt Tribunos Ordinum cum suis militibus sub sua potestate manere, ut erant ante receptionem Austriaci.

V. Et sane, quantum mali meditabantur inferre illustrissimo Austriaco, et in quam turpem et servilem conditionem coniicere, satis declaratum est per petulantem et ignominiosam supplicationem civium Bruxellensium, suae Celsitudini, cum adhuc Bruxellae esset, exhibitam. Nam hoc certum est, quidquid per cives Bruxellenses gerebatur, hoc esse actum instinctu et de consilio secretiorum istorum Consiliariorum; ut, nisi Austriacus instar Regis Davidis fuisset protectus a Deo, in abscondito tabernaculi sui, non potuisset umquam evadere tanta mala, quae ei ab his hominibus parabantur; neque se extricare ex laqueis qui ei undique tendebantur. Eapropter omnes pii Catholici existimant, illum divino Spiritu ductum, dum se in castrum Namurcense recepit, non solum ut conservaretur persona ipsius, quae tantopere Reipublicae nostrae erat necessaria, sed ut servaretur Religio Catholica integra et illaesa, Regique auctoritas debita. Nam certum est, quod personam ipsius aut tandem grandi aliqua ignominia affecissent, aut Religio et auctoritas Regis graviter fuissent

laesae; quo nihil certius scribi vel dici posse quilibet facile intelligent, si expendant diligenter quaecumque inter Ordines et Austriacum in illud usque tempus sunt gesta.

Nam quod illum culpare nituntur, quasi prior violarit contractum pacis, inter ipsum et Ordines initum, quaedam a Principe postulando contraria Pacificationi Gandensi, falsissimum est.

VI. Et qua fronte, quaeso, aut temeritate audent hoc proponere? Cum, si inspiciant acta sui Principis, facile visuri sint, nisi prorsus caecutire velint, quod numquam vel unum Articulum pacis Gandensis servaverit qui faceret vel pro Catholicis, vel pro Regia Maiestate; nam, pace composita, non cessavit sibi usurpare dominia regia, illa vendendo et alienando. Dedit enim dominium quoddam regium in territorio Heusdensi cuidam sceleratissimo apostatae, eo quod fortem se semper exhibuerat in bello contra Regem. Donavit gubernationem castri et oppidi Heusdensis cuidam Ioanni Bax, Buscoducensi, expulso regio Gubernatore, cuius donatio et dispositio ad solum Regem semper spectavit.

Usurpavit sibi quoque de facto primam auctoritatem in civitate Graviensi, quae semper ad solum Regem pertinuit; et, partim occisis, partim expulsis militibus Regis, introduxit illuc militem suum; quae omnia iuxta Pacificationem Gandensem facere non potuit. Nam, etsi reditus et proventus civitatis Graviensis, iuxta oppignorationem per praedecessores suos factam, ad illum fortassis spectarent, certe primam auctoritatem in civitate sibi adscribere non potuit quae semper ad solum Regem spectavit; et pro qua, antequam eam de facto occuparet, maximae fuerant contentiones inter Ordines; fautoribus Principis sustinentibus ipsi tradi debere gubernationem civitatis Graviensis, aliis contra negantibus. Notum quoque est omnibus quod gubernationem civitatis et

territorii Traiectensis occupavit Auriacus, contra Pacificationem, ut apud Ordines saepe defensum est. Notum insuper est quae onera imposuerit Heusdensibus et Amstelodamensibus, contra Pacificationem, in gravissimum detrimentum Religionis Catholicae et ordinis Ecclesiastici.

Usurpavit sibi etiam telonia et alia regalia per totam Hollandiam Zelandiamque, ut omittam quod tormenta regia fuderit, et alia suis insignibus atque nomine inscribi curaverit. Item quod naves bellicas vendiderit, et alia multa quae Regiae Maiestati debebantur, et erant restituenda.

VII. Quid autem Catholicis, iuxta Pacificationem Gandensem tribuere debeat, notum est ex ipso contractu; nemo tamen Ecclesiasticorum ab inita pace quidquam bonorum suorum recuperare potuit; imo de novo bona illorum elocata sunt, ad utilitatem Statuum Hollandiae et Zelandiae, et gravata stipendio falsorum et haereticorum praedicatorum et doctorum, iuxta Decretum publicatum Dordraci. Huius rei testes sunt Moniales oppidi S. Gertrudis, et Moniales tertiae Regulae in oppido Lovaniensi; testes sunt Carthusiani Lovanienses, Lyrenses, Gertrudani, Buscoducenses et alii innumeri.

Taceo de bonis et fidelibus subditis Regis, ad tempus ab Hollandia exulantibus, quod nec illi bona sua recuperare potuerint, quae ex decreto pacis Gandensis illis debebantur. Quin imo a pace inita non desiit Princeps diruere monasteria et loca sacra, ac vendere etiam materialia eorumdem. Nam in oppido Asperensi in Hollandia dirui fecit monasterium Cruciferorum; apud Bommeliam in Roshem vendita sunt omnia materialia monasterii ibidem constituti. Item monasterium Carthusianorum apud S. Gertrudem diruit, et ex materialibus construxit sibi palatium. Diruit et monasterium Monialium in eadem civitate S. Gertrudis; idem fecit de monasterio Franciscanorum in oppidis Goudae et Dordraci. Ut omittam alia multa iniqua et

execranda, quae perpetrarunt contra Pacificationem. Adhuc (si diis placet) idolum suum defendunt, asserentes illum non violasse tractatum Pacificationis Gandensis. Sic caeci caecos ducunt, et tandem in foveam damnationis simul corruunt.

ARGUMENTUM.

I. Middelburgensis Electus Bizilingensium Nonnarum Conventum in Zelandia Conventui Antverpiensium commendat. II. Hispani ultimum comparent Antverpiae. III-IV. Austriacus, parum tutus Bruxellis, inde Namurcum se recipit. Silvaducis ab Ordinum milite obsidetur et capitur. Metzius hic suum Commentarium finit.

I. PRIUSQUAM ad huius anni acta alia progrediar, placet hic proponere diploma Electi Middelburgensis, tamquam propius spectans Antverpiam nostram, quo is providere conatus est caro sibi Nonnarum Bizilingensium monasterio in Zelandia, in tali rerum articulo, quo illud cito dissolvendum videbat, dum civitatem adhuc Catholici occuparent; vel saltem efficere ut eius bona servarentur; nec aliquid consultius habuit quam de ipsis disponere in favorem earum quae in urbem nostram olim inde adductae fuerant, ut quibus incumbebat illius vel conservationi, vel (si res aliter caderet) erectioni aliquando, cum possent filiali affectu providere. Ipsum ex teutonico latine sic sonat :

« Nos IOANNES VAN STRYEN, Dei et Apostolicae Sedis gratia » Electus, Episcopus Middelburgensis in Comitatu Zelandiae, » notum facimus omnibus quoscumque id attinuerit, quod, » cum propter gravissimas rationes statutum habeamus alio » proficisci, et iam nunc Belgio pro parte discesserimus; ne, » causa absentiae et discessus nostri, Conventus Domicellarum » et Nonnarum foris Bizilinge, in Zuyt-Bevelandia, Ordinis » SS. Augustini et Victoris, cuius plena administratio ad nos

» spectat, non deveniat in desolationem, sed e contrario
» religiose, decenter et utiliter regatur et conservetur, tam
» quoad personas quam temporalia bona; praemissa delibe-
» ratione matura, et plene confisi de prudentia et discretione
» Reverendae Dominae, Dominae *Ioannae van Tongerloo*,
» Dominae et Priorissae Domus Dei et Conventus intra civita-
» tem Antverpiensem siti, Ordinis praedicti, constituimus et
» commisimus, atque per praesentes litteras committimus et
» constituimus ipsam Reverendam Dominam Ioannam admi-
» nistraticem, rectricem, conservatricem et procuratricem
» tam personarum quam bonorum Conventus et Domus Dei
» *Ierusalem;* ut easdem personas et bona, prout sibi bene visum
» fuerit, administret et regat, secundum suam discretionem,
» quoad receptionem et erogationem pecuniarum, ad Dei
» gloriam et maiorem ipsius Conventus utilitatem; etiam cum
» personarum correctione, secundum Regulam, discretionem,
» et necessitatem; utque *Ymandum Claes*, modernum quae-
» storem Conventus a nobis constitutum, in officio retineat,
» vel ab eo deponat, prout suae Reverentiae consultum vide-
» bitur, pro rerum conditione; unumque aut plures in eius
» locum substituat, horumque aut ipsius rationes excipiat et
» concludat; atque ex eiusdem *Ymandi Claes* vel aliorum
» quaestorum manibus accipiat reliquata, deque omnibus in
» debita forma tradat quitanciam, et transigat; non obstante
» interdicto, per aliquam Nonnarum aut alteram quamcumque
» personam interposito vel interponendo; ac denique in genere
» ad faciendum vel omittendum quidquid huc poterit utcum-
» que spectare; et quidquid nos possemus aut deberemus
» facere, si ubique praesentes et inspectantes adessemus;
» etiam quando opus esset mandato magis speciali quam hisce
» descriptum habetur; signatim autem circa omnes causas
» et lites, cuiuscumque generis sint, sive petitoriae sive

» defensoriae, verbo aut scripto, atque ad defendendum, tuen-
» dum et observandum iura Conventus in quacumque Curia
» seculari vel ecclesiastica, contra quamcumque personam et in
» quacumque causa, nulla excepta; item ad qualecumque conve-
» niens iuramentum, quod ius patietur, nomine nostro et in
» animam nostram praestandum, prout id competere potest
» bono administratori et fideli procuratori ad causas et ad lites,
» cum potestate substituendi unum aut plures alias procura-
» tores, paris aut limitatae auctoritatis et potestatis; promit-
» tentes, sub obligatione bonorum ipsius Conventus, ratum,
» firmum atque in perpetuum stabile habere quidquid a
» praedicta D. Ioanna, eiusque substitutis quaestoribus aut
» procuratoribus, insimul aut singulis seorsim, circa prae-
» scripta tractabitur, administrabitur, vel agetur; et iudicatum
» praestare, si opus sit, salvo quod sua Reverentia Nobis,
» tamquam Episcopo Middelburgensi, et Superiori Conventus
» praedicti ab Apostolica Sede constituto, atque ad id ordinato,
» reddet aequam et congruam rationem administrationis suae
» ad utilitatem ipsius Conventus, quandocumque requiretur.
» In quorum fidem publicam consuetum nostri Archidiaconatus
» sigillum ad causas hisce appendimus, eo quod sigillum
» Episcopatus nostri ad manus non habeamus; et manu nostra
» subsignavimus, in civitate Coloniensi, per subscriptum nota-
» rium publicum, residentem in praedicta civitate, coram Reve-
» rendo Patre ac Domino Wilhelmo vander Lint, Episcopo
» Ruremondensi, et Balthasare Messyng, ad hoc specialiter
» rogatis et vocatis, die XXVIII mensis Martii anno M.D.LXXVII.

Subscriptum Ioannes van Stryen, Electus Middelburgensis; *et infra :* ad mandatum Reverendissimi Domini Electi Middelburg. Gisbertus Lanzinck, Notarius Apostolicus.

Egi de Electo isto in Corollario III ad Acta Norbertina VI Iunii, num. 87; ubi leges, extremis obsessae urbis diebus

anno M.D.LXXIV, a moriente decessore designatum successorem, illaque hosti tradita, coactum ab ea discedere; et inde mox iussum exesse, eodemque tandem anno, quo Coloniae dictavit praescripta, accepta confirmatione Pontificia, Namurci consecratum Episcopum XV Augusti. Apparet autem hic quoque, ut passim alibi, permissas esse manere Religiosas ex suorum monasteriorum reditibus ad fiscum delatis victuras; quarum ultima, demum Antverpiam venire permissa, aliud nihil efferre huc potuit quam servatas furtim monasterii sui chartas, cum iam pridem hic Antverpiae haberetur membrana Episcopalis, quam descripsi; quae utinam, versa aliquando rei Catholicae apud Hollandos fortuna, servire ad restaurandas ibi res possit.

II. His occasione temporis interiectis, rediturus ad Austriacum, congruum censeo eius historiam paulo altius retexere ex Mirteo usque ad renovationem Magistratus. « Die XXI Ianuarii, » inquit ille, rumor tota Civitate cucurrit. quod pax, com- » posita inter Ordines Generales Statuum illustrissimumque » Austriacum, designatum a Rege Gubernatorem Belgii, » publicanda esset XXVI; et XXIX, deposito pignore certabatur, » eam omnino conclusam; postridie vero contraria fama » tractationes abruptas nuntiavit. Ita variatum de die in » diem fuit, usque ad VII Februarii, quando certis litteris » rescitum fuit convenisse partes, sub ea imprimis con- » ditione, ut externa omnis militia Belgio excederet, post » dies decem a publicatione; omniaque munita loca, custodiae » suae commissa, traderet Gubernatoribus huiatibus, ab Au- » striaco, cum approbatione Ordinum, designandis.

» X Februarii, extremum sui spectaculum Antverpiensibus » praebituri Hispani, larvati ac triumphabundi per Civitatem » discurrerunt; et XIV, plures quam ducenti equites egressi » sunt. XVII, in area Merana compositum est septum, in quo

» iidem Hispani equites decurrerunt ante triumphale castrum,
» ibidem erectum, perquam hilares et iucundi, coram innumera
» civium spectantium multitudine. XVIII, cognitum est pacem
» fuisse publicatam Bruxellis, post solemne Sacrum, inter
» clangores sonitusque tubarum ac tympanorum; cuius nuntii
» causa ingens fuit tota urbe laetitia, publice multis argu-
» mentis demonstrata.

» XXI Februarii, Secretarius Philippi Regis Antverpiam venit;
» et postridie cum Hispanorum Tribunis egit de stipendiis
» adhuc debitis. Illum die XXV secuti Commissarii, Bruxellis
» advecti sunt, quando in ornatissimo ante Curiam combustam
» pegmate, tibicines et fidicines Civitatis praeludere coeperunt
» paci, publicandae sub grandioris campanae festivo plausu.
» Die XXVII, ibidem cantatum fuit solemne Sacrum, et coram
» Secretario Regio atque Commissariis Ordinum, publicata pax
» est, sub horam decimam antemeridianam. XXVIII, edictum
» est, ut milites omnes sub suis quique vexillis comparerent,
» seque praepararent ad emigrandum intra diem vigesimum.

» Die III Martii, Dominus IOANNES AUSTRIACUS Lovanium
» venit, et honorificentissime exceptus ibidem, post dies
» aliquot iaculatus ad psittacum, eum decussit, et Guldam
» honoravit nova ac pretiosa epomide, ipsi ad eum actum,
» tamquam Regi sodalitii totius, confecta; eodemque die
» hic Antverpiae ad sonum tubae edictum est, die V faciendam
» lustrationem, ad quam milites omnes, sub suis vexillis
» comparituri, acciperent solutionem; et die XX, egressi sunt
» ex arce, cum uxoribus, liberis ac spoliis suis. Deinde post
» prandium, Gubernator castri claves tradidit Duci Arschotano
» coram Commissariis ad id per Ordines deputatis; statimque
» per eiusdem castri posticum ingressa sunt quatuor vexilla
» Walonum; eodemque die etiam Antverpia excessit Guber-
» nator Sancius d'Avila.

» Iis digressis, occasione usus Auriacus, cum quibusdam » Bruxellis egit ut sibi vi Pacificationis Gandensis restitue- » retur civitas et castrum Bredanum; qua de re non fuisse » congruas sententias, liquet ex eius epistola Actis Statuum » inserta, ut ad ipsos directa die IX Aprilis; per quam eis » primum gratias egit pro favorabili ad suam supplicationem » assensu; sed miratur ex ipso Consilio Statuum fuisse qui » dissentirent; ac serio considerandum monet, quam pe- » riculosum Reipublicae sit eiusmodi aliquos inveniri et » tolerari, qui publico commodo sic audeant adversari, » evertendo decreta conventionis tam solemnis, a qua totius » Belgii tranquillitas pendet. Data est epistola Dordraco, Hol- » landiae civitate; unde liquet ipsum ibi tum fuisse, sed » consilio auctoritateque Bruxellis praesentem.

» Exhinc usque ad Iulium satis quieta fuere omnia, » exspectantibus universis, quo tandem eruptura esset Au- » striaci deliberatio, Bruxellis Mechliniam egressi, et frustra » rogati redire in diem XIII Iulii, quando ducenda erat » processio cum Venerabili miraculoso, quam Principes ac » Gubernatores Belgii soliti erant comitari; quod ille merito » excusavit, certus de insidiis sibi structis. Interim tamen » designavit novum Antverpiae Magistratum, renuntiandum » die XXVII Iulii, feria IV, prout factum; nullis tamen » Commissariis nominatis; quos etiam nullos missos credo, » nolente Austriaco ansam aliquam praebere civibus, praeten- » tendere volentibus id sibi iam suo iure licere, quando reno- » vatio facta non erat circa festum S. Andreae, sicut eis tali » casu indulgebat Antonii Ducis Privilegium, alias memoratum, » aut saltem prima post Pascha Dominica, vel in ipsa Paschatis » Parasceve, prout postea erat institutum. »

III. Quae porro gesta sunt, inquit Metzius, suum hic commentarium finiens, ab eo tempore quo sua Celsitudo se recepit

ad castrum Namurcense, aliis notiora sunt; nam ante hoc tempus excludebar a Consilio per Abbates Villariensem et S. Gertrudis Lovaniensem, qui diutius nolebant Episcopos tolerare in Consilio Ordinum Brabantiae, eo quod nimium faverent partibus Austriaci. Quare, salutato eodem illustrissimo Domino, redii ad sedem meam Episcopalem; in qua postquam tribus septimanis functus essem officio meo, cincta est civitas Buscoducensis a militibus primum Principis, quibus post aliquot dies accesserunt aliquot vexilla militum Statuum, sub Capitaneo Domino de Hollach; quae obsidio ad septem hebdomadas duravit; donec tandem, deficiente annona, Germani inierunt quod recederent.

Haec obsidio sollicitata fuit per quosdam cives Buscoducenses qui expulsos volebant Germanos, quo libere possent conspirare cum reliquis civitatibus contra Regiam Maiestatem et suam Celsitudinem, et recipere Principem Orangium in Gubernatorem, prout statim, egressis Germanis, factum est. Et quia nonnulli ex huius farinae civibus frequenter egrediebantur civitate, et communicabant cum militibus Principis, factae sunt complures conspirationes, ut, trucidatis Germanis, milites Principis possent occupare civitatem. Et tentarunt id quidem illi facere XXIX Augusti, ipso die Decollationis S. Ioannis Baptistae; nam sub horam duodecimam in meridie (prout conspirarant) accesserunt ad portam civitatis, quam vocant DE HENTERSPOORT, aliquot vexilla militum Principis, sub spe quod per intraneos conspiratores ipsis aperiretur. Iamque inceperant aliquot antesignani huius conspirationis occidere quosdam de custodibus; sed, reliquis Germanis statim ad arma conclamantibus, praeter paucos quosdam, nemo ex illis ausus est egredi domo. Quare illis paucis partim caesis, partim captis, Germani reportarunt victoriam; et civibus ita fuerunt timori, ut post aliquot dies ipsis ausi sint eripere arma, quae comparaverant ad ipsos invadendos.

IV. Quot autem scelera tempore obsidionis commiserint milites isti Principis, quot stupra sacrarum virginum, nemo credat. Quales autem blasphemias singulis diebus protulerint, nunc in Religionem Catholiçam, nunc in caeremonias Ecclesiae, nunc in ipsum Regem, nunc in Austriacum, longum nimium foret recensere. Mihi saepius curarunt nuntiari, quod me suspenderent, quia mihi imputabant quod tam diu Germani se defenderent; et aegerrime tulerant quod in concionibus, quas habueram ad consolandum populum, detexissem scelera eorum, et appellassem illos haereticos. Quare, cum pridie initii Septembris egrederentur Germani, Capitaneus quidam ex illis, sincerus et Catholicus, qui fuerat in castris militum Principis dum negotium deditionis componeretur, me monuisset, ut in tempore vitae meae fuga consulerem, cum etiam publice quidam ex civibus me proditorem clamarent; ac praemoneret, conclusum iam esse quod apprehenderer, abii in Cliviam, ubi haesi donec inveni medium per Germaniam veniendi Luxemburgum; nam aliae omnes viae occupatae erant per milites Geusios. Hinc nihil certi habeo eorum quae inter Status et suam Celsitudinem acta sunt, ab eo tempore quo ipse Mechlinia Namurcum abiit. Haec autem non alio animo, nec alia intentione scripta sunt, quam ut Regia Maiestas, penitus cognito morbo, efficacius remedium afferat, quo is semel curetur.

ARGUMENTUM.

I. Austriaci permissu renovatur Magistratus XVII Iulii. II-VI. Arx Antverpiensis Ordinibus proditur, expulsis Germanis Regi fidelibus. VII. Moenia qua urbem spectabat destruuntur. VIII. Auriacus revocatus festiveque exceptus. IX. Instituit regimen Plebeium, additis Senatui duodecim Assistentibus. X. Declaratur Ruwardus. XI. Venit in Belgium Matthias Archidux. XII. Austriacus declaratur exauctoratus, pro eoque assumendus alter sub certis conditionibus cum vicario Auriaco, XIII. qui Magistratum Antverpiae renovat.

NOVUS MAGISTRATUS.

A XVII Iulii usque ad XXII Decembris.

CONSULES. — Dominus Ioannes van Schoonhoven IX. — Dom. Nicolaus Rockox IX, qui obiit die IX Decembris sequentis.

SCABINI. — Dom. Henricus van Berchem. — Ioannes de Herde. — Mag. Cornelius de Wyse. — Wilhelmus Schoyte. — Mag. Ioannes de Pape. — Mag. Ant. van Mansdale. — Dl. Rogerius van Leefdale. — Wilhelmus Borrewater. — Aegidius van Marsselaere. — Mag. Nicolaus Voocht. — Mag. Adolfus Bleyleven. — Dl. Ioannes van Brecht. — Mag. Balthasar van Vlierden. — Dl. Henricus van Halmale. — Dl. Franciscus vander Cruyce. — Dl. Iosephus de Smidt. Quibus duobus ultimis, a praestando iuramento se excusantibus, substituti inveniuntur : — Mag. Petrus van Lyere. — Mag. Lucas vander Meeren.

Ac denique nescio cuius vivi aut defuncti locum supplevit Domicellus Ioannes Damant.

I. SUB ita renovato Magistratu, diuturna Catholicis non fuit quies; cum enim odium quod plerique, inspirantibus Auriaci partiariis, contra Austriacum conceperant, pene maturum esset, et Ordines meditarentur defectionem, inventa est ratio qua castrum Antverpiense in suam potestatem reciperent. Hoc quomodo factum sit, omnium distinctissime Rolandus Mirteus praelaudatus exponit, fol. 67 v°, in nostro Ms.

« Arschotanus Dux, eiusque frater *Havreus Marchio*, praeci-
» pua ante Austriaci amicitia usi, cum aegrius ferrent in ea et in
» rerum deliberandarum gerendarumque communicatione sibi
» praesentem *Octavium Gonzagam*, atque *Ioannem Baptistam*
» *Taxium;* et Illustrissimum minus confidere consiliis suis

» quibus suadebant ut familiam totam ex Belgica nobilitate » constitueret, amotis aliis quos suspectos haberi Ordinibus » videbant; ipsi, specie deambulandi, Antverpia egressi equites » sub noctis initium fugam inierant, Augusto ineunte.

II. Interim arci, Arschotano commissae, praeerat eius » filius *Chimaei Princeps*, cuius aetas et humanarum rerum » exigua peritia aliorum adhuc consiliis et praeceptis indige- » bat; quocirca fuit ei adiunctus, pro moderatore et adiutore, » *Willervallius;* sed huic, suscepta ad Orangium legatione, » discedenti substitutus fuit, eadem de causa et iisdem condi- » tionibus, *Ludovicus Blosius*, Trelonii Dominus, Austriaco » et regiis partibus admodum fidus; non tamen ut Gubernator » futurus, sicut sibi quidam persuaserunt. Mox, orto inter » Austriacum et Ordines dissidio, utraque pars intelligens » quantum id ad totius belli commoditatem momenti haberet, » summo studio nitebatur eam arcem sibi cum civitate ad- » iungere.

» Statuum Ordines, ut Germanos praesidiarios Antverpia » expellerent, Champignaei militem, qui iam dudum circum » Antverpiam vagabatur, et ea spe nunc propius ad urbem » accesserat, per arcem intromitti a Trelonio postulabant. » Austriacus e contrario summa contentione ut eam arcem Regi » conservaret, adnitebatur; periculum enim sciebat esse ne, » si Champignaei miles arcem ingrederetur, eam occuparet, et, » fugatis Germanis, etiam Civitate potiretur. Quare frequenti- » tibus litteris non Trelonium modo, quem sibi iam conci- » liarat, sed Philomeyum etiam, et alios militum duces ad se » pertrahere studebat; Trelonium etiam et Germanos iusserat » mutuo opem sibi ferre; miseratque Meganum Comitem et » Cornelium Rendensem iis consilio futuros.

III. « Et praeclare quidem Tuchero et Frunsbergio, Germa- » norum Tribunis, cum Trelonio conveniebat; sed Germani

» milites, ea concordia freti barbaraque et stulta arrogantia » elati, dum oppidanis metum iniicere coepiunt, iactarunt se » foedus cum Trelonio in Antverpiensium perniciem firmasse; » et hac vana iactantia omnia corruperunt; inde enim (ut habet » Appendix saepe citata) tanta exstitit in urbe consternatio, » ut cives, convasatis partim rebus in Hollandiam Zelandiam- » que fugituri, naves in flumine omnes mox occuparent, dum » portae terrestres a Germanis clausae tenerentur toto biduo. » Nec minus eaedem minae praesidiarios arcis perturbarunt, » iam pridem a Pontio Noyellio, uno e ducibus, secreto » sollicitatos. Hic se Austriaco et Trelonio fidelem, ut facilius » falleret, simulabat; sed occulte inductus persuasionibus » Liedekerkii, Brabantiae Quaestoris, et Boursii, Belgicis » Ordinibus favebat, et Trelonio insidiabatur. Iam milites » commoverat occupatio arcis Namurcensis per Austriacum, » et malignus interceptarum litterarum rumor addebat Trelo- » nium id agere, ut milites Cornelii Rendensis in arcem intro- » duceret, ipsosque expelleret. »

IV. « Venerant etiam Antverpiam missi ab Ordinibus Ratio- » narii, cum viginti millibus Carolinorum; et hanc pecuniam, » aiebat Pontius, ipsorum stipendiis, si Ordinibus egregio » aliquo facinore studium suum testarentur, paratum fore. His » et aliis multis pollicitationibus tria vexilla e quatuor, quae » erant in arce, ad se pertraxit, Quarto vexillo praeerat Mer- » villus Luxemburgensis. Huius (quamquam superiori anno, » sub Glymesio militans, nefariae Regii Consilii captivitatis » minister fuit) egregia tum et postea quoque fides erga » Austriacum fuit. Hoc vexillum, quia reliquis consentire » nolebat, eiiciendum ex arce videbatur coniuratis. Vigilantiam » Trelonii fallendam sibi Boursius suscepit; vafro consilio » litteras Ordinum, quibus proditionem suadebant, illi ostendit, » dictitans mori se malle quam tantum facinus admittere;

» vehementerque orare ut Austriaco id ipsum significet, neque
» aliud sibi persuadeat. Hoc pacto Pontius plenam sibi fidem
» apud Treloninm paravit, eumque incuriosum reddidit. Mox,
» eodem die, Liedekerkio in urbe coenam pollicetur; ibidem
» inter pocula eidem et Boursio centum, ut aiunt, florenorum
» millibus arcem addicit. »

V. « Diligenter itaque paratis omnibus, exspectato die quo
» ad Mervillianos excubiarum et arcis custodiae cura perti-
» nuerat, eisque statione excedentibus, solum Boursii vexillum
» succedere debebat, loco unius tria signa ad arma con-
» volarunt, unicumque Mervillii, non sine multorum strage,
» expulerunt, et Trelonium captum Bruxellam ad Ordines
» miserunt. Triplo plures ex coniuratis cecidere; et creditur, si
» omnes Mervillii milites adfuissent, neque pars eorum, in
» solitis excubiarum -stationibus disposita, serius advenisset,
» ambiguam victoriam futuram fuisse. Paulo post, quaedam
» Boursianorum pars tormenta ex arce extrahunt, se oppidanis,
» qui arma induerant, coniungunt, et Germanos, metu compul-
» sos, in eam urbis partem, quam, memoria nostra aedificatam,
» Novam urbem appellant, minimo negotio compellunt; unde
» statim, classis Orangianae adventu, et tormentorum explo-
» sione, et Champygniacorum accessu perterriti, diffidentesque
» ibi se diutius posse tueri, diffugerunt cum ducibus suis,
» pars Bredam, pars Bergas ad Zomam; qua postea Ordinibus
» dedita, Foggerus ibi suspensus est. »

Aitzingerus, pag. 207 v° et 219 v°, duas habet praeclaras tabulas, quarum prior Walonum ab arce expulsionem 1 Augusti sic exprimit, ut pulcherrime repraesentet totam eius faciem aquilonarem qua illa Civitatem spectabat, multo quam nunc sit formosiorem, totamque ex secto lapide, sed ponte minus operoso quam postea structus fuit, adeundam. Posterior tabula habet Germanorum ex Civitate nova fugam, postridie initam, quae

ibidem ex veteris portae, tunc necdum abolito, nomine vocatur Cisternensis.

VI. « Die Dominica insequenti, tunc IV Augusti (ut cum » historia Societatis progrediar) signa laetitiae ostendit popu- » lus, Clero ac Religiosis viris maxime trepidantibus, ne quid » sibi mali afferretur ab haereticis, iugo excusso effrenis. » Quare mittitur ad monasteria omnia vir celebris, qui signi- » ficet eorum superioribus nihil esse quod formident; non » accidisse quae gesta erant, propterea quod male vellent » Religioni, sed ne veniant in tyrannidem D. Ioannis Austriaci; » proinde rogare se ne in plebe tristitiam prae se ferant, neve » permittant subditos suos ea reprehendere aut accusare, sed » securi persistant in suis ministeriis; curae sibi fore, ne quid » molestiarum sustineant. Quare Iesuitae in officiis Societatis » progredientes, ita se gesserunt ac si eorum quae foris fierent, » nihil ad se pertineret. Non tamen omittebat vulgus insolens » ipsos insectari, ac negotium circa eorum domum facessere, » ubi illi se continebant, neque prodibant nisi necessitate com- » pulsi; quin et discipulos eorum, aut scholam adeuntes, aut » inde redeuntes, conviciis frequenter, ac verberibus etiam » excipiebant. »

Longum esset cum ipsorum historia prosequi iniurias, nunc Fratribus, nunc Patribus singulariter illatas; solum addo quod, « cum Senatus videret, per huiusmodi malevolorum inso- » lentiam, se ac totam Civitatem apud exteras nationes venire » in suspicionem haereseos, aut certe benevolentiae erga hae- » reticos, unde non exiguum detrimentum suae reipublicae » timerent; voluit eiusmodi suspicionem publico testimonio » totius Cleri ac Religiosorum omnium, maxime vero Societa- » tis Iesu, penitus delere. Missi ad Iesuitas fuere viri Catholici » qui poscerent, ut in publico libello quem prae manibus » habebant, adhibitis nominibus et syngrapha, testarentur,

» iam inde a castri Antverpiensis occupatione, nihil esse
» innovatum in Catholica-Romana Religione. Responderunt
» illi, quae geruntur in Civitate ignorare se; solum posse
» de rebus suis testari, non de alienis: ad haec non esse
» eiusmodi rem a Religiosis postulandam; adeundum potius
» Collegium Canonicorum, quod Antverpianae Ecclesiae caput
» est. Hoc responso utcumque pacati, discesserunt, neque
» postero tempore eam ob rem amplius molesti fuerunt. »

VII « Plebs interea Bruxellensis, inquit, fol. 84 v°, Mirteus,
» quotidie ab Ordinibus non sine conviciis postulabat, ut
» Orangius vocaretur, neque amplius cum Austriaco de pace
» ageretur .... tandemque obtinuit, ut is solemni legatione
» in Brabantiam venire rogaretur, delectis Abbatibus duobus,
» Gertrudano et Maricollensi... qui Principem Antverpiam, ac
» Bruxellam perducerent.

» Quidnam autem Antverpienses? Eiectis, inquit historia
» Domus nostrae, qui arcem pro Austriaco tenebant praesi-
» diariis, totaque Civitate expulsis Germanis (ut supra dictum),
» Bombardariorum et Arcubalistariorum Guldae in eam im-
» missae sunt, praedicta die IV Augusti, ad nocturnas ibi
» vigilias agendas, traditis Boursio clavibus. Sed ne diuturna
» ibi vigilantia molesta illis esset, Orangii consilio usi, mise-
» runt Bruxellas, XIX eiusdem, Liedekerkium, ut ab Ordinibus
» peteret facultatem arcis demoliendae. Hanc autem cum Lie-
» dekerkius retulisset die XXI, convocatum est in posterum
» diem Plenum totius Communitatis Consilium super ea re;
» sed definitum nihil, eo quod nonnulli arcem servandam
» censerent. »

« Die XXIII, tres Gildae civium cum iuventute armatae vexil-
» lisque expansis, processerunt ad planitiem ante castrum
» patentem, illud demoliturae; sed cum ibi diu pulcherrimo or-
» dine dispositae stetissent, mandatum acceperunt abstinendi

» ab opere, propter nimiam multitudinem populi spectatum
» congregati.

» Sequenti autem die, feria VI post meridiem, datum est
» demolitionis initium, ex ea parte qua Civitatem castrum
» respicit neque enim consultum erat cetera destruere, Civi-
» tatem apertam tanto spatio relictura, nisi alia et nova
» moenia, non nisi maximo sumptu excitanda, eam claude-
» rent, cum posset totum illud solum adiungi Civitati, sicuti
» eidem addita ea erat quam Novam vocamus.

» Tanto autem studio continuatus est nocte dieque labor,
» ut cito totus ea parte murus solo aequatus, fossaeque imple-
» tae fuerint, etiam feminis puellisque et pueris certatim
» manus admoventibus, maximo cum populi exultantis tripu-
» dio, praesertim circa statuam Albani; quae in aliquo reperta
» angulo, et in aream devoluta, ferro securibusque, quasi in
» viventem saevirent, confracta et in tormento bellico refusa
» est. Fuit qui pedem unum sibi servans, eum domi suspen-
» deret, in monumentum vindictae, de communi hoste, ut
» aiebat, sumptae. Sed nocturnus iste labor, ad quem etiam
» matronarum praecipuae concurrebant, publico edicto prohi-
» bitus est, ob flagitia quae in eo compotantium colludentium-
» que iubilo, multa et foeda committebantur. »

Iconismum totius tunc arcis pulcherrimum habet Aitzinge-
rus, pag. 221 v°, decororumque propugnaculorum eversionem
cum ingressu civium armatorum in eam, duce Liedekerkio,
exituque Walonum ab Ordinibus illuc immissorum cum Boursio
qui ipsis istam tradi curaverat.

« Exhinc immensum, inquit historicus noster, crevit
» haereticorum per urbem insolentia, cum iniuria Catholicae
» Religionis; nam cruces, in coemeteriis supra mortuorum
» tumulos erectae, exurebantur; Calvinistica psalmodia ubi-
» que audiebatur; prohibiti libri palam venum exponebantur,

» Pastores non sine periculo Sacramenta ferebant ad aegros; » tantaque erat hominum perditorum licentia, ut rem divinam » ipsis in templis palam irriderent; Monachos probris ac » verberibus nonnumquam impune exciperent. Iidem etiam » ad aedes Iesuitarum, quos praecipue oderant, quotnocti- » tibus fere accurrentes, post infinita probra et convicia non » recedebant, nisi vitreis aliquibus fenestrisque lapidatione » petulanti dissipatis. »

Addit Mirteus quod « sacris in aedibus ante altaria divino » sacrificio destinata, non raro nebulones ventris onus et alias » sordes deponebant. Conabantur tamen Ordines exteris Prin- » cipibus persuadere, nihil in Catholicae Religionis praeiu- » dicium a Belgis committi, sed longe illam amplius solito » florere; eaque de causa a Generalibus Vicariis ecclesiarum » et ab exterarum nationum Consulibus testimonia extor- » serunt, iisque Romam, Genuam aliasque Italiae urbes missis, » priusquam accusarentur, sese purgare conabantur, nova » hac nimiaque diligentia magnam fraudis et mendacii suspi- » cionem praebentes.

VIII. « Die XVIII Septembris, sub horam septimam vesperti- » nam, advenit Princeps Auriacus, qui, tamquam alter Iu- » daeorum Moyses, divinis pene honoribus exceptus est a » vulgo. Praecedebant enim turmae aliquot equitum, sagis » viridibus vestitorum; deinde Dominus Liedekerkius cum » capitaneis vicorum et civibus, nec non Osterlingana na- » tione tota, equis speciose ornatis invecta, Principi obviam » progressis, eumdem cum fratre suo aliisque Proceribus » deduxerunt in rhedis ad Michaelis in hospitium istic prae- » paratum. »

Etiam huius exceptionis iconismum ad portam Rubram habet Aitzingerus, pag. 225 v°. « Postridie Excellentia sua » egressa est ad spectandam castri ruinam, et in ea perficienda

» laborantes sua praesentia animandos. Inde per moenia » Civitatis circumvectus, Magistratum prandio lauto excepit, » et in diem xx invitavit sex Decanos trium Gildarum, » scilicet Senioris ac Iunioris Arcubalistae Seniorisque Arcus » manualis; in diem autem sequentem alios sex Decanos » Bombardariorum, Iunioris arcus et Gladiatorum.

» Die xxii, Excellentia sua navi vecta est Willebroukam ver» sus, deducentibus eousque Gildis Antverpiensibus: » quam deductionem videre est pulchro iconismo expressam, pag. 227 v° Leonis Belgici, stipatis utrimque multo spectatore ripis, intra quas navi una Auriacus, altera Nobiles eius vehuntur; simulque repraesentatur quomodo portis suis egressae Bruxellenses Gildae, nostros exceperunt, pariterque cum Principe deduxerunt in urbem suam. Hi autem illos hospites habuere, gratis omnia ministrantes. Effusa etiam ad portas Nobilitas cum Proceribus, praestolabantur venientem Auriacum ad portam; structisque festivis ignibus celebrata vespera illa fuit; in foro autem tribus ex ordine diebus continuata est laetitia, ubi triplici dramate, argumentis ex veteri testamento sumptis, honoratus est Princeps.

IX. Hac occasione factum crediderim, ut praesentis Magistratus pertaesa Antverpiensis Communitas, nimium scilicet Catholici, praetextu renovandae veteris consuetudinis, de Senatu in festo S. Andreae pro anno sequenti innovando tandem evicerit, ut hoc fieret saltem proximo Decembri, ut factum videbimus. Eadem Communitas, quo magis obnoxium sibi Magistratum suum haberet, exemplo Bruxellensium et Gandensium, evicerunt ut sibi liceret duodecim viros eligere, quibus ad omnem deliberationem ingressus daretur : fuerunt ergo :

ADIUNCTI VEL ASSISTENTES.

Petrus Aernouts. — Ioannes della Faille. — Ioannes van Hove.

— Cornelius Daems. — Iudocus vanden Cruyce. — Hermannus Bal. — Hubertus Wachtmans. — Aegidius Hoffmans. — Petrus Panhuys. — Iacobus van Nieuwerve. — Chrysostomus Scholiers. — Vincentius de Smidt.

His autem sic electis, plebeiis fere omnibus et Auriaco obstrictis, apparet quam nulla fuerit suffragiorum libertas, quam exigua Catholicis relicta spes caput erigendi contra haereticos.

X. Interim vero (inquit Mirteus, fol 97 v° et seqq.), « die » XXII Octobris, tria oppidi Bruxellensis membra cum multis » Antverpiensium Gildarum Decurionibus, Ordinum generali » Conventui supplicem libellum obtulerunt, in quo dicebant » quod, videntes, propter Gubernatoris absentiam, Belgium » plane corruere, delegerint Orangium ut Gubernationem Bra- » bantiae suscipiat, atque ab illo pridie summa contentione » petierint ut onus illud suscipiat per modum provisionis, » donec alius Gubernator deligatur; confidere sese Orangii » prudentiam sufficere ad collapsum Provinciae statum eri- » gendum, et avertendas maximas calamitates quae imminere » videantur : ideoque postulare ut ea ipsorum electio ab » Ordinibus comprobetur. Id vero facile fuit impetrare ab iis » qui nihil Orangio vel negare volebant vel cogebantur. Ea » tamen conditione Ordines consenserunt Bruxellensium po- » stulatis, ut se Orangius gereret ex sententia quarti capitis » Pacificationis Gandavensis, et nomine ac titulo *Ruwardi* » contentus esset. Hinc porro in Aulam a Curia revertentem » deduxerunt Gildae, faces cereas praeferentes, ut mos supre- » mis Principibus praelucere. »

Teutonicum vocabulum RUWARD est ex veteri RUWE vel RUST, id est *Quies*, et WAERDEN *custodire* formatam, quasi *Quietis custodem*, aut *Irenarchum* graeca voce dicas; de cuius potestate

et tituli apud Brabantos origine ita discurrit Mirteus : « In
» summo discrimine et Republica ad ruinam vergente, vel
» propter Dominorum infirmitatem et imprudentiam, vel eo-
» rumdem impotentiam et tyrannidem, consuevere Brabanti
» (ut Romani *Dictatorem*, Leodienses *Tutorem*, alii *Mainbur-*
» *num*, seu *Montburdum)* eligere *Defensorem* quemdam seu
» *Protectorem*, qui praesit Provinciae cum summo imperio,
» donec Princeps resipisceret et ad officium rediret, et factas
» subditis iniurias resarciret : contenduntque hoc sibi privile-
» gium ex ultimo Laeti Introitus capite competere.

» Invenio autem in antiquis Annalibus, mortuo Wenceslao,
» volente eius uxore Ioanna, adhuc viva, sed imperii curis
» impare, tres Brabantiae Ordines *Antonium*, Philippi Auda-
» cis Burgundi filium, *Ruwardum* creasse, sub certa spe ei facta
» quod, Ioanna defuncta, ipsum essent assumpturi in Ducem,
» uti biennio post fecerunt. Anno post M.CCCC.XX, orto inter
» Ioannem IV, eiusdem Antonii filium, et Iacobam Hollandam,
» eius uxorem, dissidio, et divertente a maritosuo, Braban-
» tini, sive femineis artibus illecti, sive Nobilium quorumdam
» apud Ioannem praepotentium odio, arma ceperunt, non
» contra Ducem (ut inquiebant), sed contra malos Ministros
» et Magistratus. Evocatum praeterea Ioannis fratrem *Philip-*
» *pum*, S. Pauli Comitem, *Ruwardum* crearunt; quod tamen
» munus ille sequenti anno, pace inter Ordines et Ducem
» facta, deposuit; idemque post aliquot annos fratri suo
» defuncto in Ducatu successit. Nullos alios *Brabantiae*
» *Ruwardos* invenio, et utcumque postea Ducem vocatum.
» His ergo exemplis et eadem fortassis spe, hanc dignitatem,
» antiquae Dictaturae parem, Orangius ambierit, sibique
» deferri per suos fautores curaverit.

» Hanc tamen consecutus cum esset Auriacus, plerique pru-
» dentiores affirmabant, non modo non licuisse Ruwardum

» hunc facere, neque licere eidem parere ut tali, neque revocari » in Brabantiam Auriacum potuisse. Sic enim ratiocinabantur : » Reditus ille, et cetera ipsi per sententiam definitivam » adempta, numquam nisi ex verbis pacis Gandensis Orangio » debita fuerunt; Gandensis vero pax, ab iis inita qui eius » faciendae potestatem non habebant, nullius momenti foret, » nisi dependenter ab Edicto perpetuo, sive Marchiensi » cum Austriaco transactione. Cum ergo beneficio indignus » sit, qui benefactoris sententiam contemnit, arguebant » quod Orangius, qui Edicto perpetuo obtemperare noluerit, » neque illud in suae gubernationis Provinciis promulgari » sit passus, ne pacis quidem Gandensis beneficio frui » potuisse.

» Admissus tamen ad gubernationem Orangius, principio » nihil pro potestate, sed omnia per tectam manum occulte » gerebat; et quia videbat se satis commode uti non posse » illis suis stipendiariis (quos LIEFHEBBERS, id est *Amatores*, » patriae scilicet, vocitabant), nisi eis aliquod caput prae- » ficeret, tum propter eorum multitudinem, tum etiam quia » res illa iam in vulgus manarat, ut omnes adversantium » sibi conatus Bruxellae impediret, octodecim homines ex » seditiosorum multitudine, quos sibi fidos et ad omne facinus » promptos noverat, elegit, eosque, novo Magistratus genere » et nomine addito, Reipublicae Bruxellensi praefecit.... » Hae pestes GOEDEMANNEN, id est *viri boni* vocabantur. Horum » munus erat, omnes epistolas ad Ordines vel Primates » missas perlegere, omnium suspectorum (sic boni et Catho- » lici cives nominabantur) scrinia et domus scrutari, actiones » et verba observare, ac demum prospicere ne quid detrimen- » tum Respublica (nempe Orangica) pateretur.

» Sic ille parvo negotio, bonis oppressis, infimo Ordini » imperium dedit, sibique tyrannidem patenter paravit. Nam

» quidquid placuerat, octodecim viris illis denuntiabat; hi » suis Amatoribus significabant, a quibus concitato tumultu » idem Ordinibus extorquebatur. Ita fiebat ut nemini vel » hiscere vel etiam quidquam tacere liceret; nam verba pro » seditione et rebellione, silentium pro contumacia et insidiis » accipiebatur. Verum Orangius, urgente conscientia num- » quam non pavidus, haud satis tuto se posse Bruxellis » manere existimabat, tum quia non omnibus ex Ordinum » congregatione fidebat, quorum partem Alenzonium solli- » citare, partem vero Germaniam et Austriacam domum » respicere noverat, tum propter urbis non satis munitae » infirmitatem; tum vero quia aliquoties discedere conantem » cives retinuerant.

» Itaque tandem, per suos Tribunos illos, brevi reditu pro- » misso, impetravit, ut sibi Antverpiam proficisci liceret, » causa videndae incestuosae suae Monialis, quam ille mo- » nasterio profugam, prius etiam a Rentiacensi Barone » Casimiro, suoque fratre Ludovico Nassavio (ut non obscure » fertur) temeratam, sacrilegis nuptiis sibi copulaverat (viva » adhuc uxore, Mauritii Saxonis filia, a qua ante aliquot » annos diverterat propter adulterium, cuius ipse exemplum » et causam praebuerat); Antverpienses autem castissimam » illam (si superis placet) feminam omnibus honoribus cu- » mulabant : diceres Matris Deum Pessinuntiae simulacrum » Romam advectum; neque felicem se matrona ea existi- » mabat, quae non recipiebatur in arctissimam eius fami- » liaritatem; et haec familiaritas maximis muneribus, et » Catholicae Religionis Maiestatisque Regiae odio comparaba- » tur. Unicuique porro liberum erat ad D. Michaelis monaste- » rium, quo illa hospitio utebatur, accedere, ibique Ministros » Calvinianos concionantes audire....

XII. « Venit autem Princeps Antverpiam die XXIII Octobris,

» ubi eum exspectabant Gildarum Collegia in armis, exceptum-
» que ad S. Michaelis deduxerunt, et Bruxellenses Gildas, ipsum
» comitatas, ad suas domus deduxerunt hospitandas. Die autem
» xxv, D. Liedekerkius, tamquam Superintendens Antverpiensis,
» cum vexillo iuvenum conscriptorum obviam progressus est
» Principissae ei (quam nobis describit Mirteus) in eum diem
» Antverpiam invitatae, et ipsam ad S. Michaelis deduxit per
» vias, quae transeundae erant, festivis ignibus collucentes. » Die xxviii, comparuit in Pleno Consilio Princeps, multaque eidem proposuit, in quibus etiam hoc ut ad prosequendas Civitatis fortificationes augeretur vini cerevisiaeque accisia; in quod statim omnes consenserunt. A trigesimo deinde die mensis ad viii Novembris, quaestores delegati circuierunt pro colligenda pecuniae summa, in quam consenserat Civitas ad munitionum novarum fossionem prosequendam, et cives ab eo labore, quem per vices quisque suas subibant, liberandos; atque eiusdem mensis die vii, petiit Princeps a Praefectis regionariis, seu Vicomagistris, quam primum danda centum millia florenorum, et a Gildarum Collegiis quinquaginta millia.

Tantam auctoritatem sibi arrogante Orangio, coepit ipsismet Ordinibus fieri suspectus affectatae supremae potentiae. Moras ergo trahente Alenzonio, saepius sollicitato, convenerunt tandem in Principem MATTHIAM, Rudolfi Imperatoris fratrem, quem toti Belgio Gubernatorem praeficerent, quique ad id saepius sese obtulerat.

XIII. Orangius autem, inquit, pag. 101, Mirteus, quem hic prosequor, Orangius, etsi imperii cupidissimus, non tantum tamen insaniebat ut munus illud sibi aperte ambiendum putaret; certus, si id sibi non eveniret, *Matthiae* illud potius quam *Alenzonio* deferre. Ad istum vero accersendum, Arschotanus et socii miserant quemdam Nobilem, cuius instinctu Archidux, iii Octobris, intempesta nocte Vienna profugiens, duobus

tantum vel tribus familiaribus comitantibus, Traiectum ad Mosam pervenit; ubi aliquamdiu substitit, donec ab Egmondano Lyram deductus est, studiose id curante Auriaco, ne, si recta Bruxellam venisset, ei mox omnis Nobilitas se adiungeret, itaque imminueretur potentia sua; cui undequaque firmandae intentus, minutiora quoque alia curanda sibi putavit.

XIV. Bruxellis agebant Villariensis, Dilingemensis et Antverpiensis S. Michaelis Abbates per litteras cum Abbatibus Gertrudano, Parcensi et Vlierbecano, qui Lovanii erant, de praeficiendo Everbodiensi Abbate, et Administratoribus dandis Abbatiae S. Bernardi ad Scaldim, Affligemiensique et Tongerloensi, ne monasteria ista amplius incorporarentur Episcopatibus a Rege nuper institutis; eam enim incorporationem contra Sixti Pontificis Bullam factam affirmabant. Bullae autem ipsius autographum D. Michaelis Abbas se habere iactitabat. Orangius ergo, quasi id sua non interesset, nonnullos Abbatibus istis quam diligentissime commendabat per litteras, dignos nimirum tali laudatione Ecclesiae Praelatos. Nihilominus disceptabatur de Amptmanni Antverpiensis officio; nam *Godefridus Sterkius* ipsum filio Cornelio reliquerat; et uterque ab Ordinum partibus abhorrentes, urbe relicta, ad Austriacum se contulerant. Disceptabatur autem Antverpiae inter Liedekerkium et Lindensem, Gertrudani Abbatis fratrem, qui tandem munus istud est consecutus, Orangio curante. Hoc autem hic notandum putavi, quia in serie Amptmannorum impressa nulla resignationis fit mentio, solumque dicitur Godefridus obiisse Bruxellis anno M.D.LXXXVII, IX Octobris, et Lindensi assignatur annus M.D.LXXIX.

Quo tempore Traiecti ad Mosam haerebat MATTHIAS, nihil non ab eo impetratum iri persuasi Ordines, Orangio instigante, conditiones scribunt, quibus illum ad gubernationem sint admissuri, in articulos XXXI digestas, quas Mirteus exhibet

fol. 108 et 109. « Iis populare regimen, inquit Mirteus, » pag. 110, sic stabiliebatur, ut (quod Caesar de antiquis » Belgis prodidit) eiusmodi sit imperium, in quo non minus » iuris in Regem habeat multitudo, quam hic in multitu- » dinem; Archidux autem statuae ligneae loco apud illos » foret. Si quidem nulla in iis omnibus Catholicae Religionis » conservandae fiebat mentio; et Regalia pleraque, ad solum » Regem pertinentia, Ordines sibi vindicabant; ampliore » tamen populo potestate concessa, sic ut ipsi Ducem, ipsos » regeret populus, sine cuius consensu in rebus publicam uti- » litatem spectantibus nihil volebant constitui.... Denique » populo Belgico ansam praebebant, qua arrepta, quando- » cumque luberet, Dominum mutare possent. Idcirco vero- » simile est Matthiam, lectis capitibus, noluisse subscribere; » et sic aliquamdiu privatus Lyrae mansit; » sed cum interim pestis grassaretur Mechliniae, indeque vicina et Lyra inficeretur, tam praesenti periculo exterritus Matthias, inquit Mirteus, impetravit ab Ordinibus ut sibi Antverpiam abire liceret; ea in civitate exigua pompa et laetitia exceptus fuit; et, quamquam a Bruxellensibus avide admodum exspectabatur, aliquamdiu tamen Antverpiae mansit, quia Alenzonius nondum omni spe Belgii potiundi deciderat.

XV. Septimo die Decembris, publicatum est edictum Ordinum, quo declarabant se, ab arcis Namurcensis occupatione, Ioannem Austriacum nec habuisse, nec habere pro Regis vicario Belgii Gubernatore, vel generali militiae Praefecto; sed tantum pro pacis sanctissimo iuramento ab eo confirmatae temeratore ac patriae hoste; omnes autem Belgas qui partes eius sequuntur, rebelles patriae iudicari, ac proinde vita fortunisque ab unoquoque libere spoliari posse. Triduo postea, vehementer adnitente Angliae Regina, MATTHIAS ut Archidux ad gubernationem Belgii ab Ordinibus est admissus, certis

legibus, sed valde diversis ab iis quas eidem prius proposuerant. Eis legibus sive conditionibus Antverpiae subscripsisse Archiducem, sicuti a Statibus atque Auriaco conceptas acceperat, testatur Leo Belgicus, pag. 231 et seqq., easque exhibet cum hac praefatione :

XVI. « Cum hae patriae inferiores Provinciae annis superioribus adeo exercitae et vexatae sint, propterea quod iuribus, consuetudinibus, et patriae privilegiis conservandis, ab illustribus Regiae Maiestatis maioribus, bona ex parte ob virtutem et merita olim concessis, et ab ipso Rege, eorumdem conservationem iurante, confirmatis, non magna cura et exigua ratio haberetur; quae quidem iura, consuetudines, et privilegia, quia cum magna auctoritatis imminutae detrimento, damno et patriae vastatione Hispani Gubernatores vi et via armorum incedentes, violarunt atque infregerunt : hinc omnis illa tumultibus praeteritis occasio data est.

» Et profecto iam firma quaedam spes erat concepta, quod in his regionibus, per foedus Gandense et adventum D. Ioannis Austriaci, iura, consuetudines et patriae privilegia redintegrarentur, et in pristinum gratiae ac vigoris locum reponerentur, prout se facturum promiserat, et in ipso suae gubernationis principio se velle facere ostendebat. Sed quia hac spe se viderunt frustratos esse, postquam Dominus Ioannes Austriacus se in castrum Namurcense recepisset; imo cum, gubernatione relicta, palam fieret et manifestum esset, quod, ubi conservare et dicta privilegia et immunitates in integrum restituere debuisset, machinabatur ipsa invadere atque opprimere, omnibus modis conatus, ut eos privilegiis privaret, coacti sunt pro iis conservandis arma capere.

» Et cum haec tam ardua negotia agi commode non possint, quemadmodum etiam hae regiones bene gubernari non queant, sine capite aut Principe alicuius maximae

auctoritatis et nominis, eiusdem cum Rege sanguinis, et tali existente, qualis pro privilegiis, olim et dudum a Regia Maiestate concessis, requiritur; visum est compellare Celsitudinem Matthiae, Archiducis Austriae, fratris germani Imperatoris, eiusque cum Rege progeniei et sanguinis, ut (quemadmodum alias suam ea operam detulerat) ei placeat huc accedere, et sua auctoritate ac consilio iuvare, atque Regis nomine harum Provinciarum regimen capessere, priusquam vicinus aliquis Princeps, hac praesentium turbarum occasione arrepta, huc pedem inferre possit : id quod mutandae Religionis Catholicae Romanae ansam praebere, atque obedientiae Regi debitae multum derogare posset. »

XVII. « Ut vero populus in posterum sit tutus et securus et omnem abiiciat ex animis diffidentiam (quam adhuc formidolosus ex supradictis calamitatibus et miseriis, iuste conceptam fovet), decreverunt Ordines haec sequentia quarumdam conditionum capita Domini Archiducis Matthiae Celsitudini proponere, qui, priusquam ad harum Provinciarum gubernationem admittendus sit, in illas iuret et sancte promittat, se eas incorrupte atque integre servaturum ac praestiturum, contra quas neque ipse delinquat, neque alios delinquere impune patiatur. »

I. Principio, ipse patriam gubernabit cum Consilio Status, ab universis Statuum Ordinibus constituendo, et deligendo ex eorum numero, qui sint in his Provinciis oriundi, addicti et fideles patriae, ab omni avaritiae et ambitionis suspicione, sed maxime a privatis et singularibus rerum praeteritarum affectibus alieni, sapientes ac in republica administranda ac belli gerendi negotiis apprime versati; in summa, qui sint tam boni nominis ac famae integrae, ipsi boni a bonis prognati, quam fieri posse credibile sit.

II. Omnia negotia in dicto Consilio tractanda, pluribus dicti Consilii suffragiis conficiuntor et transiguntor, neque

Gubernator pro iis mutandis ad aliqua Consilia privata aut secreta recessum habeto.

III. Et, si deprehendatur quod aliqui Consiliariorum, vel alii qui cum officio vel dignitate sunt, aliter se in suis muniis habuerint vel gesserint ac decebat, ad petitionem Statuum Generalium de aliis ipse provideto.

IV. In rebus alicuius ponderis aut momenti, ad patriam universam spectantibus, ipse, insciis atque inconsultis universorum Statuum Ordinibus, nihil attentato.

V. Imo et ipsi Statuum Ordines res graves et arduas, ad Communitatem spectantes, tractaturi, ut sunt constituendae exactiones, aes alienum aut mutuum petendum, bellum, pax, pacta et foedera cum Principibus aut populis externis inita, et alia horum similia, priusquam res definiatur aut aliquid certi de iis constituatur, tam ad conspicuos magnae auctoritatis viros quam ad plebeios homines referunto; cum aequum sit illud ab omnibus probari quod ad omnes pertinet; id quod privilegia et antiqui patriae usus requirunt.

VI. Praeter communem et usitatam rerum consuetudinem, insciis et inconsultis universorum Statuum Ordinibus legitime propterea convocandis, ipse edicta aut novas constitutiones per se ne facito.

VII. In summa, Gubernator in iis omnibus rebus Statuum Generalium suffragia consulito, in quibus Princeps, tamquam Dux Brabantiae, tenetur Statuum Brabantiae sententias rogatas colligere; sic tamen ut legati et disceptatores prius ordine et debite ea communicent cum suis, a quibus missi sunt, superioribus.

VIII. Omnium litterarum, quas accepturus est, quocumque modo de patriae rebus tractantium, dictum Consilium particeps esto; ut, collectis Consiliariorum suffragiis, quid illis faciendum sit, definiri possit.

IX. In dicto Collegio sive Consilio, nulla negotia tractantor quae sint alicuius momenti, aut quae ad Reipublicae statum pertineant, nisi maior pars Consiliariorum praesto sit.

X. Omnia in dicto Consilio acta, transacta atque expedita, suprema manu addita, scribuntor et notantor.

XI. Dictus Gubernator restituito et confirmato omnia quaecumque et qualiacumque antiqua privilegia, usus, consuetudines, quae ipsi laesa, violata aut violenter sublata atque erepta esse possunt ostendi.

XII. Disceptatores et legati Statuum congregati, simul manento quamdiu ipsis commodum videbitur, prout negotia postulabunt; et Generales Statuum Ordines, toties quoties eis visum fuerit, congregantor.

XIII. Ad preces et petitiones alicuius Provinciae, in qua aliquid insperatum accidet, propter quod debeant Provinciales Status convenire, necessario statim congregantor, non exspectato mandato aut potestate sibi a Gubernatore facienda.

XIV. Alicuius singularis Provinciae Status toties congregantor, quoties libebit, aut quoties ipsi iudicabunt expedire.

XV. Foedera pacis Gandensis in omnibus et singulis Articulis observantor; neque usquam, sub aliquo cuiuscumque rei praetextu, violantor.

XVI. Et ne quisquam cavillatione vel insigni aliqua captione decipiatur, aut ratione interpretationis dicti Decreti Gandensis incommodum aliquod patiatur; Articulus ille qui est de scandalis, per Status declarator quemadmodum et ceteri omnes qui in dicto Decreto continentur. Quoties autem dissidium orietur, aut quando erit controversia de vera et genuina alicuius Articuli sententia, ea ad Status Generales legitime congregatos refertor, per eos componenda.

XVII. Supradictus Gubernator neque habeto, neque petito

aliud suo corpori tuendo adhibendum praesidium, quam quod pro temporis ratione Status iudicabunt convenire.

XVIII. Electiones creandorum Tribunorum exercitus, sive ille terra sive mari ducendus sit, ut sunt Navarchae (vulgo Admiraldos dicunt), Praefecti equitum (nunc Marescallos vocant), Duces atque Legati, et alia honoratae militiae nomina, consentientibus Statibus, penes Gubernatorem et eius Consiliarios sunto.

XIX. Ipse, sua fretus auctoritate, milites pedites aut equites ne conscribito neque praesidium aliquod in ullis civitatibus collocato, nisi id prius a Statibus probetur, et civitates, quae praesidium sint accepturae, audiantur.

XX. Ipse Provinciarum Praesides et Praefectos non creato, nisi mentem et voluntatem Statuum dictae Provinciae, quibus hoc placeat, exploratam habeat; imo, si possit fieri, Praefectus in Provincia, cui praeest, habitet, aut bona aut reditus in ea habeat, aut saltem provincialibus gratus sit.

XXI. Tempore belli, omnia quae alicuius momenti sint, per rei militaris Consiliarios, a Statibus illi adhibendos, ipse administrato.

XXII. Ipsi, qui de belli Consilio sunt, nihil certi de bello definiunto, priusquam ea quae constituerint, ad Status referantur.

XXIII. Gubernator, et omnes qui post eum Gubernatores futuri sunt, pro privilegiis quae sunt aut aliquando esse poterunt; item Tribuni et Praefecti militum, et alii honoratioris nominis milites, Regi suo Principi naturali et Statibus patriae defensionem iuranto.

XXIV. Qui, sacramenti religione obligati, sancte promittunto, se omnes Articulos et Capita commemorata, et praecipue omnia et quaecumque privilegia, iura, usus et patriae consuetudines erigendas aut stabiliendas diligenter curaturos et observaturos.

XXV. Milites, tam communis patriae Statibus quam Regi suo Principi naturali sacramentum danto.

xxvi. Stipendium et aes militare distribuunto, quemadmodum ipsis Statibus visum erit; aut quemadmodum illi iudicabunt esse commodum, penes quos eorum distributionem esse volent, siquidem Regis et universae patriae bona multis et magnis oneribus sunt obnoxia.

xxvii. Status ea, quae a regnis et vicinis principibus deferentur, si necessitas postulet, accipiunto; et maxime si ipsis bellum inferatur, et Gubernator omne id mutuum; quod hactenus sumpserunt et in posterum sument, ratum habeto.

xxviii. Extremo iure, sine omni clementiae aut misericordiae exemplo, quo supplicia impediri aut differri possint, actiones instituuntor, et contra eos supplicia decernuntor qui arma contra Status et patriam sumpserunt, aut qui partes D. Ioannis Austriaci fovent aut sequuntur; ut deinceps non sit, qui Reipublicae statum et tranquillitatem perturbet.

xxix. Si dictus Gubernator promissis non stet, aut istos Articulos omnes, aut ex iis aliquos violet aut infringat, sacramento conceptis verbis sancte promittito, se eos iureiurando solutos habiturum; ut qui in posterum dicto audientes esse non tenerentur, et qui possint arma contra eum capere, se et patriae privilegia defensuri; si forte eos ad obediendum velit cogere, priusquam priorem culpam, contra Articulos commissam, expiasset.

xxx. Castra quae nondum destructa sunt, sed quae tantum destrui coeperunt, citra omnem controversiam destruuntor; et quod ad alias arces, a quibus metuendum sit Patriae et istis Provinciis detrimentum aliquod aut periculum, per Status Generales suo tempore ordinabitur, quemadmodum aequitas et ratio postulant.

xxxi. In ea quae sub ultimos tumultus peccata aut admissa sunt, nulla quaestio habetor; siquidem illa sub sempiterna oblivione in Decreto Gandensi promissa comprehenduntur,

exceptis iis, de quibus secundus ab hoc agit Articulus; et quae per Status Generales, post discessum D. Ioannis Austriaci in castrum Namurcense, gesta sunt, ea omnia grata et rata habeto, in minimo quidem dictis Articulis adversaturus.

XVIII. Atque haec quidem fuerunt conditionum capita, inquit Aitzingerus, D. Archiduci Matthiae ab Ordinibus Statuum Belgii proposita; quibus omnibus Auriacus per legatos obnuntiat, fore contra iuramentum et pacem et Maiestatem Regiam quoque, si declarent sine Regio decreto MATTHIAM ARCHIDUCEM illarum Provinciarum Gubernatorem. At vero Ordines, nuntios parvi facientes, bona spe freti, interim mittunt legationes in Hispaniam: quibus multis rationibus nitebantur a Rege impetrare confirmationem, cum et ipse D. Matthias litteras ad Regem una cum Statibus exaravisset.

Alia omnia exspectabat in Anglia Alenzonius, a quo et a Regina, eo facto offendendis, ut se expediret Orangius, occulte Reginam ipsam apud illum, et hunc vicissim apud illam criminabatur; palam vero utrique blandiebatur, et separatim singulis operam suam addixerat; revera autem Gubernatoris titulum Matthiae deferri malebat. vi imperii atque potestate omni sibi callide retenta.

XIX. Etenim sic recepto Matthiae datus est pro Vicario ORANGIUS, et plurima Bruxellenses spectacula atque comoedias vulgari idiomate exhibuerunt, in quarum plerisque Matthias *Davidi*, Austriacus *Goliath* giganti comparabatur; maioribus tamen ac pene divinis Orangii laudibus cuncta perstrepebant. Hic vero, post novum Consilium Status suo arbitrio electum additumque Matthiae, eumdem Antverpiam praegressus est; advenientique die XXI obviam egressus, excepet ipsum in via Berchemiensi, ubi ambo ex equis desilientes, mutuo amplexi sunt; pariterque deducentibus armatis Gildis et

sex octove vexillis regionariis, ingressi Civitatem sunt; et sua Celsitudo ad S. Michaelis deducta est. Exceptionis huius iconismum habet Leo Belgicus, pag. 231 v°, sed corrigendus numerus diei. Sequenti mox die, monasterio exiens Archidux lustravit arcis destructae reliquias; et Auriacus festo die S. Catharinae invitavit eumdem ad unam suarum navium, in qua ei lautissimum epulum praebuit, inter publicae hilaritatis signa plura; et, die XVIII Decembris, in manus eius resignavit hactenus sibi usurpatam cum titulo Ruwardi gubernationem Belgii; exinde per triduum pulsatae sunt maiores campanae, totidemque diebus ignes festivi luxere. Die XVIII Decembris, Princeps Auriacus, velut ex commissione Archiducis, novum creavit Magistratum, volens (ut praetexebat) reducere antiquam consuetudinem id faciendi in festo S. Andreae, vel circa Natalem Domini; revera autem intendens inducere eos qui, minus Catholici, minus etiam restituri erant Religionis corruptelae, per ipsum intentae. « Tales cum essent sic creati, in » nocte Natalitia, praetextu cavendae seditionis, custodes appo- » suerunt ecclesiae Iesuitarum *(ut habet domus eorum historia)* » qui omnes accessu prohiberent; festo autem S. Stephani, » per populum iam admissum irrupit quidam, et sclopum » glande plumbea oneratum extulit, traiecturus sacerdotem » sacrificantem; sed impeditus eorum clamore, qui secuti erant, » iactabat inde non egressurum se, nisi uno saltem Iesuita- » rum interfecto; facinus quidem perpetrare non potuit : in » Foro tamen palam iactavit, id conatum se fuisse. »

Die XXVIII, Gandavum proficiscens Princeps, deductus eo fuit a Gildarum sociis, viginti ex unaquaque deputatis; qui, postridie explicatis vexillis perducti fuerunt ad ruinas castri spectandas; et ibidem laute tractati a civibus solutis de publico, quas fecerant, expensis, conscenderunt currus liberaliter praebitos, Antverpiamque reverterunt.

A. C. M.D.LXXVIII.

Ammanus Dominus Ludovicus vander Linde †. Hunc ego obiisse credo sub finem huius vel sequentis anni initium, siquidem in fastis mss. dicitur huius anni mox nominandus Consul, hoc Magistratu perfunctus, factusque Scabinus die xiv Ianuarii, locum cessisse alteri, utique diuturnioris officii causa, factusque Ammanus.

Commissarii xxii *Decembris.*—Dominus Baro de Liedekerke et Dominus Cancellarius Scheyf, cum Consilio Principis Auriaci. *Ita Fasti* mss.

Consules. — Dominus Didericus vande Werve, *pro quo, recusante eum plebe, suffectus* vii *Ianuarii.* — Domicellus Ioannes van Stralen. — Magister Wilhelmus de Vos.

Scabini. — Ioannes de Herde. — M. Ioannes de Pape. — Dl. Rogerius van Leefdale. — M. Gaspar Sanders.—Aegidius van Marsselaer. — Wilhelmus Borrewater. — M. Nicolaus de Voocht. — Arnoldus de Laet. — M. Adolfus Blyleven, *Graph. pro eo* M. Paulus Schuermans. — Dl. Adrianus van Hertvelde. — Nicolaus van Nassau. — Ioannes van Santvoort. — Ioannes vanden Broecke.—Ioannes Gamel, *Iunior*, *pro eo* Philip. van Schoonhove.

Addunt Secretarii, ex Observationibus cuiusdam Notarii Ketgens (cuius ad Fastos notulas saepius allegant) in hoc novo Magistratu fuisse tres qui cives non erant, scilicet *de Vos*, *Hertvelde*, et *Stralen;* quod erat contra privilegia.

Hoc tamen ut zelare videretur Communitas, tres ultimo nominatis illis substitui obtinuit, ex iis quos ipsa Ordinibus in supplici libello obtulerat, qui pro illis tres alios non propositos nominaverant, videlicet *Paulum Tucher*, *Cornelium Daems*, et *Ludovicum vander Beke*.

ARGUMENTUM.

I. In novo huius anni Senatu Catholici nonnulli. II. Auriacus Antverpiam reversus Matthiam ducit Bruxellas, inde Mechliniam et Lyram. III-VI. Haeretici Iesuitarum aedes perscrutati, his, sua munia prosequentibus, VII. ostia obstruunt, ad eaque diurnas nocturnasque vigilias agunt, adventantes alios inhumaniter habent. VIII-XV. Religiosis cunctis proponunt iuramentum Auriaco praestandum; hoc quia recusant Patres, insimulantur proditionis, varieque vexantur. Edictum de omnibus universim civibus novo iuramento adstringendis prudenter supprimitur; XVI. et excogitatur alia fidelitatis promittendae formula; deinde novum edictum contra Austriacum proponitur.

ACTA.

I. Primus Consul, verosimiliter *Antonii* filius, eius quem, quinto Consulatu fungentem, fecit Dux Albanus Vilvordiae decapitari, nihilo melioris fidei quam pater erga Deum et Regem; post hunc consulatum, Praeturam quoque obtinuisse ab Orangio credi potest, paternae necis intuitu. Secundus omnino videtur is esse, quem infra ut Catholicum laudant Iesuitae, quemque hac prima vice Catholicis Auriacus indulgendum putaverit, aeque ac Scabinos nonnullos orthodoxos, ne nimis manifeste proderet veterem Religionem abolitam se velle; sequentibus autem annis, stabilito iam pene Calvinismo, non invenio Wilhelmum de Vos ullo deinceps Magistratu functum sub Ordinibus; resumendus haud dubie sub Parmensi Principe, si ei vivere contigisset, post Civitatis reductionem,

nisi forte eidem obfuit in constantia sua, quae putatur aliqua fuisse.

Die vi Ianuarii, Antverpiensium vicorum incolae divisi sunt sub octoginta vexillis, ut quorum vices vigilandi ad portas quinto quoque die recurrebant, deinceps solum decimo vigilarent. » Die eiusdem mensis decimo, iussu Magistratus inquisitum est in aedes Iesuitarum, in quas illata fuerant quaedam vasa cerevisiae, quae pulvere tormentario farta fuisse malevoli disseminaverant. Nocte vero diem xii praecedente, cum quidam lapsus esset in fossam eisdem aedibus contiguam, horrendosque clamores ederet, accurrit mox ingens multitudo, pulsant tintinnabulum, petunt intromitti; Patribus autem dissimulantibus se ad somnum compositos quidquam audire, tunc quidem mora et taedio fatigati discedunt; sed, facto die, rumorem tota urbe spargunt, Iesuitas esse proditores. Rursum ergo concurrunt malevoli, tam furiose, ut omnes mactaturi viderentur; sed denique ab amicis et vicinis commoniti, pacatiores discedunt.

II. Die xxii, Archidux Matthias, comitantibus eum Gildarum delectis sclopetariis, Mechliniam discessit, ubi magno cum triumpho festivisque ignibus exceptus est. Die autem xvi, Orangius Gandavo Teneramunda Antverpiam rediit, Gandensibus et Teneramundanis sclopetariis associatus, duobusque eorumdem vexillis; cum quibus iidem postero die deducti ad dirutam arcem spectandam, deinde ad domum Oosterlinganam invitati, ibidem laute tractati fuerunt. Prandentibus autem supervenit Auriacus, proque habito sibi honore gratias egit utriusque civitatis hospitibus, solvens pro eorum tractatione aliisque expensis, plusquam trecentas libras Flandricas, per modum congiarii, inter ipsos dividendo. Sub vesperam vero Vilvordiam processit, reducem Matthiam istic recepturus; qui deinde xviii mensis, cum splendido comitatu Antverpiensium ac Mechliniensium

sclopetariorum, Bruxellis triumphaliter fuit exceptus, dispositis per vias honorariis pegmatis, unde multa ei recitata prosa ac versu vernaculo, subsequente per noctem illuminatione festiva. Postridie deductus idem Archidux in Curiam, opulentissime ornatam, ibidem coram utroque Statuum Ordine, ecclesiasticis ad dexteram, secularibus ad sinistram consistentibus, sacramentum iis dixit ex formula latina, tamquam Belgii Gubernator; Orangius vero, tamquam eius Vicarius. Huius actus ipsiusque inductionis pompam duabus pulchris tabulis spectandam offert Leo Belgicus, pag. 231 v° et 233 v°. Sed laetitiam istam valde imminuerunt frequentes Ioannis Austriaci victoriae, celeresque in oppidis Brabanticis occupandis progressus identidem nuntiati. Earum initium fuit illa quae ad Gemblacum relata, etiam in Leone Belgico aeri incisa cernitur, pag. 341 v°.

III. Die v Februarii, redit Antverpiam Archidux, cum Comite Swartzenburgico, et Auriaco Principe; eademque nocte sex Gildae maximaque pars octoginta civilium vexillorum ante Curiam vigilarunt; ex quibus mox, hora tertia, plenis adhuc tenebris, selecti sclopetarii trecenti Lyram, quingenti Mechliniam destinati abeunt, cum equitibus centum quinquaginta, futuri praesidio locis istis, si forte Austriaci milites aliquid eousque tentarent. Die autem vi, Praefecti regionarii, suo quique in vico circuierunt ad colligendam pecuniam, ad quam singuli civium pro suis quisque facultatibus erant taxati, in subsidium belli contra Austriacum gerendi, cuiusmodi contributio totos tres menses duratura erat.

IV. Die ix, ad horam vii, post meridiem, cum tenebrae essent, quatuor Praefecti copiarum Auriaco militantium Iesuitarum portas vehementer impulere. Respondimus, inquit eorum Historicus, nos ex Senatus consilio non posse aperire tam sero. Aiunt se aliquid in mandatis habere quod communicare

nequeant nisi intromissi; suadent ut cum eorum gratia fores aperiamus; alioqui vi se irrupturos maximo cum incommodo nostro. Consultamus interim quid agendum sit : decernimus esse aperiendas aedes; commendamus nos divinae providentiae, et portas recludimus. Ingrediuntur Ductores, et subito simul insiliunt viginti alii homines armati, qui latuerant in insidiis, clamantes: Satis est; intromissi sumus, exturbemus proditores, ut pax nobis in posterum sit.

Postquam autem paulisper inter se collocuti essent, evocant Rectorem Collegii (is erat Pater *Reynerus Reyneri)*, adiurant ut, si se sibique subditos omnes salvos velit, demonstret abdita loca omnia, ubi thesaurus et arma bellica sint recondita: si nollet, se quidem facile inventuros (adduxerant enim hominem cui aedes nostrae erant exploratissimae, quique in eis aliquando habitaverat); de nostra vero omnium actum esse salute. Rogat Superior sintne fidem habituri suis verbis, si veritatem fateatur, nihilque mali in nos tentaturi? Aiunt: atque sancte deierant non passuros se ut quisquam vel pilum capitis nostri tangat. Negat Superior esse occulta loca, ubi sint opes abditae aut bellicae machinae; quod si fidem verbis derogent, quaeri aliquem iubeant cui omnes latebrae domus sint perspectae. Respondent nosse se loca secretiora omnia, quae olim fuere; at nos novas fecisse latebras, quae nulli notae sint. Ad haec Superior: Nemo, inquit, fabrorum murariorum, qui hic sunt operati, mortuus est; ex iis veritas cognoscatur licet. Non contenti illi, domum totam circumeunt, lustrant omnia in locis singulis; interrogant suum exploratorem, quem secum duxerant, lateretne usquam quod non essent rimati.

V. Postquam fatigati essent vestigando, adeunt templum, ibique ore nefario multas blasphemias in sacrosanctum Christi Corpus evomunt; accusant corrupta doctrina pueros a nobis imbui; fratres suos (hoc est haereticos) nostra opera esse

exustos, et his similia alia sexcenta iactabant; alii de rebus Fidei nobiscum altercari volebant. Vix tandem pacatos eos dimisimus, gratias agentes Deo pro fideli famulorum suorum custodia.

Postridie, tempore prandii, subito tintinnabulum Collegii magno impetu quidam pulsant : clamant aedes ardere. Cum a mensa surrexissemus, atque confestim supremam domus partem conscendissemus, nihil ignis invenimus, sed maximam prae foribus perditorum hominum manum adstare vidimus; quamobrem non aperuimus fores, donec omnes recessissent. Die xxvii Februarii, missi fuerunt qui in domo nostra noctu vigilias agerent. Rogavimus ut in posterum diem differrent; interdictum nobis esse ne porta Collegii aperiatur de nocte. Illi, morae impatientes, ad effringendas fores se parant : quam ob causam necesse fuit ostia reserare. Ex eo die semper in penetralibus domus nostrae militum custodia fuit; quorum petulantias et molestias, quibus nos affligebant, facile cuivis est aestimare. Postulabant sibi a nobis suppeditari ligna, cibum, potum, quae pro facultatibus nostris aequo animo illis administravimus.

VI. Nihilominus in sacro Quadragenario tempore, cui xii dies Februarii initium cum Cineribus dedit, habitae sunt a nostris ad populum conciones, sic distributae, ut per hebdomades singulas tres gallicae, tres teutonicae fierent. Neque deerat hominum concursus, frequenterque aderat ad Dei verbum audiendum illustris matrona, Ducis Arschotani uxor cum filiabus. Quamvis enim invidi quidam, qui eam templum nostrum frequentare viderant, minarentur direptionem aedium ipsius, si in posterum accederet ad ecclesiam Iesuitarum; tantum abfuit ut generosa matrona minis istis terreretur, ut etiam frequentius postea ad nos veniret; veniebat etiam subinde Princeps de Chimay, filius eius; itemque Consiliarii

Ordinum Belgii, qui per Quadragesimam Antverpiae erant.

Inter hos numerare liceat, quatenus per valetudinem licuit, virum insignem, cuius in choro Carmelitarum coenotaphio marmoreo inscriptum gallice epitaphium, ita latinum facio :

« Hic iacet Dominus GUILIELMUS DE HUIAERT, vir nobilis generis et virtutis merito. Eques creatus ab Imperatore Carolo V; dum viveret, Scutifer Praesector Celsissimae et Potentissimae Dominae Mariae Hungarorum Reginae, et postea Celsissimi ac Potentissimi Domini Philippi II, Regis Hispaniarum; qui durantibus harum regionum tumultibus absque opprobrio vixit. Obiit autem anno M.D.LXXVIII, die XXIII Februarii. Adiacet ei Domina Isabella Lopez, ipsius dilecta coniux, quae obiit anno M.DC.XX. Ora Deum pro animabus. »

VII. Die XXVII, venerunt sex Stratiarchi, qui ex praecepto Praefectorum, quos Colonellos dicunt, iubebant lateribus obturari omnes fores Collegii, uno excepto ostio, ut idem esset aditus ad templum, scholas et domum. Imperabant etiam ne posthac quispiam nostrum domo exiret sine longo capillitio, et barba stricte refecta, habituque sacerdotali; neminem quoque e nostris aliunde advenientem admittendum edixerunt, nisi sic ornatum; si vero quispiam e nostris qui Antverpiae erant, alio mitteretur, eidem non esse redeundum. Et quamquam eiusmodi praescriptiones ad omnes Religiosorum Ordines pertinerent, soli tamen eas observavimus. Die XXVIII, deputati a Statibus postulant vasa argentea aureaque omnia, tam sacra quam domestica, scripto sibi tradi. Respondit Superior, quem ad se evocarant, numquam nos ad domesticos usus argenteis uti, quod hoc paupertatem religiosam non deceret. Sacra vasa etiam nobis non esse praeter calicem unum et ciborium. Rogant num ausit per sacras infulas deierare nulla praeterea esse alia. Cumque responderet

Superior, paratum id se facere, quando legitime rogaretur, discesserunt, neque super ea re molesti deinceps fuerunt.

Ad Kalendas Martias, auctae fuerunt excubiae; nam ex eo tempore non de nocte modo, sed etiam interdiu observabant aedes nostras; itaque proterve se gerebant, ut nulla umquam quies, neque in scholis neque in templo, daretur. Haec custodia eo instituta videbatur, ut tandem multis iniuriis et vexationibus fatigati, ultro Collegium relinqueremus, vel publica auctoritate dimitti postularemus. Nam quotquot ad scholas aut templum venirent, eos conviciis et maledictis excipiebant custodes, et minabantur fore ut cito sui in nos favoris et amoris eos poeniteret. Erat quidem a Patre Provinciali, iam inde ab initio istorum tumultuum, missa nobis forma supplicationis pro dimissione ad alia Collegia; tamen ob varias easque graves causas, neque Patri Viceprovinciali, neque amicis nostris videbatur umquam eiusmodi supplicatio Senatui porrigenda; itaque in spe et silentio ministeria nostra prosequebamur.

VIII. Circa idem tempus fuerunt convocati Superiores omnium Religiosarum familiarum ad Comitium Canonicorum Cathedralis ecclesiae, ubi proponebatur ut vellent omnes subscribere Pacificationi Gandavensi, et unioni Statuum cum Principe Orangio, Pacificationem eam secutae. Respondimus : Nostris Constitutionibus cautum esse ne nos in res seculares et politicas interponamus; accedere etiam quod Sacri Canones vetarent, ne personae ecclesiasticae subiicerent se foro seculari; imo id ipsum repugnare pactionibus Gandavi initis, ut quae velint Romanae ecclesiae immunitates integras omnino atque inviolatas manere. Placuit Canonicorum coetui nostra responsio, quam postridie petierunt rationibus firmatam scripto sibi dari.

Cum, die II Martii, edictum esset promulgatum, quo cives

omnes gladio accincti incedere iubebantur, eamque ob causam, etiam qui veniebant ad templum nostrum, gladiati venirent, excubiae quae nostras aedes observabant, gladios ab omnibus deponi volebant; quae res frequentissimas pugnas et contentiones in ipsa etiam sacra aede pariebat, cum multi nollent gladios suos de manibus ponere. Volebant scilicet hac ratione observatores impii viros a templo nostro arcere; feminas autem mire cruciabant, explorando singulas, num litteras haberent Iesuitis ferendas. In ipso limine portae faciebant ignem, cui assistebant, ut aditum praecluderent ingredi volentibus; carmina haeretica decantabant, verbis obscoenis pias aures ecclesiam adeuntium offendebant; parietes turpibus et impudicis figuris depingebant; nihil non moliebantur, quo nostros ac piorum hominum animos se urere arbitrabantur.

IX. Die v Martii, venit ad nos qui a Praefectis militum designatus erat cum Duumviro et Secretario Civitatis. Proponunt formam iuramenti, subnotati nominibus Canonicorum et Parochorum quorumdam; postulant ut idem a nobis fiat. Volebant nostros scilicet iurisiurandi religione se obstringere ad observanda pacta omnia pacis Gandavensis, et unionis Statuum cum Orangio. Recusavimus modeste eam rem nobis non licere facere sine Superiorum nostrorum facultate. Sed causam hanc gravissime excipiens unus ex Tribunis, obiecit nos proditionem moliri; quod etsi pridem sciretur, iam tamen palam esse ex hoc nostro responso; ex quibus dictis facile colligebamus, rem totam ex composito adversum nos geri. Post multam altercationem et convicia nobis irrogata, abierunt, dato triduo ad deliberandum, vellemusne eorum voluntati obsequi.

Volat per Civitatem fama, iam esse detectum quod Iesuitae hactenus pectore conditum gestassent; quod nollent, sicut alii ecclesiastici et cives, fidem suam iureiurando adstringere;

apertum nunc esse, a Domino Ioanne Austriaco illos stare. Hac moti fama, curavimus occulte supellectilem nostram, qua domi ad usus quotidianos omnino non erat opus, ad amicos nostros transferri, ut illi ad alia loca exportandam curarent; nam certo nobis persuadebamus, brevi fore ut aut a furente plebe aut certo decreto Senatus eiiceremur. Communi etiam Patrum consilio concepta est quaedam formula, qua noster ecclesiastes pro concione notam proditionis, quam nobis inurebant malevoli, confutaret; nam et amici nostri plerique offendebantur, ac reprehendebant quod cetero Clero prudentiores haberi vellemus. Purgavit itaque nos concionator dextre admodum, cum multorum probatione et aedificatione, explicando rationem Instituti nostri; unde efficiebat esse contra vocationem nostram iuramentum exactum praestare. Hinc factum est ut formulam iuramenti in formulam promissionis mutarent, quam proponerent iis Religiosis qui iurare noluerant.

X. Huic formulae cum ceterae Religiosae familiae subscripsissent, nos vero eam constanter repudiassemus, Ductores militum, quos Colonellos dicunt, libellum exhibent Senatui, quo supplicant ut nos ex oppido eiiciat, quos ipsi iam hostes et proditores patriae declaraverant. Pergebant interim iidem Colonelli, aliique militares cives quotidie nos urgere, ut promissionem faceremus, quemadmodum alii Religiosi. Ea res commovebat nos ut, ex praescripto R. P. Provincialis iam tertium nobis significato, supplici libello indicaremus Senatui, nobis certum ac decretum esse relinquere potius Civitatem quam committere quod in nostrae Religionis fraudem esset. Obstupuit Senatus paratos nos esse ad deserendum Collegium; etenim persuaserant sibi hactenus quidlibet nos passuros potius quam domum tam splendidam, templum tam magnificum, facultates tam amplas (ut sibi persuadebant) deserturos.

Quamobrem nihil umquam responderunt, et nos aliquid quietis habuimus; nam quoties instabant Colonelli ut promissioni nomina subnotaremus, nos extremam nostram voluntatem Senatui explicuisse dicebamus.

XI. Adeunt igitur Senatum illi, urgent expulsionem Societatis : Senatus se rem omnem ad Status delaturum respondet, ab eorum auctoritate rem pendere. Cum Colonelli ea de re pergerent Senatui molesti esse, tandem nolle se ait Senatus Societatem dimittere. Illi videntes nihil se apud Senatum proficere, statuunt de nostra exturbatione agere cum Auriaco Principe. Multa cum illo ac frequentia captant consilia, ut nobis retulit quidam militum Dux, a Societate, ut videbatur; non alienus. Postea venerunt duo, ex eorum (ut apparebat) coetu, haeretici homines, ceteris eruditiores, velut una cum aliis concionem audituri Collegium ingrediuntur, ut locum nobiscum loquendi observarent. Inter concionem sevocant quemdam e nostris Patribus, aiunt se, fraterna caritate ductos, monere nos velle, conclusum ac definitum esse in suo concilio, nos brevi tempore de nocte omnes contrucidandos; proinde saluti nostrae tempestive consulamus. Sed respondit Pater, nos, divina providentia ac bonorum civium qui adhuc essent, benevolentia fretos, rem tam atrocem minime formidare. Abierunt itaque, multis maledictis in nostram doctrinam congestis.

XII. Cum hoc consilium non bene cecidisset, aliam ineunt rationem. Vigiles, qui domum nostram observabant, arguunt nimiae in nos lenitatis, licentiam quaslibet molestias nobis adferendi indulgent; ex quo insigniter tam nostram quam ad nos venientium patientiam exercuerunt. Decernunt etiam paulatim nobis eripere supellectilem omnem, et paucis diebus sex lectos cum stragulis abstulere; huiusmodi alia excogitantes quotidie. Nos vero iam inde ab initio cavebamus ne

quidquam expostularemus, aut conquereremur, praesertim in concionibus. Vincebat nostra, quam Deus largiebatur, constantia eorum nequitiam, ut, quasi consilii expertes, nescirent qua potissimum iniuria nos afficerent. Praedicabant viri boni nostram fortitudinem; quinetiam (ut a fide dignis nobis est relatum) in curia Principis Auriaci commendabatur nostra moderatio, et circumspectio in concionibus, quod in iis nihil proferretur ad seditionem faciens; fuerant enim alii nonnulli acriter invecti in Status.

XIII. Dominica Palmarum, xxiii Martii, exortus pene fuit gravis tumultus. Nam cum custodes omnibus, qui templum nostrum ingredi Religionis causa vellent, aditum intercluderent, nisi gladios ponerent, subitus clamor in templo B. Mariae tempore concionis exsurgit, Patres Societatis domo exturbari. Catholici, hac re commoti, arma sumunt, ad Collegium accurrunt, iniuriam vindicaturi. Cum iam a congressu nihil abessent, primarius Consul intercessit, vigiliasque mutavit, atque concertationem prohibuit. Ex hoc tempore coepit timere Senatus, ne excubiae illae dissidium parerent cum Catholicis; statuitque eas a Collegio removendas. Mandat Colonellis ut in alium locum vigilias deducant. Respondent illi, populum non permissurum, nisi promissioni subscribamus. Quamobrem venerunt ad nos quidam a Senatu et Colonellis, rogant obnixe et perhumaniter, ut aliquid subscribamus quo plebs furiosa placetur. Respondimus dolere nos quod eorum voluntati nequeamus obsequi; declaramusque non esse eam rationem placandi populi, si per omnia eius libidini pareas. Levem esse ac inconstantem plebem; modo hoc, modo illud velle; nobis decretum esse in sententia permanere; nihil omnino velle nos admittere quod puritati Religionis nostrae adversetur. Deinde Sanctam Hebdomadam, erecto, ut antea faciebamus, sepulcro et officio decantato, satis quiete traduximus.

XIV. Transacto Paschate, cum viderent malevoli externis machinationibus suis parum promoveri eiectionem nostram, nonnihil tranquillius nostra nos agere permiserunt; interim rursum conferunt cum Auriaco consilia; statuunt iusiurandum, velut Cleri laqueum, esse instaurandum; neque ullam penitus esse accipiendam causam quin omnes adigantur. Ut autem certius rem conficiant, comminiscuntur quod ex Hollandia et Zelandia pulsus sit universus Clerus, velut Hispanorum studiosus, eisque patriam tradere conatus; eoque convictus quod fidelitatem Orangio iurare noluisset. Sed, quamquam haec placeret ratio consilii sui ad exitum perducendi, dilata tamen executio est. Decimo octavo post Pascha die, venit summus Quaestor cum triumviris, et aliis ad id designatis; adducunt fabros murarios qui templum nostrum construxerant, ut qui scirent omnia loca retrusa domus; primum autem in Curia iuraverant nemini prodituros se qua de causa adducerentur. Cum autem quod perquirebatur non esset inventum (quaerebatur scilicet vas auri, centum millia ducatorum habens) rursum fabros adiurant ut taceant rem omnem; sed hi postridie visitationis istius consilium nobis explicuerunt.

XV. Die xxx, a quodam fideli amico allatum ad nos fuit commentum Auriaci, de quo paulo ante memini, iam typis excusum et mox promulgandum esse. Ex quo cum manifeste colligeremus fieri non posse ut effugeremus manus iniquorum, coepimus de rebus nostris, ut licebat, disponere. Secreto delata sunt pene omnia ad aedes amicorum, neque quidquam domi relictum est, quod ad quotidianos usus non esset omnino, necessarium; unde, postquam eiecti sumus, perparum ab adversariis inventum est, ne teruncius quidem auri vel argenti, vasa stannea pauca, panni lanei ac linei pauxillum, idque iam magna parte tritum. Interim consultant iidem amici qua via nefarium istud iuramentum a nobis totoque Clero

possent avertere. Multi primarii viri, atque etiam Consiliarii Statuum aliqui, facile id factu arbitrabantur; nam neque haereticos quidem istud iuramentum suscepturos, imo Gandenses publice conscidisse tabulas Pacificationis, quia eius initio erant nonnulla, quae haereticorum insolentias reprimere videbantur.

Sed nihil nos haec ratio solabatur, neque dubium nobis erat quin omnium nos essemus primi quibus iusiurandum proponeretur; quamobrem amicos interrogamus quid suadeant. Negant illi periculum esse a iureiurando, quod a privatis hominibus sit introductum; aliis certe potius propositum iri quam nobis; metum esse deponendum in hoc genere. Aiebant se modo prospicere commentum illud Principis Auriaci spectare ad Cleri subversionem; remedium esse omnino adhibendum. Laudare se nunc nostram constantiam, quod ab initio nihil penitus concessissemus adversariis; quippe qui indulgentia ferociant magis, tantum abest ut tranquilliores fiant; numquam eos destituros, quousque cucullum monachus eiiciat, religiosus homo religiosam vitam deserat, Catholici a fide Catholica desciscant. Hactenus, inquiebant amici quidam non infimae sortis, vos pertinaces credidimus et proprii iudicii homines: nunc optime perspicimus quam prudenter prae ceteris in hisce periculis vos gesseritis. Utinam, aiebant, Clerus universus eiusdem vobiscum sensus, aut saltem consilii imitator fuisset. Verum nunc esse comperimus, in magno fidelem esse non posse, qui in minimo fidelis non fuerit.

XVI. Noluimus interim nobis deesse: supplices libellos Archiduci Matthiae aliisque gravibus viris porreximus, auxilium implorantes ut exactores tam nefarii iuramenti a nobis prohiberent; idque eo facilius sperabamus nos consecuturos, quod illi, licet eorum permissu edictum esset evulgatum, tamen non permitterent eius exempla, iam impressa, in vulgus venire; quin

ipsi Colonelli omnia exemplaria a typographo auferebant; tam enim absurdum erat edictum, ut periti metuerent plurimorum animos, quos alioquin studiosos sui haberent, a se alienatum iri.

ARGUMENTUM.

I-V. Neutri formulae iurandi se obstringere certi Iesuitae, eamdemque constantiam tenentes Minoritae multis minis terrentur ac denique indignissime extruduntur. VI-XII. Utrique modum suae expulsionis describunt. XIII-XVIII. Guardiani cum Abbate Maricolensi disceptatio et singulorum Fratrum examen, quo pauci aliqui decepti permittuntur remanere, sicuti etiam factum Gandavi, ubi iuniores quidam torturae subiecti coguntur nefanda fictaque fateri; alibi similia patiuntur alii ac nominatim Augustiniani.

I. Quid post edicti secundi promulgationem Iesuitis evenerit, declarabit historia quae de Patrum Societatis Iesu expulsione conscripta est; quam hic subiicio sub nota † usque ad notam †.

† Die Sancto Pentecostes, quo Spiritus sanctus corda fidelium visitare solet, immundus spiritus haereticos Antverpiae invasisse videtur anno M.D.LXXVIII, XVIII Maii, quando acti in furorem praecipites, Collegio et Civitate sua Patres Societatis eiecerunt. Iam ante aliquot menses, Principe Auriaco cum maxima laetitia excepto Antverpiae, et in administratione Reipublicae collocato, boni omnes Religioni Catholicae non mediocriter metuebant; animadvertebant enim quod haeretici magis erigere cornua, et petulantius agere in Catholicos inciperent; octavo autem Martii commentum huiusmodi propositum fuit. Certam formam promissionis cum iuramento connexam excogitaverunt, ut ea omnes Ecclesiasticos, etiam Religiosos, in suas partes adducerent. Erat autem argumentum promissionis, quod scilicet nihil tentarent contra Pacificationem Gandavensem, aut Unionem Bruxellensem Statuum cum Principe Auriaco; et si quid cognoscerent moliri quempiam

contra commune bonum reipublicae Antverpiensis, eum deferre ad Magistratum tenerentur, itemque alia nonnulla; qua de re postquam cum aliis Religiosis et Ecclesiasticis actum esset, et quidam eorum, fortassis per inadvertentiam, subscripsissent, postremo veniunt ad Patres Societatis Iesu.

Qui missi erant, initio blande, et cum praefatione suae erga illos benevolentiae, multa dixerunt; deinde proponunt quid velint ab illis fieri, scilicet subscribendum esse in charta communi; neque id fore difficile, cum iam omnes alii id fecissent. Patres, qui a suis Superioribus primum acceperant modum et formam respondendi, breviter dixerunt, se eorum voluntati in hac re parere non posse, cum sint Religiosi, quibus per suas Regulas et Constitutiones prohibeatur res politicas tractare. Instabant illi contra acriter; sed tamen eo amplius nihil auferre potuerunt. Interim redibant aliquoties, variis modis attentantes Patrum subscriptionem, nunc formam iuramenti in simplicem promissionem mutando, nunc subornando tam Ecclesiasticos quam Laicos Principi addictos; nunc denique innumeris vexationibus illorum constantiam fatigando.

II. Post aliquas deinde septimanas aliud edictum inter se cudunt, plerisque insciis aut absentibus qui e Statibus adhuc videbantur Catholicis favere. In exordio commemorant iniurias Religioni Catholicae illatas a nonnullis, deque ea re se dolere plurimum: daturos operam ut talia in posterum coerceantur; interim petere ut concionatores ad populum modeste agant, et omnia quae fiunt, in bonam partem interpretentur; tum alia similia. In fine erat, quod gravissimum aculeum Catholicis infligebat, et cuius rei gratia cetera omnia videbantur praefixa et excogitata: nimirum, statuere se ut omnes, non solum Laici, sed etiam Ecclesiastici et Religiosi, qui apud ipsos manere velint, Magistratui deferant iuramentum solemne, quod Dominum Ioannem Austriacum et ei adhaerentes habebunt pro

hoste, eumque bonis ac corporibus extra patriam submoveri adiuvabunt; quod nisi faciant quamprimum, eos qui recusabunt, hostium loco futuros, adiecta etiam poena confiscationis bonorum et exilii aliorumque, quae aequitas et leges (scilicet perversae haereticorum) in eos decernerent.

III. Hoc edictum, iam impressum, emittunt in vulgus, et publice promulgant; neque tamen quamprimum ad executionem veniunt, sed aliquantum temporis intercedere patiuntur, captantes occasionem rei bene gerendae. Interea Patres Societatis Iesu, qui facile videbant se primos aggressum iri, et quorum causa haec tota machina conficta dicebatur, dant litteras ad diversos e Statibus, conqueruntur de hoc iuramento, exponunt quid metuant, rogant ut sua auctoritate tantum efficiant in Consilio, ne illud sibi proponatur; valde enim iniquum esse et contra Canones ac iura omnia Magistratum et Capitaneos a Religiosis petere iuramentum; se iam ante dies aliquot scriptum obtulisse Magistratui Antverpiensi, quo ostendunt quidvis potius paratos esse pati, imo exire Civitate, quam promissione ulla involvere se rebus ad Institutum suum non pertinentibus; multo minus ut in eiusmodi iuramentum descendant. Quod si securitatem sibi maiorem a suis isto facto fieri velint (ut habent edicti verba), certe, quod ad ipsos attinet, plane securi esse possent; cum neque constitutiones suae talia permittant, neque ipsi vere ostendere possint quod hactenus a se tale quid actitatum sit. Haec et similia ad diversos scripserunt, qui pro Religione antiqua aliquid velle aut posse videbantur. Tractarunt etiam eadem cum Canonicis, et obsecrarunt ut et ipsi, qui Episcopi locum iam teneant, partes suas expleant; convocent Clerum, ut omnes uno ore iuramentum tam iniquum a se propulsent; rem omnem positam esse in celeritate; Religionem Catholicam fraudulenter ab illis appeti; et, nisi adhibeatur remedium,

opprimi posse; se quidem libere dicturos pro se ipsis, sed parum id esse: privatis viribus contra eos attentare cum non valeant, communi opera resistendum esse.

IV. Veniunt tandem Centuriones nonnulli, haeretici certe magni, cum quibusdam e Magistratu; Collegium Societatis Iesu recta primum adeunt, idque eo tempore, quo boni ac potentes nonnulli, quorum praesentiam metuebant, partim (ex industria forsitan) alio missi, partim sua voluntate foras profecti, aberant. Explicant iuramentum; aiunt sic esse definitum a Statibus; non esse tempus tergiversandi. Respondent Patres, non posse neque velle se hoc iuramentum agnoscere, quippe qui Religiosi erant. Quod si nuper simplicem promissionem detrectarint, quo iure poterunt iam iurare Laicis hominibus Religiosi? Neque hoc mirum videri debere, quod, quamvis Rex peteret, praestare non possint. Ergo, inquiunt, pro hostibus vos tenemus. Patres dicunt, velle sibi ostendi in quo hostilitatem aliquam exercuerint; facere se pro Instituti sui ratione; aliud dicere non posse. Ergo, aiunt, abite hinc, et quaerite locum, ubi liceat ita vivere; nam hic non licet; et videte quis vos tueatur contra Communitatem furibundam. Respondent : Si vos defensionem nostram non susceperitis, Deus est qui nos tuebitur.

Sic indignabundi discedunt ad Patres Minores, ad alios item atque alios, Pastorem Begginagii scilicet, et nonnullos Canonicos, qui etiam necdum priori iuramento subscripserant: sed idem responsum de posteriori referunt quod a nobis †.

Antonius Sanderus (ut hoc obiter interiiciam relationi Iesuiticae), in Chorographia conventus Antverpiensis, §. 3, formulam iuramenti Franciscanis propositi hanc profert : « *Sancte pollicemur, nos obtemperaturos Archiduci Matthiae, supremo Belgii Praefecto, eumque fortunis et sanguine defensuros; et cum Ioanne Austriaco, ut cum hoste, acturos.* » Addit autem idem

Sanderus quod Guardianus, cui formula non placebat, arrepta charta eidem in haec verba subscripserit: *Neque ego, neque Fratres mei approbamus vel improbamus Pacificationem Gandavensem, qui ad hoc arma non habemus nisi spiritualia, quibus Deum ex corde oramus, ut concedat Belgio pacem, Antverpiensibus perseverantiam in fide Catholica, haeresum exstirpationem, et talem prosperitatem in temporalibus, qualis aeternae eorum saluti expedit.*

V. Melius sanctiusque quam ex tripode responsum, inquit Sanderus. Ita profecto est; sed an subscriptum supraposіtae formulae, in qua nullum de Pacificatione Gandavensi verbum? Non existimo; sed redditum illud responsum credo formulae alicui, aliter antea propositae, in qua expressa fuerit Gandavensis Pacificationis probandae et observandae simplex promissio; cui aliquid saltem subscribere rogatus Guardianus, uti legimus rogatos Iesuitas, verbis istis usus subscribendo sit. Non tamen omiserint haeretici homines iactare, apud Iesuitas et alibi, Minoritas subscripsisse; quod idem fortassis licebit de aliis Religiosis, saltem aliquibus, opinari; qui subscripserint quidem aliquid, aequum, bonum, sanctumque; postea vero parem non tenuerint constantiam, sed taciti permiserint haereticos gloriari, quasi ad eorum mentem omnes subscripsissent. « Praedicatores et Carmelitae, inquit Caukerkius, ita se excu- » sarunt a iuramento praestando, ut verbotenus pollicerentur » edictum observare; » vim certe ulteriorem tunc passi non sunt.

† Ut ut est, Colonelli, videntes se apud Iesuitas nihil profecisse, simul omnes diversorium ingrediuntur, inter pocula (nam illa ingenium acuunt) conclusuri quid ulterius agendum. Concludunt autem, Patres esse vexationibus variisque oppressionibus expellendos. Hoc ergo ipsa nocte, non exspectato die, mandatur executioni; vigilibusque stricte iniungitur, ut, si

vellent gratiam Colonellorum promereri, ita strenuos se ostendant in Patribus divexandis, ut ipsi experiri eorum strenuitatem possint per Patrum recessum; hoc vero ut fieret, ipsimet Colonelli superintendebant, vigilibus subministrantes vexationum materiam, instigantes militum petulantiam, ignaviamque increpantes. Sed cum neque sic Patrum invictam patientiam labefactari viderent, Statuumque Praelatos ac Proceres aliquos de remedio adhibendo in Patrum defensionem cogitare audirent, aliud iniere consilium, scilicet de Patribus occidendis; quod omnino perpetrassent per cives furibundos, quos in hunc finem subornarant, ut infra referetur, nisi omnipotens Deus praecavisset.

VI. Facta ista sunt feria secunda ante festum Pentecostes, XII Maii. Diebus vero tribus quatuorve interiectis, tres designati ex Consilio Statuum Belgii, Abbas Maricollensis, Dominus de Willerval, et Dominus de Froymont, una cum Domino de Grobbendonck (qui proprio instinctu se designatis adiunxerat, ut tentaret numquid posset efficere in Patrum favorem) ad Collegium Societatis accedunt; sollicite cum Patribus conferunt; aiunt vereri se, ne a populo exturbentur, nisi aliquam ampliorem securitatem praestent. Interrogant quid facere possint. Respondent Patres, ad ea iam se ab initio dixisse quid sibi liceat per Constitutiones suas; aliud non habere amplius, hic standum esse; populo, iniqua petenti, resistendum potius cum auctoritate et veritate quam ei cum offensa divinae Maiestatis gratificandum; hoc ad officium ipsorum pertinere; et, nisi adiuvent Ecclesiasticos hoc tempore, venturum illud quo ipsi eadem iniuste patiantur a populo quae modo cernunt Patribus irrogari. Post multa hinc inde dicta, disceditur tandem in eam sententiam, ut proxime, in conventu Statuum, Patrum causam defendant, idque post dies Pentecostes.

Eodem die milites aliquot veniunt sub noctem, et petunt aperiri portam: intrant in atrium anterius, ibi excubias habent nocte tota. Ferebant hoc patienter ipsi de Societate, neque quidquam mali ex ea re adhuc suspicabantur, quandoquidem iam quatuor mensium spatio, omnibus ecclesiae portis caemento obturatis, una tantum relicta erat aperta, qua ad templum ibatur; ad hanc autem noctes atque dies decem aut duodecim agebant excubias, etsi a festo Paschatis liberati Patres fuerant a stationibus nocturnis. Itaque cum milites ea nocte reverterentur, cogitabant Patres velle eos antiquam consuetudinem resumere. Postridie, in Vigilia Pentecostes, tenent milites ostium clausum, neque discipulos ad scholas, neque cives ad templum intrare patiuntur. Ea re tam Patres quam externi consternati sunt; nam ad eam diem et docuerant semper, et Sacramentorum atque verbi Dei pro sua consuetudine ministeria obiverunt, etsi magna cum molestia. Transit ille dies, et festum Pentecostes succedit. Credebant Patres tam Sancto die passuros milites reserari templum; fit propterea gravis altercatio ante portam, Catholicis aegerrime ferentibus sibi negari aditum ad Collegium et templum. Colliguntur hinc inde multi; stant attoniti, exspectant eventum.

VII. Circa horam nonam, alter Consulum, qui Catholicus erat, pulsat fores Collegii; alloquitur Patres, iubet aperire quempiam templum, atque agere illos sua quae solent; se inscio et dolente haec fieri. Quid multis? Pulsant Patres campanam et celebrant. Fit concio gallica hora decima, succedit ultimum Sacrum. Hoc finito, irruunt haeretici in templum, aggrediuntur unum aut alterum e Patribus; acerbe vexant, obiiciunt nescio quae. Cum autem hi subducere se pararent in domum, sequuntur isti; primum ostium vi effringunt, deinde secundum, postea tertium, et tertio in eos sclopum exonerant; quod cum Patres viderent, collegerunt

se omnes qui circa eum locum erant; et in genua provoluti, Deum invocant seque ad mortem disponunt.

Interea tota domus impletur armatis, quorum omnium una vox, Patribus discedendum esse, nisi malint a furente plebe discindi in mille partes. Fuerat ieiunium pridie; mensa parata erat, tantum temporis non est datum, ut liceret Patribus buccellam panis cum pace accipere. Facile non erat omnes in unum locum colligere, cum nullus certus esset ad conveniendum praestitutus; recordantur autem venerabile Sacramentum adhuc in altari stare intra capsulam argenteam. Unus ergo e Sacerdotibus, *P. Ioannes Boccacius*, vadit ad summum altare, flectit genua, adorat Dominum, accipit Venerabile, et secum defert, spectantibus haereticis, nemine contradicente. Quod mirum profecto videri potest, cum eo tempore plus quam trecenti armati, eductis gladiis ducem stipantes, ipsum templi pavimentum opplevissent.

VIII. Cum iam igitur, post duodecimam horam, omnes Socii essent collecti numero quatuordecim, e sacrario, ubi flexis genibus imaginem Crucifixi complexi fuerant, educuntur per templum; in cuius porta subsistere nonnihil sunt coacti, donec custodiae armatae vias sepsissent, qua transeundum erat. Nec hic praetereundum silentio puto factum egregium viri non vulgaris ex primaria familia, civitate Middelburgo, quod oppidum est totius Zelandiae metropolis. Hic aliquando, ob egregia naturae dona, linguarum peritiam, ingeniique acumen, in functionibus publicis suae Maiestati navaverat operam, primusque a Vice-Admiraldo in classe regia fuerat, nec non iam saepius per epistolas Statuum sollicitatus ad defectionem, numquam ipsorum petitioni acquieverat; sed hic Antverpiae quieti sese et otio sancto dedens, tantum profecerat consuetudine Patrum quindecim mensium spatio, ut non erubesceret pro illis et cum illis opprobria, ludibria et oppressiones perferre atque

proditor et latro cum illis haberi. Cum autem eodem die, quo Iesuitae expellebantur, esset in Collegio, se una cum illis ex tempore accingit itineri, ponitque in medio eorum; ac primus in sacristia consistens, Domini crucem amplexus est; et ostendens eam : « Patres mei, inquit, hic protector noster » erit; viriliter agamus; haec est hora qua confiteri ipsum » oportet. » Deinde in medium Patrum progreditur ad portam usque, ubi furiosi quidam detinent ipsum, nec abire una cum illis patiuntur, sed ad carceres abductum in profundissimo puteo, sine cibo et potu ullo, includunt, « unde bonorum quo» rumdam virorum auxilio liberatus, tandem a Patre Provin» ciali Societatis ad probationis domum Treviros missus est, ut » postea intelleximus, » inquit is qui hanc narrationem sub annum M.DC.VI transcripsit; utinam etiam nomen fortis viri discere curavisset!

IX. † Tandem bini egrediuntur socii, omnes palliis vestiti, inspectante omni multitudine, plerisque plaudentibus, nonnullis moerentibus. Progressi ad portum, navi imponuntur, avehendi Mechliniam, clausis post eos portis, quae et tota die clausae permanserant. Cum autem iam in navi sederent, exspectantes salvum conductum (ut vocant), seu fidem publicam, quam Colonelli se Patribus daturos promiserant in egressu, occurrunt variis cymbis Hollandi atque Zelandi, haeretici omnes, circumstant, curiose aspiciunt, multa falsa et foeda in ipsos coniiciunt, alii eos avehere in Zelandiam usque Vlissingam, alii in aquas proiicere, alii spoliare nitebantur; itaque erant tum non in minori periculo quam in Civitate. Quod ubi ad aures civium Catholicorum fautoresque Societatis pervenit, mirum in modum adauxit ipsorum dolorem, fitque maximus luctus, desolatio et suspiria; adeo ut Colonelli fuerint commoti, venerintque cum Magistratu, inquirentes in eos qui talia commiserant et intentarant; quos etiam inventos captivos secum

abduxissent. Tum designati a Magistratu strictissime iniunxerant nautis, curarent ut nihil Iesuitis deesset, nec quidquam molestiarum eis inferrent, atque suis sumptibus Mechliniam delatos traderent in manus designatorum; hoc autem ubi ipsorum Patrum testimonio constaret, condignam mercedem essent recepturi.

Eodem tempore illustrissima Comitissa de Egmont misit ad Patres unum ex bipenniferis suis, qui iis ipsius nomine animi sui dolorem explicaret, et quantopere doleat hunc ipsorum casum, quodque ipsis nequeat ferre auxilium; ex intimis autem praecordiis petere eorumdem precibus se haberi commendatam. Accedunt deinde milites decem aut octo qui comitentur Mechliniam, quorum nemo Catholicus erat, sed omnes infensissimi hostes Religionis orthodoxae. Ab his toto itinere multa passi sunt Patres, perquirentibus an litteras haberent; sed revera pecuniae appetebantur, quas tamen pauculas in unius sacco latentes non invenerunt, etiam cum manus proxime admovissent. Latuit etiam scrutantium manus, mirabili modo, venerabile Sacramentum.

X. Solverunt igitur sub noctem hora nona Antverpia Patres, et Mechliniam appulerunt sub auroram. Ibi, suis et novis custodibus stipati, perducuntur in hospitium, concluduntur in uno cubiculo, custodiuntur arcte. Milites interim qui eos Antverpia duxerant, se coniiciunt in patinas et pocula, adeo strenue ut ante vesperam septuaginta florenos Patrum sumptu impenderent. Interim tristes Patres exspectant commeatum Lovanium usque, sicut ipsis Antverpienses promiserant. A prandio ingreditur Consulum alter, et Capitaneus militum (nam Gubernator civitatis aberat Antverpiae) : hi, omnibus exclusis, alloquuntur illos; ostendunt litteras scriptas a suo Gubernatore; sententia erat Patres quamprimum extra civitatem dimitterent ire quo vellent, commeatum vel auxilium

nullum praeberent. Ea re audita, nonnihil conturbati fuerunt illi, et merito; neque enim hoc aliud erat quam in apertam eos mortem coniicere; adferebant multa, rationes varias, preces, promissa Antverpiensium, et se paratos in carcerem ire, quousque posset responsum Antverpia haberi; sed nihil efficere potuerunt; abeundum erat. Tandem Capitaneus, et alter ille de Magistratu, dicebant se paratos esse exspectare in vesperam: tum, egressis ipsis, clausuros se portas, ne quis insequi posset ad nocendum.

Cum haec ita fierent, divina providentia non deposuerat curam suorum; sed laborabat Antverpiae in hominibus Societati addictis, qui, metuentes ne hoc accideret quod iam moliebantur haeretici, omnem operam adhibuerunt apud Archiducem (qui istic adolescens nomen Gubernatoris habet, cum Princeps Auriacus gubernet omnia); impetrant, inquam, ab eo militem copiosum, qui Patres Mechlinia Lovaniumad mediam usque viam deducat. Ita revixerunt qui iam ad portas mortis descenderant, quando iam audiebant nonnullos dicere, non posse Patres ea nocte mortem effugere, cum certo sciretur plures quam sexaginta haereticos in via esse, ut ipsos trucidarent. Post haec mittitur tubicen Lovanium qui Gubernatori referat, Iesuitas esse Mechliniae, quos parati sint ad mediam viam deducere, ubi sciverint quo loco aut tempore velit eos Gubernator excipere.

Dum haec ultro citroque geruntur, elabitur dies tertia Pentecostes, quo Fratres Minores, numero quindecim, similiter Mechliniam sunt advecti, adductique ad idem cum Iesuitis hospitium summo mane, equitibus quinquaginta totidemque peditibus comitati; quos eodem die, xvi Maii, ad medium itineris, una cum Iesuitis, tubicen Gubernatoris Lovaniensis excepit ducentis equitibus comitatus, totidemque peditibus; qui, ubi ad portas civitatis pervenissent, occurrit eis Gubernator cum

suis, omnesque benignissime excepit, magno cum gaudio et exultatione civium, qui plurimum eorum adventu sibi gratulabantur.

XI. Hactenus Patrum Societatis relatio, quam Rolandus Mirteus suis de Austriaco Commentariis verbotenus inseruit, eique mox subiungit historiam praedictorum Fratrum Minorum, similiter Antverpia expulsorum, altero post Iesuitas die, qualem R. P. Frater Petrus de Monte conscripsit, in nostrae domus historia nominatus auctor, quamque gaudemus ipsam sic posse Patribus Franciscanis hic reddere, eam non amplius apud se invenientibus, nisi reductam in compendium a Sandero praenominato.

† Publicato, inquit ille, illo nefario edicto, die quadam venerunt nocte in Franciscanorum monasterium Scabini quidam et urbis Secretarius, cum nonnullis militiae Tribunis; et Montio Guardiano Religiosisque omnibus edictum proponunt. Tum Montius interrogat: velintne separatim singulos Fratres interrogare, an coniunctim omnes? Et quia singulos se malle dicebant, quaerit, velintne a primis ad novissimos, vel a novissimis ad primos incipere? Respondent: Te primum audire volumus. Cumque singulos cubiculo suo intrare iussissent: Ego, inquit ille, non sum iuraturus. Tu vero, Domine Secretarie, qui nobis iuramentum hoc proponis, non ignoras nos, si iuraverimus, letale peccatum commissuros, perque varios Ecclesiae Canones diabolo tradendos; ipsos etiam seculares qui tale iuramentum ab Ecclesiasticis exigunt, in vinculum excommunicationis incidere. His auditis, cum quae videbantur respondissent, re frustra tentata, stomachabundi discesserunt; ita ut facile appareret, malum illos ingens bonis Fratribus minari.

XII. Equidem ipso Pentecostes sacro die expulsis Patribus Societatis Iesu, post horam secundam a meridie ad Minoritas miserunt milites centum et quinquaginta. Hi monasterium

ingressi, studio incitati, Fratribus concione de more solemni habenda interdicunt: populum ad eam audiendam confluentem repellunt, ac alio abire iubent, quotquot iam ante adventum ipsorum templum ingressi erant, vi exigunt; totoque triduo quidquid lubebat in monasterio designant; funibus interim, quibus ad campanas deligatis Catholici signo dato ad ecclesiasticas Horas convocari solent, in campanilis partem superiorem attractis, ne plebs Missam auditura monasterium frequentaret. Feria secunda Pentecostes, duo missi a Magistratu Recuperatores Guardianum adeunt; eique Magistratus verbis denuntiant, quoniam iurare nolit, ex urbe sine tumultu discedat. Ille vero ultro discessurum se negat inde, ubi a superioribus suis manere iussus sit, nisi vel interficiatur, vel vi expellatur; cupere autem se, si concedatur, Abbatem Maricollensem, Willervallium et Froymontium convenire.

Hi tres postridie cum urbis Praetore, quem Marcgravium vocant, Stralio Consule et duobus Tribunis, Monasterium accedunt; penum, ubi casei et lintea mensae reperiri consueverunt, aperiri iubent; hoc sibi opus esse. Mox eo Guardianus introducitur et charta, quam dixi, proponitur non quidem (sicuti dicebant) ut ille cum Fratribus iuraret, sed tantum ut fide presbyterali et spiritualium virorum promitterent, in papyro comprehensa religiose se observaturos. Tum integram illi formam edicti praelegunt; qua intellecta: Polliceri, inquit, sub fide vel per fidem, haud aliud est quam iurare; quare neque commentum hoc, neque quidquam eorum quae in charta continentur satis sibi placere; nisi quod paratus sit recipere, se Fratresque suos nec hostibus Civitatem proditaros, nec contra quietem securitatemque publicam aliquid molituros scripturosve; imo, si quas in eam sententiam litteras receperint, illas bona fide Magistratui traditaros; amplius si conentur extorquere oleum et operam perdituros.

XIII. Tam male haec loquendi libertas rebelles illos habuit, ut se a conviciis abstinere nequiverint, quin Montium pertinaciae, insipientiae et stoliditatis accusaverint.

Ubi tamen ira paulum deferbuit : An ignoras, inquit Maricollensis, Paulum, omnia factum omnibus, Iudaeis Iudaeum, eumdem pro gente sua cupere anathema fieri; Timotheum quoque et Titum circumcidisse; Moysem vero de libro vitae etiam deleri petiisse. Vos, inquit Montius, istis Sacrae Scripturae locis abutimini, eaque citatis quemadmodum olim periuriorum Doctores Priscillianistae, quibus solemne erat : *Iura, periura, secretum prodere noli.* Quasi vero Paulus cum mendacibus voluerit esse mendax vel simulator, qui de Iudaismi simulatione acriter Petrum reprehenderit. Porro ex lenis animi commiseratione dixerit, se omnia factum in omnibus, et quae sequuntur; quem animi affectum expresserit apertissime, dicens : *Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror?* Nimirum quando suorum aliquem videbat in peccatum incidisse, id sibi accidere, seque uri cum ipso existimabat. Non erat omnia in omnibus imitationis studio, sed commiserationis affectu.

Quod vero Moyses et Paulus de deletione e libro vitae et de anathemate dixerint, huiusmodi seraphicum affectum procul a nobis esse; proinde quomodo illa sint intelligenda, et suum et ipsorum captum superare. Titum minime fuisse a Paulo circumcisum, Timotheum vero circumcidisse, quia, cum esset Iudaeo patre genitus, non multum interesset, si eum in Iudaeorum gratiam circumcideret; plurimum vero sibi nociturum, si rem tam iniustam, ut proponebatur, vel cum iuramento vel simpliciter polliceretur contra multas Imperatorum leges, contra Pontificum decreta, contra D. Pauli praeceptum quo Deo militantes secularibus se negotiis miscere prohibentur; demum contra S. Francisci Regulam, diserte idem statuentem. Denique

desipere illum, si (quod cuidam ore garrienti exciderat) se pro toto populo damnari velle dicat, cum Christus dicat : *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*

XIV. His dictis, mittitur Guardianus in separatum quoddam cubiculum, a militum manipulo custoditum; credo, ne vir, aetate et abdomine valde gravis, celeri fuga elaberetur. Accersitur post eum Lector : aiunt Guardianum iurasse et in charta subsignasse; ille vero ipsos mendacii convincit, ac prorsus negat se obtemperaturum. Si faciat, regimen monasterii, pulso Guardiano, pollicentur Abbates; verum in proposito persistens, mittitur in idem illud cubiculum in quo Guardianus erat. Tertius deinde, quartus, quintus, denique ceteri omnes singuli introducuntur; dicitur singulis subscripsisse praecedentes. Attamen quindecim constantissime nec impio edicto subscribere, nec ullo modo id comprobare volentes, partim responderunt : Utinam, quemadmodum sum cum Guardiano coniunctus voluntate, sic non disiungar martyrio. Ceteri adducti responderunt partim : Ostendite nobis chirographum eius; partim : Quid ille fecerit nescimus, monitionem eius meminimus; scimus, salva nos conscientia quod petitis praestare non posse; partim : Quid fidem a nobis exigitis praestandam hominibus secularibus, cum nullam in nobis infidelitatem deprehenderitis? Decem vero Fratres Professi, quorum Deus corda non tetigerat, fuere callidissimi serpentis astu decepti : cumque suos iurasse et subscripsisse audirent et crederent, signarunt et simplicem promissionem praestiterunt.

XV. Quibus peractis, denuo Guardianus introducitur, seque ad Mechliniensem navigationem parare iubetur; navigium dicunt esse paratum, ipsum cum suis exspectari. Quem cum discedentem viderent decem illi, dolo circumventi,

lacrymabundi et comitari volentes, prohibiti fuerunt; quindecim vero navi impositi, innumeras inter navigandum blasphemias erga Deum, beatam Virginem, S. Petrum eiusque successores audire coacti, multasque contumelias et iniurias perpessi, magna supellectilis parte per furtum amissa, Mechliniam appellunt. Ibi Guardianum Boursius gravi convicio excipit; fecisse ipsum sicut bestiam brutam, solaque insipienti sua quadam pertinacia, non aliqua iusta ratione, eam calamitatem sibi accersivisse. Milites stipatores Fratribus pauxillum illud cibi et potus, quod ad necessariam corporis sustentationem paraverant, magno cum adstantium, veluti re bene gesta, plausu, vi eripiunt. Tandem, uti narrare coeperam, in idem hospitium in quo Patres Societatis Iesu erant, compulsi, quinque curribus, velo contectis, simul omnes imponuntur; eodemque die, quadraginta equitibus totidemque peditibus comitati, Lovanium devehuntur. Ubi ad medium iter venerunt, post multam cunctationem vident venientem tubicinem Gubernatoris Lovaniensis; stipatoribusque suis abire iussis, eum secuti, confestim in ducentos equites et totidem pedites incidunt, adventum ipsorum praestolantes. Ab his humaniter accepti, et Lovanium deducti fuerunt. Ad portam civitatis *Ruysbrochius* Gubernator cum suis, honoris et benevolentiae causa, devotae exulum turbae obviam venit.

XVI. « Ea ratione, » inquit Mirteus, fol. 152 v°, filum historiae suae prosequens, « divina providentia ministros suos leonum rugientium faucibus eripuit; apparet enim, si diutius Antverpiae haesissent, in manifestum mortis discrimen deventuros fuisse. Mox enim a discessu illorum, occupatae ab haereticis eorumdem domus sunt, in opimae victoriae testimonium, et ecclesiae profanatae. Quidam etiam illorum supplicem Ordinibus libellum obtulerunt, quo liberam Calvinisticae sectae observationem, datis aliquot eam in rem

intra oppidum templis, concedi sibi postulabant. Factum id fuerat Orangii instinctu, qui quidquid cupiebat, numquam ipse per se suo nomine, sed per populum concitatum petere consueverat; nimirum ut et unius partis invidiam a se averteret, et alterius gratiam navata in persuadendo opera retineret.

« Nunc etiam acceptum libellum dat Ordinibus, e quibus cum videret tergiversari nonnullos, et Gandensem Pacificationem praetendere : Neque se, inquit, id suo nomine vel sponte petere, neque alieno, nisi coactus foret, petiturum fuisse; sed arbitrari vim concitati populi, in praesenti discrimine non omnino intempestiva postulantis, diutius coerceri non posse; restitisse se hactenus, quoad potuit satis acriter; suarum virium amplius rem non esse, neque velle importunis plebis precibus (quae alioqui vel id quod orat armis consequatur) fatigari. Quare vos videritis, aiebat, meliusne quam ego hasce muscas a vobis abigatis. Adducam illos ad vos qui haec obsecrant, ut iis ipsi vestra prudentia et industria satisfaciatis; simulque digito infinitam seditiosorum et furentium hominum multitudinem ostendit; hos, non se, libelli esse auctores dictitans. Quid agerent, in minimis etiam rebus trepidare perturbarique soliti? Abeunt taciti mussitantesque. Ita consessus Ordinum, re neque inhibita neque concessa, dissolvitur; seditiosi autem hac taciturnitate victoriae confessionem sese extorsisse intelligentes, passim tota Civitate variis in locis conciones suas instituunt, et summa acerbitate Catholicos deprimere, Religiosos vero, qui remanserant, iniuriis multis incipiunt vexare.

XVII. » Non secius etiam in aliis civitatibus Belgii dominationem invadunt. Gandavi quotquot Catholicae Religionis zelosi observatores esse credebantur, una cum sacerdotibus et coenobitis expulsi. Calvinistae eorum in locum suffecti, templa et

monasteria pleraque vel diruta, vel eversa funditus, vel haereticis concessa; omnis denique tam ecclesiasticus quam politicus ordo subversus, non tantum connivente, sed occulte etiam instigante Orangio. Gandavi tandem, daemone suggerente, incredibilis audaciae scelus aggrediuntur, quo vel solo barbariam omnem teterrima crudelitate superarunt. Etenim credentes quatuor Mendicantium Ordines suis conatibus plurimum officere, nefandi facinoris, quod natura detestatur, sanctissimos Patres insimulant. Mox quosdam e iunioribus, quos propter aetatis artuumque infirmitatem, cruciatuum vim haud laturos sperabant, acerrimae quaestioni subiiciunt, eamque per nova tormentorum genera repetunt, donec iam plane convulsis laceratisque corporibus, a semimortuis doloris magnitudine confessionem extorquent mendacem, muliebria se ab iis, quos neci tortores destinarant, Patribus passos. Igitur hac fraude ficti criminis reos, quatuor monachos, singulos videlicet ex singulis monasteriis, publice flammis exurunt. Horum tamen innocentiam Deus Opt. Max. diu latere non sivit: nam hi ipsi qui quaestionis crudelitate coacti falsum testimonium dixerant, statim ac manus carnificum effugerunt, veritatem omnem palam unicuique narrare non destiterunt. »

XVIII. Hactenus Rolandus Mirteus, quem, hoc argumentum per alias Flandriae, Brabantiae, Hollandiae civitates circumducentem, nolo subsequi; quando tamen iam facta est mentio Franciscanorum nefandam calumniam Gandavi passorum, placet hic ex Crusenii Monastico paginam addere: alios plures ex Mendicantibus fuisse ibidem in vincula coniectos; quo populo fierent detestabiliores, gravissimorum criminum reos factos; prae ceteris autem Augustinianos duos, *Iudocum van Dycke*, subdiaconum, et *Nicolaum Daniel*, annorum octodecim, ad ignis supplicium, quamvis innocentes, ut protestabantur publice et privatim, condemnatos a iudice adactosque.

ARGUMENTUM.

I. Seditiosus unus, alterque sacrilegus capite plectuntur. II. Ducuntur processiones. III-IV. Calvinistae et Lutherani, oblato libello, petunt publicum exercitium. V. Bredani ex sententia Ordinum impetrant ab Antverpiensibus ius liberae civitatis, in gratiam Auriaci, cui etiam illi decernunt donandam domum cum horto.

I. Altero post eiectos Minoritas die, sedato per Consules et Gildas tumultu populari, cum Magistratus qualitercumque sua interesse putaret, atrocis facti invidiam lenire aliqua iustitiae specie, illius motus praecipuos incentores duos, adolescentem unum, alterum instructorem militarem (Locumtenentem appellant), comprehendi iubent et in carcerem duci; et, die xxiii, ad mortem damnant. Mox igitur ante combustam Curiam stetit ferale pegma, eademque de causa cinxerant Forum Gildae armatae. Sed quia dubitabatur an sententia executioni esset mandanda, re ad Aulam relata, usque ad meridiem illae ibi steterunt, et iuventus a septima matutina in via Coriariorum. Tunc mandatum venit exequendae sententiae; iuventus quoque bene ordinata ad Forum processit, ubi prior adolescens capite plexus est; Lieutenantius autem non nisi tertio ictu decapitatus; lictorem suum socium habuisset in morte, nisi hic flexis genibus eam a populo circumstante fuisset deprecatus.

Die xxvi Maii, famulus eleemosynariae Camerae in templo Deiparae conscendit suggestum concionatorium, exploraturus quisnam eleemosynariam arcam quothebdomadis spoliaret. Itaque cum is fur more suo ingressus Cameram esset, ostium post se semiapertum relinquens, accurrit de suggestu famulus, ostium clausit et deprehensum furem Dominis Eleemosynariis tradidit; qui, mox carcere clausus, et a Praetore examinatus, confessus est quod continuis hebdomadis sex, feria ii

irrepserit in Cameram, arcamque aperuerit ea clavi, quam sibi ipsi limando aptaverat; tantumque sumpserit, quantum credebat posse latere. Quapropter, die vi Iunii, morti addictus, et postridie fuit e patibulo suspensus.

II. Die xxix Maii, festo Corporis Christi, ducta est solemnis processio, in qua pro more circumlatum est Venerabile Sacramentum, praelucentibus ecclesiasticis laicisque cum ipso Archiduce, capitibus nudis. Ita scilicet illudebatur bono Principi, quo inspectante Iesuitae et Minoritae expulsi fuerant, et apud Auriacum expostulante haeccine essent servandae Catholicae Religionis promissa, sibi ab eo et Statibus facta. In die tamen SS. Petri et Pauli intermissa fuit processio annua cum imagine S. Eligii, praetextu nimiae multitudinis ad spectaculum accursurae, nec facile ab iniuria continendae. Similiter et eodem praetextu suspensa fuit processio cum imagine S. Iacobi, in huius Apostoli festo duci solita, uti neque medio Augusto consueta amburbalia cum icone Mariana processerunt. Interim in tribus grandioribus domibus Antverpiae fiebant conciones haereticae, prohibente nemine.

III. Quo autem die eiecti sunt Patres Iesuitae, inquit eorum historicus, domus Collegii omnibus spectanda patuit, ea tantum lege ne quid auferretur, adhibitis ad portam custodibus; quae domus deinde, publica Magistratus auctoritate clausa sigilloque munita, ita perstitit ad duos menses. Accidit interea, non ita multo post, stramineam corollam et virgam albam ad vestibulum a nonnullis suspendi, signum domus venalis, quale tum solebat, sed peste infectae; fortassis ut spectantibus fidem facerent, incolas eo morbo consumptos esse. Sed quod illi ex ludo fecerunt, divina providentia in rem seriam vertit. Illico enim pestis in loca Collegio vicina se coniecit, ubi tamen ante nulla erat; et pervagata latius in eam se viam effudit, ubi habitabant qui excitatae in Iesuitas tragoediae

praecipui auctores fuerant, bonamque eorum partem e medio sustulit. Spargunt deinde libellum in vulgus, in quo continebatur Iesuitas, aere alieno obrutos, cessisse urbe et Collegio, ut hoc scilicet colore suam defenderent innocentiam.

« III die Augusti, Collegium, auctoritate Senatus clausum, effringunt haeretici, templum profanant, ablatisque inde omnibus quae ad divinum cultum spectabant, concionari incipiunt, aliaque sacrilega sua exercere instituta, ita ut septem vel octo loca diversa iam tenerent; in quibus hoc etiam erat miserabilius, quod interiecto pariete ita templa monasteriaque diviserant, ut chorus Catholicis aut monachis cederet, cetera vero pars in praedam et praedicationem haereticorum. » Atque hic fuerit ille paries, cuius fundamenta circa vas aquae lustralis, in umbilico Marianae Basilicae, retecta se vidisse asseruit mihi advocatus Nys.

IV. Inter haec crescebat quotidie plurimum (inquit auctor Leonis Belgici, Aitzingerus, pag. 247) Principis Auriaci auctoritas, simulque eo dissimulante, aut etiam favente, numerus Protestantium sive Reformatorum, ut se vocabant, Belgarum. Hi, Antverpiae valde multiplicati, Matthiae et Senatui duos obtulerunt libellos; quibus libertatem Religionis petentibus, respondit Archidux, Senatusque illi adiunctus, deliberationem ea de re pertinere ad Senatum Ordinum, non ad se, eosque illuc remiserunt. Res est agitata et diutius disceptata, non multum reluctantibus etiam praecipuis Ecclesiasticis, sibi timentibus ne, adveniente Casimiro cum exercitu, ipsi tamquam auctores negatae libertatis a populo opprimerentur. Tandem tamen reiecti sunt ad conventum Ordinum Generalium, brevi Teneramundae celebrandum. Ibi eam se obtenturos sperabant Reformati, iamque ipsam sibi praesumpserant in plerisque Flandriae et Brabantiae civitatibus; fiebatque ad eorum conciones concursus maximus.

Quia autem plerique satius iudicabant haec ita fieri quam non fieri; multi autem rati sunt haec fieri debere auctoritate Magistratus; MATTHIAS, datis quaquaversum ad Ordines Provinciarum litteris, supplices eis Reformatorum libellos, cum copia Articulorum pro pacificando Religionis negotio, transmisit, mandans sibi eorum de hoc iudicium et sententiam quamprimum transcribi. Ordines vero, cum vererentur Religionis reformatae publice exercendae libertatem absolute concedere aut negare, e re duxerunt fore, si populo similem facultatem darent, quam Germani inde iam ab anno M.D.LV Augustinis Comitiis obtinebant, dummodo pro ea numerarent quingenta (alii dicunt quinquaginta tantum) aureorum millia, ex egressu mercimoniarum omnium, quae e Belgio pendunt decimum; unde maxima pecuniae vis conficiebatur.

V. Quomodo inter haec se habuerit Auriacus, necdum se palam a Catholica Religione alienum professus, nusquam proditur; et incertus quo esset evasura res, hoc cogitabat, qua tandem ratione, in aliqua saltem parte Belgii, propriam, sibi stabilem sedem firmaret, in qua independenter a superiori potestate, iurisdictionem quasi Regiam obtineret; nec alia visa ei est aptior quam Breda; sed hactenus Riensi Marchionatui innexa, et eatenus eius capiti Antverpiae subdita. Fecit ergo per suos, ut ipsa, scriptis ad MATTHIAM Archiducem litteris supplicibus, liberae civitatis praerogativam obtineret. Litteras ipsas exhibuit mihi volumen MSS. continens omnia in Pleno Antverpiae Consilio proposita, consultata et decreta hoc anno, mihique ab Advocato Nys commodatum. Ibi, pag. 202 et seqq.
« Superintendens, Drossardus, Scultetus, Consules, Scabini
» et Consilium civitatis Bredanae, suae Celsitudini humiliter
» exponunt, quod, cum sua civitas sit Brabantiae limitanea,
» atque per praegressas turbas, gravissimas sub Hispanis exa-
» ctiones, pene desolata, communis boni intersit, ut ea in

» pristinum suum statum restituatur; nihil potuerint efficacius » excogitare, quam si sua Celsitudo eam dignetur donare pari » cum aliis Brabantiae Capitalibus libertate; per quam ipsa » quoque inter eas numeretur; et inquilinis suis, in quocum- » que opificio rite probatis, facere potestatem possit illud » ubicumque locorum exercendi ab omni Brabantico telonio » liberis. Quod minime novum videri debeat, cum iam inde » ab anno M.CC.XII talem fuisse habitam Bredam, doceatur » per privilegia data eidem a Ducibus Brabantiae, solius » homagii exigendi ius sibi servantibus. »

VI. Primum eorum ab Henrico Duce datum Satrapae suo Godefrido, ad annum praedictum legendum dedi : hic subiungo, quod Archidux acceptum libellum remiserit XXV Maii ad Auriacum, Financias et Status. Et Auriacus quidem mox, die XXIX, faventissimam sententiam libello subscripsit; *Financiarum* autem Commissi, die XXIII Iunii, responderunt, « quod pro certiori informatione censuerint sibi recurrendum esse ad *Consilium Rationum* Principis praedicti in civitate Bredana; quod Consilium per datas XIII eiusdem rescripserit, vera dici, et rationabilia peti quoad principale punctum de opificibus; quoad iurisdictionem vero absolutam in causis iustitiae, nihil suo Consilio praeiudicari; quandoquidem Bredani iam pridem sint in eo gradu positi, ut ab eorum sententiis nulla appellatio detur, sed solum reformatio. *Praeses* quoque *Camerae Rationum*, cum suis XXI Iunii rescribens, excepit libertatem a teloniis. *Nobiles* vero Ducatus Brabantiae votum suum ferendo dumtaxat cautum volunt, ut levantibus reditum supra Cameram Rationum aliunde prospiciatur; quibus etiam sententiam suam conformant Consules, Scabini, Thesaurarii et Quaestores Antverpienses, die XX Augusti. »

Quid ulterius in favorem Bredanorum ad commendationem Auriaci factum sit, non invenio explicatum, sed bene quod

Antverpienses, ad gratiam Auriaci aucupandam impense proni, et suspicati rem eo tendere ut ipse Bredae constitueret habitationem, eiusdem Augusti mensis die xxiv rogandum Principem censuerunt, ut vellet eam apud se continuare ad eorum securitatem, et propter grandia commoda, Civitati inde provenientia ac proventura.

VII. « Quinetiam eapropter decreverunt illi donare fundum, tam amplum ac spatiosum, quam conveniet instruendae ipsius Aulae hortisque congruis ad eamdem, tamquam Brabantiae Gubernatori, Antverpiensisque Burggravio hereditario, quamvis satis intelligant eiusmodi domum non aequare Excellentiae suae merita et beneficia profecta in Civitatem per eum zelum, quo communi hosti resistens, non desinebat procurare restitutionem libertatis et privilegiorum veterum. Rogant autem ut Domini Exscabini, Hooftmanni et Vicomagistri huic decreto velint consensum suum praebere, prout eodem die in Pleniori Consilio faciunt, sub ea tamen conditione, ut fundus, adiungendus ei quam tunc incolebat domui, non incurrat in limites viarum, ex praeconcepta designatione ducendarum per planitiem ante arcem. Boni autem viri et Ambacta, priusquam consentirent, petierunt, die xxx, exhiberi sibi delineationem fundi sic occupandi. Interim, eodem die, Graphiarius Martini ad Principem missus fuit, ut dignaretur reditum in Civitatem accelerare: qui respondit : Nihil se moraturum mox atque negotia paterentur. » Haec ergo est illa domus, quam ex eo tempore, si non antea, obtinuit Princeps in ipsa arce, et nunc obtinet arcis Gubernator, e regione ecclesiae, decempedis xxv in quadrum ducta, cum ampliori etiam horto versus meridiem, stabulis opportunis versus occidentem clauso, ut in schemate arcis videre est.

ARGUMENTUM.

I. Ne Dux Alenzonius recipiatur in Defensorem, frustra dissuadet Caesar Rudolfus per litteras et legationes. II-VIII. Factum conantur excusare Status. IX. Horum ad Alenzonium litterae. X. Interim conciones haereticae variis locis in urbe habentur, multa tamen pergunt ritu Catholico fieri.

I. Non rediit ita cito Antverpiam Princeps, alibi occupatus in sollicitandis animis ad recipiendum cum auxiliis Francicis DUCEM ALENZONIUM; quando in Archiduce Matthia auxiliisque Germanicis parum spei erat ad resistendum Hispano. Hoc agi pridem sciens Imperator Rudolfus, Ordinibus huiusmodi epistolam scripsit :

« Reverendi, Illustres etc... Redditae Nobis sunt superiori mense Ianuario litterae, quibus, inter alia, de legatione ad Nos destinanda mentionem fecistis; quam dum exspectamus, diversis ex locis et multorum litteris Nobis nuntiatur, Vos novos cum Serenissimi et Christianissimi Franciae Regis, fratris et consanguinei nostri carissimi germano, Duce Andegavensi, tractatus suscepisse; ac eos quidem tales, ut eisdem ad effectum (quod absit) deductis, res ea in gravissimum, non modo Serenissimi Hispaniarum Regis Catholici, avunculi, sororii et fratris nostri carissimi, ac universae inclytae Domus Austriacae, verum etiam nostrum tamquam Romani Imperatoris, Sacrique Imperii praeiudicium cessura sit. Licet vero nobis difficulter persuadere possimus, Vos tam aliena a vestro officio, eaque fide et observantia, quam tum praedicto Serenissimo Hispaniarum Regi, naturali ac legitimo vestro Principi, tum Nobis etiam Sacroque Romano Imperio debetis, consilia amplexuros esse; nihilominus tamen pro paterna quam de vestra ac ditionum vestrarum salute gerimus cura ac sollicitudine, minime praetermittendum duximus, quin (quod

saepius antea, ac tam per legatos quam per litteras, prolixe a Nobis factum meministis) vos iterum moneremus, ne eiusmodi consiliis (non modo res vestras in longe graviores quam hactenus experti estis difficultates et angustias coniecturis, verum etiam patriae vestrae extremam sine dubio perniciem atque interitum allaturis) aditum detis; praesertim cum necdum omnis conficiendae pacis, sicque ditiones istas per idonea media ad pristinum tranquillitatis statum reducendi spes sublata sit.

» Etenim Nobis sic animo constitutum est, quod, etsi suscepta nuper Coloniae eius pacis tractatio nequaquam eum, quem boni omnes sibi pollicebantur ac votis omnibus exoptabant, sortita sit effectum; nihil tamen ab instituto huius modi desistere, quin imo omni maiori studio ac conatu in id incumbere velimus, ut huiusmodi tractationi continuandae locus esse, sicque salutaris ac firmae pacis sequi possit effectus. Cumque ante plures iam septimanas Oratori nostro in Hispaniis residenti id negotii dederimus, ac nunc denuo committamus, ut cum Serenissimo Rege Catholico hac de re agat; Nobisque persuasum sit, Serenitatem suam minus se difficilem praebiturum, praesertim, si vos ab eadem pacis tractatione tantummodo haud alienos esse cognoverit; Vos benigne clementerque hortamur et requirimus, ut vestros Nobis animos ita declarare velitis, ut omnes homines intelligant, Vos nihil magis desiderare, quam cum saepe fato Serenissimo Rege in gratiam redire, eidemque aequis conditionibus reconciliari. Quo istud imprimis pertinebit, ut condignam eius vinculi, quo tam Serenitati suae quam Nobis ac Sacro Imperio obstricti estis, rationem habentes, exitiosis illis ac maiorum vestrorum virtute, acceptaque ab eisdem Principibus suis fidei laude, parum dignis consiliis Gallicis nullum prorsus locum relinquatis; quin imo, iisdem reiectis, quod a nobis proponitur, ulterioris

tractationis medium amplectamini. Eo namque modo et patriae vestrae saluti et commodis, et Reipublicae Christianae (cuius etiam res haud postremo loco agitur) quieti et tranquillitati optime consulturi estis. Quod reliquum est, Caesaream nostram benevolentiam et gratiam vobis propenso animo referimus. Datum in arce nostra Regia Pragae, xxII mensis Aprilis, anno Domini M.D.LXXVIII. »

II. Redditae notantur hae litterae in volumine Actorum die x Maii; sed quam parva earum habita sit ratio, intelligitur ex aliis, ab eodem Imperatore datis ultima Maii; in quibus etiam mentionem facit, nescio an harum, an vero adhuc prius datarum xxII Martii; vereor enim ut in hac, quam subiungo, posteriori recte scriptus a librario Martius sit, et non debeat legi Aprilis, quo data est ista hic immediate praecedens. Utut est, ecgraphum Actorum sic procedit : « Reverendi, Illustres etc. Dedimus ante plures septimanas, die videlicet xxII superioris mensis Martii, ad Vos litteras, quibus attigimus, quae pro vestro ac Regionum vestrarum Belgicarum bono ac tranquillitate egissemus; simulque tum iisdem litteris nostris, tum per Consiliarium nostrum et supremum Curiae Mariscalcum, Nobilem nostrum et Imperii Sacri fidelem, dilectum Othonem Henricum, Comitem a Swartzenborg, nuper instituti a Nobis Conventus Electoralis rationes, ad hunc ipsum effectum spectantes, vobis ostendimus. Quoniam vero illa, et quae sic paterno hactenus integerrimoque animo acta fuerunt, aliter atque ita accipi intelligimus, quasi res minus serio agatur, adeoque arrepta inde occasione, Vos ad extrema et talia consilia spectare edocti sumus, quae uti vestra integritate, ac tam in Serenissimum Hispaniarum Regem Catholicum, avunculum, sororium ac fratrem nostrum carissimum, quam Nos Sacrumque Imperium observantia et devotione parum digna, Vobis patriaeque vestrae haud dubio ultimam perniciem, cum summo Reipublicae Christianae detrimento,

essent allatura; Nos, tam pro rei huius magnitudine, quam in Vos ac regiones vestras benigna affectione, haud omittendum duximus quin, destinato ad vos speciali Legato, per eumdem et sincerum nostrum animum, et quam pro salute vestra gerimus paternam assiduamque curam, vobis declararemus; et difficultates atque pericula, extremis istis consiliis coniuncta, in mentem vocaremus. Ideoque Vos benigno summoque studio hortamur et requirimus, ut nostrum istum Legatum, praesentium latoris vestigiis mox instituturum adeoque paucissimis post diebus istic affuturum, patienter exspectare, neque interim quidquam novi statuere velitis. Non diffidimus enim quin, iis cognitis quae nostro nomine Vobis per eumdem proponenda erunt, animi vestri acquieturi, neque causam habituri sint alias easque summi periculi plenas indignasque rationes ineundi.

III. Scribimus autem nunc illustrissimo D. Ioanni ab Austria, eumdem diligenter hortantes, ne interea temporis de facto rem agere pergat; atque insuper cum praefati Sereniss. Regis Oratore apud Nos residente egimus, ut et is opportuna hoc loci praestet officia. Id quod Vobis per praesentem nuntium, magna celeritate praemissum, clementer significare voluimus; omnino Nobis pollicentes, Vos nostrae hac in parte exspectationi, cum vestra ac patriae vestrae salute et commodis maxime coniunctae non esse defuturos. Quod superest, gratiam nostram Caesaream Vobis benigno propensoque animo deferimus. Datum in civitate nostra Vienna, die XI mensis Maii, anno Domini M.D.LXXVIII etc. » Recepta fuit haec epistola ultima Maii. Quamdiu in itinere Legatus promissus fuerit, non invenio; sed ex responso, ad diem XX Iulii expedito, satis intelligitur, nec moratum diu, nec efficacem valde fuisse adventum eius. Fuit enim illud tam fuci urbani plenum quam sincera pacis intentione vacuum; hic tamen apponendum, ut luculentius appareat

malignitas rebellium, nihil minus quam pacem volentium. Ita sonat:

IV. « Praelati, Nobiles, ac Provinciarum Civitatumque Germaniae Inferioris Delegati, qui universos Ordines repraesentant. Immortales Sacrae Caesareae Maiestati, summa cum animi submissione atque observantia, agunt gratias: quod post violatas a Ioanne Austriaco pacis conditiones, secundo legationem huc destinare, et Illustrem *D. Sigfridum Preyner*, Baronem in Stubing et Aulicum Caesareae Maiestatis suae Consiliarium, Legatum a se mittere dignata sit; qui pro officio et candore suo, studioque quo has ditiones prosequitur, singularem benevolentiam et amorem Sacrae Caesareae Maiestatis erga istas Inferioris Germaniae Provincias, nec non sinceritatem, curam et sollicitudinem pro salute et securitate ipsarum ditionum a Maiestate sua exhibitam, cum luculenta beneficiorum (quae nulla vel temporis diuturnitate, vel calamitatum magnitudine obliterabuntur) commemoratione, clarissime exposuit. Et cum omnia amplissima sint, quae sua Caesarea Maiestas pro salute harum Provinciarum procuravit, tum illud etiam maximi ponderis et praecipui momenti existimavit, quod sua Maiestas Hispaniarum et Regem exhortata est, ut suae Maiestati rem omnem permitteret, et ab armorum consilio desisteret; deinde quod Sacri Imperii Principes Electores admonuerit, ut in personis propriis in conventu Wormaciensi convenirent, et per se ipsos declararent de rationibus, quibus tandem hae Provinciae in pristinum statum restitui possent, et quid de postulatis utriusque partis constituendum foret. »

V. « Quod vero ad praetensas oblationes attinet, recordantur Ordines, atque in recenti memoria habent, tenorem litterarum et scriptorum quae obtulerunt ut Regi Catholico reconciliarentur, et formam Reipublicae ac Religionis

retinerent, ac tranquillam vitam ducerent; professi ante annos aliquot, se neque ab obedientia Maiestatis suae, neque a Religione Catholica-Romana recessuros; quemadmodum etiam superiori anno, post pacem Gandavi initam, et Caesareae et Regiae Maiestati per litteras denuo declararunt, se in eadem obedientia ac Religione, secundum terminos dictae Pacis, permansuros, si, revocato intolerabili Hispanorum aliquorum exterorumque imperio, quiete et secure possessiones suas cum uxoribus et liberis retinere possint. Quin etiam, etsi post violatas ab Austriaco pacis conditiones, et bello miserabili infestati, et antea decepti, propter insidiarum periculum ab ulteriori congressu abhorrerent; ne quid intentatum relinquerent, quod ad pacem fulciendam et restaurandam pertineret, Baroni de Selles, Regis Catholici Legato, eadem quae prius obtulerunt, addita aperta et necessaria postulatione et significatione imminentium periculorum, tum in Religione, tum in dicta obedientia; ne Regia Maiestas differendo pateretur subditorum diffidentiam et desperationem longius procedere. Verum sua Maiestas numquam in tempore dignata est humiles supplicationes et lacrymabiles preces suorum subditorum admittere et exaudire; quin imo (quod est miserabilius) pro benevolo et clementi responso ab Ordinibus certissime exspectato, et novissime a Domino de Selles constanter affirmato et promisso, iustissimas preces Ordinum reiecit, pacta transactaque Gandavensia, solemniterque probata, irrita fecit; et suos subditos crudelissimo bello aggressus est, remittendo auxilia militaria undecumque contracta, ad exequenda turbulenta et perniciosa Ioannis Austriaci consilia; quo factum est, ut tanta Reipublicae perturbatio, tantaque malorum quae bellum secum trahit inundatio, cum magna animorum alienatione secuta sit; ut merito dubites, an priora illa promissa et oblationes (praesertim relatione facta ad tempora

Caroli V) quae nunc sero a Maiestate sua urgentur, hoc periculoso tempore adimplere vel possibile sit, vel etiam expediat. Et praeterea cum Maiestas sua inita Pacificationis Gandavensis pacta observare detrectet, non omnino mirum videri debet, si subditi vicissim sese a vinculo dictorum pactorum, respectu Regis, liberatos existiment. »

VI. « Et cum per belli calamitates cura Religionis stabiliendae difficulter retineatur, dolent et ingemiscunt Ordines, labi opportunitatem qua commode remedium adhiberi posset; praesertim invalescente licentia militari et morum dissolutione, quae ex progressu funesti belli inducitur; cuius auctoribus, non populo aut Ordinibus, irascendum est; quibus in hac rerum peristasi magis civium suorum concordiam procurare necesse est, quam contentione tutandae Religionis Hispanorum insolentiam confirmare, et tropaeum contra se ipsos erigere, ut in tanta animorum desperatione et infinita multitudine diversam Religionem sequentium, urbes eorum, exagitatae seditionibus et caedibus, ab exteris tandem diripiantur et evertantur; adeo enim sui compendii, cum Ordinum dispendio, studiosi sunt adversarii, ut per Religionis abusum, Provinciarumque servitutem et calamitatem, stabilire se conentur, et incitato Religionis dissidio, popularibus seditionibus, quas per varias proditiones moliuntur, vires Ordinum debilitent, atque infirment; et tandem absque discrimine, tam Catholicos quam eos qui a Romana Religione discesserunt, minori negotio aggrediantur et opprimant, redintegrata Hispanorum tyrannide et intolerabili imperio secundum perniciosum consilium Secretarii Escovedi; in quo praecipuam spem et principalem scopum actionum suarum constituunt; ita ut metuendum sit, ne Ordines inter duo mala constituti, cogantur qualiquali remedio civium concordiam retinere potius quam Rempublicam deserere, et, exteris instantibus, vitam, uxores, liberos et possessiones evidenti exitio exponere. »

VII. « Ex quo fit perspicuum, non Ordinum culpa, sed mora et perniciosis consiliis, quibus Regia Maiestas imprudenter acquiescit, in deterius et quasi ruinam omnia collabi. Quo enim studio, qua sedulitate Ordines superioribus annis, cum res tempusque ferebant, cum Regis obedientia Religionem sartam tectamque servare conati sint, Deus, inspector animorum, novit, et res ipsa, quae anno sexagesimo sexto gesta est ante adventum Albani, luculenter testatur. Quibus autem calumniis et iniuriis improbissimorum quorumdam hominum, praesertim Albani et sequacium suorum, sanguinem subditorum sitientium, Maiestas sua malo quodam fato in transversum acta, et ab omni clementia abalienata fuerit, cum doloris acerbitate recordantur omnes. Unde enim quietis et tranquillitatis remedia sperabantur, inde maximae molestiae et turbulentissimae tempestates emanarunt.

» His itaque consideratis, sacra Caesarea Maiestas facile animadvertit, per Ioannem Austriacum aliosque malum consulentes, ditiones in maiorem confusionem recidere; atque disturbari occasionem exequendarum priorum oblationum, sublata causa ex qua factae erant. Nam oblationes illae factae fuerunt, cum Ordines sperarent Rempublicam calamitatibus liberatum iri; Regem, perniciosis consiliis abiectis, bello abstenturum; Ordines conventuros ut de communi universae Reipublicae bono communicarent; quae neque ad humiles preces subditorum neque ad frequentes et serias Imperialis Maiestatis aliorumque Principum intercessiones obtineri potuerunt, culpa eorum qui improbe, temere, imprudenter, ferociter et inhumaniter in his rebus versati sunt, et statum politicum omni modo perturbarunt: quibus propterea omnia imputanda sunt. »

VIII. « Quemadmodum etiam mirum videri non debet, si, in hoc rerum statu, subditi Regem non tam religiose venerentur, a quo gravissimo bello Provinciae impetuntur, et maioribus

cladibus afficiuntur, quam umquam a maximo inimico pertulerunt; et, si vasallis, ob negatam iustitiam, licet Dominum depraedari, et inter Dominum et subditum mutua sit obligatio, nullum vituperium Ordinibus adscribendum est, si, post obtentam erga Principes suos fidei et constantiae laudem male tractati, pro defensione libertatis et vitae, adversus eum arma sumant, a quo armis et bello invaduntur. Et, cum omnes eorum beneficiorum meminisse maxime soleant quae in calamitatibus acceperunt, summa est occasio, qua Caesarea Maiestas et Principes Sacri Imperii bene mereri possint de ditionibus Belgicis, et simul non minus sibi ipsis quam illis prodesse, si, missis suppetiis militaribus, afflictos Belgas, vicinos et membra Sacri Imperii, adversus exterorum vim atque ferociam prompte tueantur; atque illos qui Inferiorem Germaniam oppugnant et illustrissimum Matthiam, Caesareae Maiestatis germanum, illarum Provinciarum moderatissimum Gubernatorem, cum ignominia tum ipsius tum ipsorum Ordinum deturbare conantur, ab armis deterreant, tutelam atque protectionem Provinciarum suscipiant; quae promptissima est ratio conservandi Imperii Belgici vel Regi Catholico vel Domui Austriacae, ante quam deserti Ordines de exteri Principis auxiliis certiora concludant consilia. »

IX. « Quae quidem consilia de exteri Principis auxiliis non ignorant suis incommodis non carere; tamen eiusmodi sunt, quae eos praesenti calamitate et belli metu possint liberare. Quod utinam Caesarea Maiestas et Imperii Principes etiam sibi faciendum proponant; hoc est, Provincias Imperio confoederatas, et quarum ruina magnam Imperii partem inimicis patefaciat, armis defendere; praesentibus enim auxiliis potius quam Commissariis rem gerendam esse. Nam, etsi non dubitant Maiestatem Caesaream velle procurare ea quae pertinere existimat ad pacem his Provinciis restituendam, tamen cum re ipsa Ordines

experiantur, quam parum spei ponendum sit in rebus adeo incertis, et in voluntate inimicorum positis, orant Maiestatem suam ut ignoscat Ordinibus, quod in his suae Maiestatis consilio et voluntati obsequi minus possint. Nam, cum etiamnum incertus Ioannes Austriacus sit quantum suae Maiestati tribuat, et quid de cessatione ab armis et reliquis suae Maiestatis mandatis facturus sit, facile putant intelligi posse quam non conveniens neque consultum sit de induciis et armorum suspensione mentem et voluntatem declarare. Sed cum ab initio Ordines semper pacificationi non insidiosae operam dederint, et nihil aliud desiderent quam, conservata patriae libertate, in pace vivere, aperte profitentur, se pacis tractationem minime reiicere, sed eam summopere desiderare, quae tot aerumnarum et calamitatum, quae proveniunt ex bello, omnium malorum lerna, promptam levationem adferre posset. »

X. « Quamobrem non potest non Ordinibus esse gratissimum, quod iterum sua Maiestas Commissarios Caesareos ac neutri parti suspectos ad sese destinaverit; qua in re sollicitudinem et curam quam sua Caesarea Maiestas suscepit pro Provinciarum salute, humiliter agnoscunt, et in dies magis ac magis se suae Caesareae Maiestati pro tam immensis beneficiis obligatos confitentur; id unum postulantes, ut veniam det, si nihilominus interea securitati suae prospectum volent. Ut tamen iura inclytae Domus Austriacae, et foedera a Provinciis cum Sacro Imperio inita, quantum fieri poterit, conservent (quae sane, ut neque Regis Hispaniarum auctoritatem, si tandem ad subditorum supplicationem et preces adhibet aequas aures, nullo modo imminui paterentur), et cum his quae dicta sunt, et quae Legatus eorum suis oculis animadvertere potuit, Illustrissimo Caesareae Maiestatis Legato satis quam iustum et aequum sit desiderium Ordinum, constare possit; hoc unum petunt et rogant Ordines, ut Legatus

fideliter suae Maiestati exponat quae ad salutem et conservationem Inferioris Germaniae pertinebunt; quod in eam rem operam diligentem pollicetur, summas agunt gratias, quas etiam referre Ordines parati sunt. Datum Antverpiae, XX die Iulii M.D.LXXVIII. »

XI. Nempe post varias litteras hinc in Galliam datas et inde acceptas, quas parum attinet hic attexere, iam inde a die XIV Iunii directa ad Alenzonium erat epistola, cum titulo *Defensoris Belgicae libertatis*, quam ex teutonico sic latinam facio :

« Intellecto tenore litterarum, quas Celsitudini suae placuit, per Legatum Dominum Despruneaux, nobis scribere IX huius, ex eius parte declarans continuationem paternae erga nostram defensionem sollicitudinis .... non solum incredibili sumus affecti gaudio, sed etiam mirum in modum confirmati in proposito omne obsequium deferendi Celsitudini tuae, cui pro tali affectu immensas agimus gratias. Quoniam autem per nostras, datas XIII Ianuarii, curare promisimus apud eos, qui nos deputarunt, ut suae Excellentiae in omnibus fiat satis .... non possumus quin illi significemus, quod nuper coeperimus hic Antverpiae congregari, deliberare quid facto opus sit; conditionesque digessimus sub quibus frui possimus vestra tam desiderata protectione.... Rogamus autem id, quod etiam quatuor membra Flandriae per deputatos suos rogare coeperunt, ut exercitum suum quanto ocius praemittat ad nostrum subsidium. »

Sequuntur post alia huc spectantia, Articuli XXVII, a Principe Auriaco et Statibus generalibus concepti, cum quibus, sub ratihabitione Provinciarum hactenus unitarum, tractari possit cum Duce Andegavensi. Ac primum inquiunt : « Antiqua foedera domus Burgundiae, nominatim cum regno Angliae, maneant in eo quo nunc sunt statu, absque ulla in iis mutatione; ipsisque includantur Imperium, Regesque Navarrae,

Scotiae, Daniae, ac Sueciae, Civitates Galliae, Electores Imperii, Dux Cliviae cum suis confoederatis; nec non Dux Casimirus Palatinus Rheni, et quicumque alii Proceres, Potentates ac Respublicae, volentes hanc confoederationem ingredi, sub iis conditionibus, de quibus communi consilio poterit conveniri, ad maiorem securitatem sic colligatorum.

» II. Rex Franciae declarabit bellum Hispaniae Regi et omnibus ei adhaerentibus, ipsumque tam terra quam mari aggredietur, aut fratri suo dabit sufficientia media ad hasce Provincias in perpetuum defendendas contra illos et alios quoscumque inimicos.

» III. Hunc autem in finem Francia et praedictae Provinciae in aeternum confoederatae manebunt ex mutuo consilio bellum gerentes contra quoscumque alterutras oppugnaturos; ita tamen ut hae Provinciae numquam possint incorporari Coronae Franciae, sed maneant sub antiquis suis legibus, consuetudinibus, iuribus, usibus, contractibus, et privilegiis atque conditionibus hic specificandis.

» IV. Pollicebitur Celsitudo sua, in hisce Regionibus servare Religionem eiusque pacem, qualis nunc est, ac nominatim in Provinciis Brabantiae, Flandriae, Geldriae, Mechliniae, Ultraiecti, Frisiae, Transislaniae, Ommelandiae, Drentae, in quibus sua Celsitudo nihil poterit mutare aut innovare; Hollandia autem atque Zelandia, praesertim in puncto Religionis, manebunt sicut nunc sunt.

» V. Generatim vero non permittet Excellentia sua, ut quisquam domi suae inquiratur aut inquietetur titulo Religionis, quam forte etiam extra has Provincias voluerit tenere; et tam unos quam alios protegendos assumet.

» VI. Excellentia sua utetur Consiliariis, quos ipsi Provinciae assignabunt; inter quos nulli erunt Franci, nisi forsitan unus alterve, ipsis gratus probatusque.

» VII. Excellentia sua, in hisce citimis partibus commorans, praecipuos domus suae Officiales habebit ex ipsis Provinciis, ceteros vero quos voluerit; ita tamen ut qui Nobiles erunt, huiates ferme sint.

» VIII. Cum ita res feret, ut mutandi sint Gubernatores Provinciarum aut arcium vel praecipui earum Officiales, nominabunt Provinciae ipsae tres personas, ex quibus unam eliget Excellentia sua.

» IX. Omnes externi milites, tam Franci quam alii, dimittentur mox atque Provinciae id requirent.

» X. Praedictae Provinciae manebunt in haereditate Excellentiae suae, et masculorum ex ipso legitime procreandorum; quibus deficientibus, liberum erit Statibus quem voluerint eligere, salvo semper foedere inter Franciam, Angliam et hasce Provincias. Si autem contingat eiusmodi haeredes esse plures, ius unum ex ipsis eligendi penes Status erit.

» XI. Quod si contingat, sic vel naturae vel electionis iure successurum, inveniri minorennem, constituent ei Status Gubernatorem, penes quem erit tutela et regimen Provinciarum, quoad ille attigerit aetatis suae annum vigesimum.

» XII. Celsitudo sua observabit Provinciis tractatus, contractus, iura, privilegia, libertates, usus et consuetudines nec non unionem Ultraiectinam.

» XIII. Et ratificabit quidquid antea fuerit ab Archiduce et Statibus ordinatum.

» XIV. Dominia Regia tradentur Excellentiae suae possidenda, in eo quo nunc sunt statu, de iisque pro suo arbitrio disponet, tradens ea administranda quibus voluerit, modo hinc nati sint; acquiescetque eiusmodi possessioni, nec poterit ipsa dominia gravare impositionibus aut exactionibus extraordinariis citra consensum Statuum, iuxta vetusta eorum privilegia.

» xv. Obligabitur Excellentia sua bellum gerere et Provincias tueri mediis, tam suis propriis quam a fratre Rege suppeditandis; Provinciae autem ad eumdem finem erogabunt annue summam duorum millionum et quadraginta millia florenorum, unde solventur stipendia praesidiariorum, et aliorum ad militiam terra marique spectantium, eo numero qui convenire iudicabitur.

» xvi. Absens constituet militiae Franciae Capitaneum qui Statibus gratus sit.

» xvii. Non poterit civitatibus aut munitionibus imponere praesidiarios Francos aut exteros, citra consensum Provinciae quam attinent.

» xviii. Provinciae ipsae providebunt militibus loca commoda ad hibernandum, vicesque cohortium mutandas, prout feret necessitas.

» xix. Non poterit concordiam aliquam inire cum Rege Hispaniae, aut Provinciis ab hoc foedere alienis vel alienandis, nisi cum consensu earum quae ipsum receperint.

» xx. Quaecumque autem civitates aut Provinciae volent huic generalitati aggregari, in tractatum hunc recipiantur.

» xxi. De iis vero quae vi subiicientur, disponet Excellentia sua ex consilio Statuum, prout de communi consensu placebit.

» xxii. Eadem Excellentia sua solemne iuramentum praestabit Provinciis singulis, praeter illud quod faciet Statibus Generalibus ad observationem huius tractatus.

» xxiii. Obligabitur etiam singulis annis, ut minimum semel, convocare Status Generales, ut pro exigentia rerum disponant atque ordinent quae fuerint utilia ad conservationem Reipublicae ac privilegiorum eius; ipsi autem poterunt in communi vel particulari congregari, quoties eis visum fuerit.

» xxiv. Excellentia sua commorabitur in citimis hisce partibus; quod si continget ipsam ex necessaria quapiam causa

abesse ad tempus, vel si in persona nequeat adesse exercitui, pro se constituet aliquem ex huiatibus, qui gratus sit cum Statuum consensu.

» xxv. Quod si ipsamet Excellentia sua huic tractatui in aliquo contraveniat, in potestate Statuum erit alium Dominum assumere.

» xxvi. Denique cum Archidux Austriae huc evocatus, se fideliter in omnibus gesserit secundum quod iuravit :

» xxvii. Deliberabunt Provinciae cum Duce Andegavensi, vel eo qui ipsius hic locum tenebit, quo meliori modo poterit eidem rationabiliter satisfieri.

» Ita revisum et correctum in congregatione Statuum Generalium. Antverpiae, die xxiv Iunii M.D.LXXVIII. » *Subtus scriptum erat* : Me P. *(id est Principe)* praesente, *et signatum* HOUFFLIN.

XII. Ad Religionem, praesertim Catholicam, quod attinet, ut ei in speciem aliquid detulisse videri voluerit Auriacus, extra Hollandiam Zelandiamque, ubi siverat huius exercitium opprimi; quam parum eam curaret, re ipsa patebat in Civitate hac nostra, cuius se Gubernatorem ferebat, ut probat auctor Appendicis ad Chronicam Secretarii Valkenisse. Studiose hoc anno notavit, qui sectarii, quibus in locis quibusque diebus hic fuerint concionati. « Itaque, xxi Augusti, id factum ait a *Calvinistis* in domo Iesuitarum, item inter ruinas castri, et in coriariorum Amstelodamensium foro, vulgo DE LEGUYT; deinde, apud Dominicanos : *Martinistas* autem seu *Confessionistas* auditos ait in sacello Pannitonsorum. Die vero v Octobris, in ecclesia Dominicanorum, inquit, ex Calvini praescripto concionatus est apostaticus S. Bernardi Abbas; et die v, apud Minoritas Calvinista quidam. Die xxvi eiusdem Octobris, iidem Calvinistae coenam suam distribuerunt in ecclesia Iesuitarum, itemque in templo Praedicatorum, ubi eidem participasse dicuntur Princeps Auriacus et

Wilhelmus de Vos, Consul intraneus, eatenus pro Catholico habitus, ut supra vidimus, eoque verosimiliter commeritus celeri morte defungi, priusquam locum habere ex more posset inter novos anni sequentis Scabinos. Rursum, die IX Novembris, ad S. Andreae auditus pro concione est praefatus apostaticus Abbas; et die XXI Decembris, Martinistae per viam Iudaeorum irruperunt in monasterium Carmelitarum, hactenus sibi negatum, eodemque die istic coeperunt concionari. »

XIII. Non ideo tamen desierunt multa hoc adhuc anno ritu Catholico fieri. « Nam, praeter solemnem processionem diei XXIX Maii, festo S. Michaelis, propter memoriam sudoriferi morbi, in omnibus ecclesiis ac monasteriis circumlatum est sanctum et Venerabile Sacramentum, cum funalibus cereisque ardentibus; itemque circum Basilicam Marianam, faces praeferentibus Canonicis, Presbyteris, Chori Eucharistici Magistris, multisque piis civibus. »

Verba sunt Appendicis praefatae; cuius auctor ut alibi se ostendat non tam alienum a sectariis fuisse quam erat ab Hispanis, hinc tamen et deinceps probatur non fuisse haereticus. Pergit autem narrare quomodo, XVIII Novembris, in ecclesia Mariana fuerint celebratae celeberrimae quaedam exequiae, cum solemnissima Missa de Requiem; et, XXVIII, defunctus Dominus de Liedekerke, simili cum pompa ibidem sepultus, ut qui fuerat aliquamdiu Civitatis Gubernator. Denique cum, XXI Decembris, mortuus esset Comes de Bossu, supremus Belgicarum copiarum pro Ordinibus ductor, intestina quidem condita sunt in Choro Venerabilis Sacramenti, corpus vero ablatum ad sepulcra maiorum, et postridie celebratae solemnes exequiae.

ARGUMENTUM.

I. Matthias, declarato Protectore Alenzonio, discessum parat. II-III. Ad instantiam Caesaris proponuntur Austriaco conditiones pacis, sed intolerabiles. IV-VII. Nec prosunt novae Caesaris litterae pacem suadentes.

I. Ad cetera huius anni gesta quod attinet, die xiii Iulii, Archidux MATTHIAS, pulchro cum comitatu progressus Lyram, inde ivit ad castra non procul inde metata sub praefato Comite, qui totum exercitum coram eo lustravit; et, xv, rediit Antverpiam Archidux. Rursus autem, die xx Augusti, Lyram abiit excepturus ibi *Casimirum, Rheni Palatinum*, Ordinum copias aucturum cum iis quas adduxerat, quasque Archidux coram se dispositas inspiciens, repraesentatur in Leone Belgico, pag. 235, cum multis Antverpiensibus, ad spectaculum secutis, et die xxii reversus, die xxix insignem sibi factam a Statibus iniuriam dissimulavit, quando ad Trianguli puteum, ad domum quae fuerat Mariae de Grande, affixum intellexit programma, quo, nomine Statuum, declarabatur *Protector Belgii Dux Alenzonius*, frater Regis Galliarum.

II. Iuvat de hac re scribentem legere Rolandum Mirteum, fol. 160. « Eodem fere tempore, inquit, quo legati Imperatoris, Anglici et Francici, xv Augusti, Antverpia egressi Lovanium, ad pacem ibi cum Austriaci delegatis tractandam, re infecta redibant; Dux Alenzonius cum paucis comitibus in Hannoniam pervenit, ut cum Ordinibus de suscipienda Belgii defensione transigeret. Eius inopinatus adventus, ab Orangio, Lalainio, et paucis aliis procuratus per magnas pollicitationes, plerosque Ordinum, ignaros negotii, vehementer commovit; quis enim crederet hominum, non plane amentium, vesaniam eo prorupturam, ut iam olim infestae gentis iugum affectare mallent quam committere se fidei legitimi sui Principis, pro

incredibili suo tunc pacis studio quaslibet eius conditiones per Austriacum admissuri, a quibus suae Maiestatis contumelia et Religionis Catholicae perditio abesset? Illi tamen sic erant obcaecati ut Lalainus, suam hac in re operam Statibus commendatam volens, xxvi inveniatur Gallice in haec verba scripsisse : « Domini mei, non possum quin vobis significem quod inimici ad primam famam venientium e Gallia copiarum Ducis Andegavensis, hodie deseruerunt Malbodium et Reuxium, quibus bonum praesidium imposui; prout heri etiam feci Soigniaci, quod pridem iidem deseruerant, proiecta in fossas quae reliqua erat, annona militari nonnullisque fistulis aeneis. Hinc intelligitur facile quam bene meritus sim de hac Provincia, aperiendo aditum copiis Ducis. »

III. Non cessabat interim Orator Imperialis urgere commissum sibi tractationis resumendae negotium; cui ne nihil concedere viderentur Domini, repraesentantes Status Generales Belgii, visis et consideratis propositionibus sibi respective factis per Dominos Legatos Imperatoris, Christianissimi Regis, et Serenissimae Anglorum Reginae, primum humiles gratias egerunt Maiestatibus suis, pro bono atque sincero affectu, quo ferri se monstrant erga utilitatem et tranquillitatem huius patriae, declarantes id se agnituros quacumque occasione.

« Cumque intelligant ex D. Oratore Caesareo, nuper ex suae Maiestatis commissione ad Sereniss. Dominum Ioannem Austriacum profecto, quod alienus non sit ab audiendis nomine Regis Catholici, Principis ac Domini naturalis nostri, inquiunt, mediis rationabilibus, per quae Provinciae hae possint restitui quieti ac tranquillitati pristinae, declarant ipsi Status vicissim, nihil aliud umquam intendisse ac desiderasse se, quam manere in pace ac tranquillitate, sub obedientia dicti Principis et Domini sui naturalis, Hispaniarum Regis, tamquam Ducis Lotharingiae, Brabantiae etc.

» Sed quoniam ad conservanda sua iura et privilegia, excutiendamque servitutem quae sibi imponebatur, post alia media frustra tentata, necesse habuerunt recurrere ad arma, quae non portant neque portarunt umquam nisi contra iniustam oppressionem tamdiu toleratam, atque ad recuperandam antiquam morum, iurium et legitimam libertatem. »

IV. « Porro, videntes quam parum spei esset perveniendi ad bonum finem bonae et securae pacis, conservandique suam uxorumque ac liberorum vitas et bona, una cum suis privilegiis; videntes quomodo, post plures protestationes, Maiestas sua cum D. Ioanne persistebant in prosequendo bello, eoque convertebant totas suas his in partibus vires; prae ceteris quae sibi offerebantur associationibus, acceptarunt auxilium D. Ducis Andegavensis, fratris Regis Christianissimi, tamquam potentioris et promptioris ad sibi benevole succurrendum, Principis magnanimi et causam suam cognoscentis. Ne tamen quidquam officii sui videantur omittere, et ad pleniorem sui exculpationem iustificationemque, simul et ad satisfaciendum propositionibus Dominorum Legatorum, per tractatum pactum cum Domino Duce Andegavensi, reservaverunt sibi facultatem pro toto hoc mense Augusto, concludendi securam aliquam pacem cum D. Ioanne Austriaco, nomine suae Catholicae Maiestatis; eoque praemisso, proponunt Articulos, conceptos ad firmam certamque pacem obtinendam, qua mediante Regi salvae maneant Provinciae suae, ipsisque sua iura ac privilegia.

« I. Statuetur amnistia perpetua omnium utrimque patratorum post Pacificationem Gandavensem, ita ut nulla amplius fiat eorum mentio, exprobratio, aut inquisitio, ac si facta non fuissent.

» II. Quidquid D. Dux Matthias, Status Generales, et Consilium Status fecerunt, ordinarunt et decreverunt, postquam

D. Ioannes se recepit Namurcum, firmum fixumque maneat.

» III. D. Ioannes excedet cum omnibus suis copiis et asseclis, et evacuabit Provincias, civitates, munitiones, castella et alia loca quaecumque cum omni instrumento suo bellico, et ipsa tradet in manus DD. Statuum, reunienda Provinciis ceteris prout antea; ita scilicet ut oppida munitionesque, quas tenet cis Mosam, cum civitatibus Daventriae, Ruremondiae et Limburgi, resignentur intra hunc mensem Augustum; alia autem loca tempore quam poterunt breviori, prout conventum erit.

» IV. Ipsa gubernatio Belgii manebit penes D. Archiducem Matthiam, sub iis quibus ipsam acceptavit conditionibus, tamquam Gubernatorem et Locumtenentem generalem suae Maiestatis.

» V. Penes Status autem, tam Generales quam particulares, ea manebit auctoritas, quae eis competit per Pacificationem Gandavensem. Omnia sub agnitione fidelitatis et homagii Regi praestiti, in qualitatibus praedictis, tamquam Principi et legitimo Domino.

» VI. Pacificatio Gandavensis servetur integra in effectu, etiam quoad restitutionem bonorum sitorum tam in Burgundia quam Luxemburgensi Ducatu, sicut in aliis Provinciis citimis, quatenus ea necdum perfecta fuerit.

» VII. Quoad differentiam circa exercitium Religionis, per praeteritas turbas et praesens bellum eousque progressam, ut aegre possit ipsa ad formam antiquam reduci absque manifesta confusione totius patriae, et evidenti periculo extremae desolationis et ruinae : eam volunt Status Generales reservari usque ad proximum eorum conventum, prout tunc respective ad Provinciarum quietem iudicabitur conveniens.

» VIII. Captivi omnes utrimque relaxabuntur, etiam Comes de Buren remittendus intra definitum tempus.

» IX. Unusquisque restituetur in possessionem bonorum suorum mobilium et immobilium, etiam distractorum et alienatorum, omnesque libere revertentur ad patriam suam in eaque demorabuntur.

» X. Casu quo D. Archidux Matthias moriatur, vel recedere hinc voluerit, non poterit sua Maiestas committere regimen alteri quam in quem Status Generales consenserint.

» XI. In hoc tractatu comprehendentur Serenissima Regina Angliae, Dux Andegavensis, Rex Navarrae eiusque confoederati, Dux Ioannes Casimirus, et quicumque alii Statibus auxilio fuerunt.

» Nunc Dominos Legatos rogamus, inquiunt, simul omnes ac singulos, ut pro suo quem gerunt et ostendunt erga hanc patriam affectu et totius Christianitatis utilitate, velint operam dare quam efficacissimam possunt, ad inducendum Dominum Ioannem in has tam iustas conditiones; itaque Catholicae suae Maiestati conservare hosce Status ac subditos; neque eos inducere in desperationem maiorem, atque ab obedientia Regis in aeternum separare; protestando per ipsos Status numquam stetisse quin citius reconciliarentur Maiestati suae, admittendo conditiones toties oblatas. Actum Antverpiae, XIV Augusti M.D.LXXVIII. »

Si praevidere aut credere potuisset Imperator RUDOLFUS, eousque processuram Statuum pervicaciam omnique conatu suo aliud proficiendum nihil, non existimo secundas litteras daturum fuisse, eodem quo Antverpiae talia concipiebantur tempore. Scripsit enim in hunc sensum :

« Reverendi, Illustres. Reddidit Nobis hisce diebus Consiliarius noster Aulicus, Sigfridus Preyner, Baro in Stubingen, vestrum ad ea responsum, quae paterno optimoque in ditiones istas Belgicas earumque Ordines et subditos animo, per eumdem Preyner vobis in mentem vocanda duximus;

simulque ea diligenter fideliterque exposuit, quae vel a vobis accepta, vel coram oculis suis animadversa, ad praesentem rerum statum Nobis detegendum pertinebant; ex quibus non sine gravi perturbatione cognovimus, haud inania exstitisse ea quae tam de Gallicis consiliis quam aliis nonnullis ad Nos perlata fuerint. Videmus enim illa nequaquam ad eum, quo Nos semper respeximus, salutis et quietis vestrae scopum, sed eo tendere, ut, dum securitati vestrae prospectum vultis, gravioribus vosmet difficultatibus atque periculis, e quibus exsurgendi vix ulla spes erit, involvatis. Qua de re cum per praefatum Preyner, nec non Consiliarium nostrum et supremum Curiae Marescalcum, Comitem Henricum Othonem in Schwartzenborg, per plura vobiscum egerimus, nunc aliud non addimus, sed ad illa vos remittimus. »

V. « Attamen quo diutius accuratiusque rem examinamus, atque ea omnia perpendimus, quae hoc loci consideranda se offerunt, tanto magis in ea confirmamur sententia, quod nulla commodior, quin haud ulla, rebus vestris praesens remedium adferendi ratio suppetat praeter amicabilis compositionis viam, quam Nos, ac una Nobiscum Sacri Imperii Principes Electores, quibus haud dubie vestra ac Provinciarum istarum (utpote eiusdem corporis membrum) salus atque incolumitas praecipue cordi est, omnium saluberrimam semper iudicavimus. Et hinc quidem factum est, quod tanto hactenus studio adnixi simus rem eo dirigere, ut ulteriori concordiae tractationi locus esset. Cumque crebris nostris litteris et nuntiis, ea de re in Hispanias expeditis, ac diligenti Oratoris nostri ibi residentis opera id demum effecerimus, ut Serenissimus Rex Catholicus, avunculus, sororius ac frater noster carissimus, non modo suum nobis animum a pace ineunda non alienum declararet, verum etiam eius tractandae cura Nobis concredita, quamprimum Legatum, plenissimis ad

huiusmodi tractationem mandatis instructum, istuc missurus sit; equidem a vobis aliud non exspectamus quam uti, dato novissimo responso vestro, eiusdem pacis tractationem vos haud reiicere, sed eam summopere desiderare ostendatis; ita vos hanc vestram voluntatem atque studium re ipsa comprobaturos esse. Ne autem nostra ex parte praetermissum quidquam videri queat quod ad rem tam salutarem atque necessariam maturandam pertineat, scribimus iam Commissariis nostris, ad tractationem hanc designatis, iisque praecipuae in Sacro Imperio dignitatis et auctoritatis, ut se ita parent quo primo quoque tempore iter ingredi ac futurae tractationi, non quidem per Legatos sed in personis propriis initium, quod quam maxime faustum auspicatumque esse optamus, dare possint. »

VI. « Ad eam vero rem id imprimis necessarium arbitramur, ut (quod saepe antea monui) arma eousque, donec tractatio ista effectum sortiatur (quod ut citra omnem longiorem moram fiat, Nobis summae curae erit), utrimque cessent, neque de facto quidquam attentetur. In quo cum Serenissimi Regis animum ita iam exploratum habeamus, ut Serenitatem suam ac, eiusdem nomine, Illustrem Don Ioannem ab Austria huiusmodi armorum suspensioni (dummodo a vobis idem fiat) locum daturum esse Nobis certo polliceamur; vos etiam maiori studio hortamur et monemus, ut nec vestra ex parte difficiliores esse hoc loci, sed tales vos exhibere velitis, ut, quod prae vobis fertis pacis et quietis studium, re ipsa conspicuum fiat. Neque enim dubitamus, quinimo spem firmissimam concipimus, fore hoc pacto ut optatus sequatur effectus; ac in iis etiam, quae hoc tempore maxime difficilia videntur, ipsa tractatio talia suppeditet media et conditiones, quibus salutaris ac firma pax stabiliri queat.

» Ceterum, praeter ea quae novissima legatione vobis prolixe ob oculos posuimus, mala atque pericula, facile

intelligitis, quantum Gallicum consilium rei bene gerendae impedimentum allaturum sit. Ideoque vos denuo paterne clementerque hortamur, ut quae se hoc loci consideranda offerunt rectius perpendere, ac maiorem fidei et obligationis, qua tam Nobis Sacroque Imperio quam saepe fato Regi Catholico, legitimo ac naturali vestro Principi, ac inclytae Domui nostrae Austriacae addicti obstrictique estis, maiorem quoque famae nominisque Belgici ob eamdem fidem Principibus suis constantissime semper servatam clari; salutis denique et incolumitatis vestrae, quae non ab exteris, iis praesertim quos maiores vestri vosque ipsi minus bene affectos semper experti estis, exspectanda videtur petendave, rationem habere, quam in eorum omnium discrimen ultro venire, ac quodammodo vosmetipsos praecipites dare; quin potius Gallica illa auxilia atque consilia, ut quae vobis merito suspecta esse debent, respicere, vestrosque ab iis animos removere velitis. Non diffidimus enim quin, Deo propitio, amicabilis tractationis is futurus sit exitus, ut et his et aliis externis auxiliis facile carituri sitis. Cetera praefatus Comes Otho Henricus a Schwartzenborg, nostro nomine, vobis referet, ad quem Nos remittentes, quod reliquum est, Caesaream nostram benevolentiam et gratiam vobis benigne deferimus. Datum in arce nostra Regia Pragae, die xvii mensis Augusti, etc. *ut supra.* »

VII. Haec epistola, recepta die v Septembris, tanto minorem effectum habuit, quanto iam longius progressum in Gallico negotio erat; ictumque cum Alenzonio foedus, inquit Mirteus, fol. 160 praecitato: « Ut is Provincias suo sumptu defenderet, Belgicae urbes aliquot, securitatis gratia, Francorum praesidio tenerentur, Alenzonius ab omnibus Belgis ut Patriae defensor comiter observaretur. Mox autem subsecutae fuerunt non contemnendae Gallorum copiae, quas Bussyus,

Vachius, aliique familiares Alenzonii ducebant; quarum adventu laetati Belgae ut animi gratitudinem testarentur, promissum titulum ei publico edicto decernunt. Adiiciunt magnifica promissa, si quando Belgae mutandi Principis et Domini sui consilium inirent, tum illum, de Provinciis optime meritum, ceteris candidatis haud dubie praeferendum.

» Non deerant quibus pessimi et ominis et exempli pollicitatio summopere displicebat. Sed vicit Orangii ratio, dicentis nihil hac promissione praeter verba dari; conditionis eventum numquam posse accidere; simili vanissimorum titulorum gloriola, et inani numquam futurae rei spe iuvenilem Francici Principis animum inescandum; neque verendum, ne quando tam iniquo in Regem animo Ordines esse incipiant, ut de Principe mutando vel levem aliquam cogitationem suscipiant; consilii autem istius fore uberrimum fructum, quod Regi Catholico acerrimum calcar subiiciatur, ad pacem, quam hactenus solum simulate concupiat, serio tandem et ex animo conficiendam. Quibus non contentus iisdem Ordinibus (dubium quo consilio) persuadet Orangius ut Alenzonio, parum adhuc superioribus promissis fidenti, ultro polliceantur, nisi Rex intra trimestre tempus conditiones pacis ab ipsis proponendas receperit, de eo deponendo ac Belgii Principatu deiiciendo, eoque in Alenzonium transferendo, iustis comitiis se tractaturos. »

ARGUMENTUM.

I-VIII. Austriacus, post Gemblacensem de Ordinibus victoriam aeger, regimen committit Alexandro Farnesio, in vili tugurio pientissime mortuus. IX. Deponitur tantisper in ecclesia Namurcensi. X-XI. Conditum sectumque corpus transfertur in Hispaniam. XII. Occupata ab haereticis Iesuitarum domo, venditur supellex. XIII. Palatinus ab Ordinibus deficit. XIV. Plantantur per moenia seriatim tiliae. Agri ad Burgerweert inundati redaggerantur. XV. Rosarii Mariani virtus probatur insigni miraculo.

I. Interea temporis, post varias in Hispania pro Belgii pacificatione consultationes initas, decretum est, Ioanni Austriaco, subsidia enixius postulanti, ea mittere sub Duce Alexandro Farnesio, Regis ex sorore Margarita nepote: qui ad illum in Luxemburgio agentem pervenit, simulque nobilem ad Gemblacum victoriam retulit; cuius appendices fuerunt Gemblacum ipsum, Lovanium, Geldenacum, Thenae, Ariscotum, Sichemium, Diesthemium, Limburgum, et Daelhemium, cum aliis pluribus arcibus oppidisque, non sine ingenti pavore Statuum, ideo Bruxellis Antverpiam transgressorum.

Ioannes porro Austriacus, sub tantis victoriarum suarum laboribus fatiscens, seque deficere sentiens, vocato ad se Alexandro, die festo S. Matthiae, vices suas in rebus pacis bellique tractandis commisit; primum quidem multis de causis cunctanti admittere onustas ancipitis aleae, deinde publici boni intuitu id suscipienti; gessitque quoad avunculus infirmus vixit, id est usque ad 1 Octobris, quo is obiit; ac porro a Rege confirmatus ea gessit, quae Strada Decade secunda prosequitur, et Caukerkius ex appendice Chronicae ms. sic delibat, ut quae Antverpiam spectant ab illo praetermissa multis locis suppleat.

II. Strada in omnium manibus est, non item laudatus superiori anno Commentarius Rolandi Mirtei, apud nos hactenus manuscriptus, ac ne Romae quidem (quo missum fuisse oportet) nunc inveniendus; quare, licet mors Austriaci non multum faciat ad proprium mihi argumentum, non gravabor eam inde hic describere iisdem quibus opus suum concludit verbis: Busio, inquit, a Statuum copiis obsesso, sed nondum capto, cum in rebellium exercitu pestis, in Regiis castris dysenteria grassaretur, praeter omnium opinionem, in morbum, qui illi letalis fuit, subito Austriacus incidit; sive ille ortus sit ex repressis haemorrhoidibus,

ordinaria eius aegritudine, sive ex cura, anxietate et laboribus immoderatis; sive ex loci pestilentis, ubi agebat, contagio; sive mali veneni potione; omnia enim dicuntur, nec certi quidquam habeo affirmare. Initio, morbum medici neque periculosum, neque diuturnum fore recipiebant. Tamen altero postquam decumbere coepit die, F. Francisco Horantio, qui hactenus illi a Confessionibus fuerat (quocum, et aliis quibusdam religione, pietate et eruditione praeclaris Sacerdotibus tunc temporis plurimum loquebatur), serio asserebat, iucunda quidem et optabilia cuncta medicos affirmare; verum tamen sentire se vires corporis paulatim deficere, graviusque artus omnes affici quam illi existimarent; unum illud magnum in tanto cruciatu solatium praebere: quod adeo pauper et egenus, divitiarum omnium expers sit, ut nihil timendum ipsi videatur, quominus parvo negotio totum se Deo permitteret; et, abiecta omni terrenarum rerum cura, divinae voluntati se penitus subiiceret, praesertim cum in Beatorum illo felici domicilio parentem habeat Carolum V, cuius precibus se adiutum obviis ulnis speret excipiendum in terris Philippum Regem fratrem relinquat, quem confidat nihil praetermissurum, quod ad animae salutem, nominis gloriam, et mortui solatium possit pertinere. Multa deinde de Deo divinisque mysteriis coelestibusque praemiis, de martyrii potissimum dignitate, virtute, meritis percontatus, testabatur hoc unum sibi maxime semper in votis fuisse, ut aliqua martyrii pars sibi obveniret; idque se a Deo precibus saepenumero contendisse, aperte significabat.

III. Ita Mirteus, cui addiderim, ex libro VI partis IV Historiae nostrae Societatis, auctore Sachino, quod inter praeclaros religione, pietate et eruditione Sacerdotes, cum quibus tunc temporis plurimum loquebatur Princeps, fuisset noster *P. Ioannes Fernandius*; cui sine arbitris aliquando

admisso, extractum sinu precum suarum libellum porrexit, rogans ut singulis diebus eas pro se preces, dum ipsum capitis dolor prohiberet, persolveret. Has enim, inquit, ego diebus singulis, antequam quieti me darem, peragebam. Pater autem officium praestitit perlibenter, testatus deinde, tam multas fuisse preces ut horam totam implerent. Porro Princeps, vere Christianus, illud frequenter usurpabat, avere se totum sanguinem pro Religione Catholica fundere; saepe etiam gaudio pene exultans, ex oratione quam quotidie valens perlegebat, hanc ingeminabat clausulam, simplicem verbis, sed sententia perfectionis summam Evangelicae continentem : *Domine, verte me quo vis. Gyra et regyra. Fac de me quod tibi placet.* His interpositis ex Sachino, pergo cum Mirteo, coeptam narrationem sic prosequente :

IV. Subsecuto Iovis die, qui fuit VII Kal. Octobris, maxima cum contritione praenominato Horantio peccata omnia sua confitetur; subiungens, parum sibi vitaę transigendae restare, nec aliud se nunc male habere, quam quod recordetur remisse aliquantum, nec satis strenue, se Dei et Regis (quibus tantum quantum nemo alius debeat) causam defendisse propugnasseque; sperare se tamen Deum, Beatamque Virginem Mariam, hanc eius mortem, qua sunt clementia et misericordia, ita accepturos, ac si illam in praelio pro gloria divini Nominis et Christiana fide subiisset; Regem quoque, pro solita humanitate existimaturum, in causa eius defendenda se nunc animam effundere. Velle autem ut omnes intelligant, quia vivus Sacris initiatus non fuerit, uti Carolus Imperator iusserat, se nunc morientem, ut aliqua ex parte paternis mandatis obtemperet, monasticae vitae genus imitari, omissa et abdicata a se rerum omnium cura et proprietate, eaque in Regem fratrem ac Dominum suum translata. Ab eo autem hoc enixe se contendere, memoriam ut dignetur conservare familiarium ac

domesticorum suorum; quibus plurimum debeatur, propter benevolentiam ac fidem illorum singularem; sibi ne tantillum quidem restare quo stipendia, multis mensibus debita, queat illis persolvere. Praeterea Regi matrem, fratremque suum ex matre, maximopere commendare; quos duos obitu suo omni penitus auxilio orbos desertosque sit relicturus. Deinde revocata testamenti, quod multis iam ante diebus nuncupaverat (cuius sententiam paulo post adscribemus) memoria, addit, sibi, qui ne terrae quidem vestigium in hoc orbe possideret, quantumvis exiguum in coelo locum suffecturum. Interea donec Regis mandata in Belgium perferantur, se familiae, corporis, rerumque suarum curam omnem Gonzagae et Horantio committere. Demum (quod pene sibi dolebat excidisse) viderent illi, si indignus Regi videretur qui in paterno sepulcro conderetur, saltem ossa ad B. Virginis in Monte-Serratto deferrentur, cuius fani sanctimoniam singulari semper observatione et religione praecipua coluerit.

V. Postridie quod illum medici potionem quamdam haurire coegerant, dilata in Dominicum diem Communione, satis leviter toto biduo morbum pertulit. Dominico die summo mane renovata confessione, Deo reconciliatur, tot cum lacrymis suspiriisque, ut vehementer Horantius timeret ne dolor internus, ex culpae contritione natus, exteriorem morbi vim augeret. Mox Missae sacrificio, prope lectulum celebrato, piissime et devotissime audito, accedenti cum Sacra Synaxi Horantio : Pater mi, inquit, indigno mihi, sed de divina misericordia confidenti, Salvatoris mei vultum ostende. Tum ad venerabilem hostiam pro nobis immolatam conversus, multis verbis, vere Christiano Principe dignissimis, Deum consalutavit; sacratoque cibo satiatus, ardentissime petiit uti, quando necessitas exigeret, sacro etiam oleo more Catholico ungeretur, ne quid illi, coelestem patriam cogitanti, deesset viatici necessarii. Tum,

vocatis qui aderant Proceribus et Consiliariis, Parmensem Principem Alexandrum Farnesium, successorem sibi in Belgii gubernatione et exercitus imperio nuncupavit interea, donec a Rege ea substitutio vel confirmaretur, vel, alio suffecto, revocaretur; cuius quidem voluntatis testimonium, altero postea die, a Vasseuro, Secretario, perscriptum, postmodum Lovanii typis excusum fuit. Vix duae postea horae elabebantur, cum morbi vehementia in delirium et rectae mentis abalienationem incidit, adeo ut nihil eorum iam intelligeret quae proponebantur, nec ad rem responderet, nisi si quando de Deo verba fierent; ad Sacram enim *Iesu* vel Deiparae *Mariae* commemorationem, quasi ex somno expergiscebatur; et, si quid illorum nomine iubebatur, hoc vel illud sumeret, faceret, omitteret, statim magna cum voluptatis significatione parebat. Fit enim plerumque ut quae sana mente potissimum cogitavimus vel dileximus, etiam post mentis abalienationem animo repetita, eadem illa nobis occurrant, eadem loquamur amemusque.

VI. In hoc ille delirio sequentibus diebus, Lunae et Martis, magno totius corporis cruciatu, morbi magnitudinem naturae robore aegre superantis, duravit totus (praeterquam ad Iesu et Mariae mentionem) in castris muniendis, acie struenda, equitibus huc illuc mittendis, annonaque curanda mente versabatur; iisque de rebus assidue loquens, singulis fere mandatis subiungebat: hoc illud esse nimirum quod Regiis partibus expediret. Eodem die Martis, sub noctem, quaerenti Horantio num vellet peteretque extremae Unctionis Sacramento muniri? tanta constantia et alacritate respondit: *Imo vero, Pater, cupio petoque: Iesus, quidni cupiam? Statim, quaeso, statim;* ut videretur nulla aegritudine neque delirio teneri. Dum etiam inungitur, labia similis oranti movebat, quamquam, quia non articulate loquebatur, verba intelligi nequibant. Porro, die

Mercurii, ipsis Kal. Octobris, sesqui ante obitum hora, rogatus, num Liturgiae officium apud lectulum celebrari iuberet, alacriter elato capite annuit; et ad Corporis Dominici elevationem, monitu adstantium domesticorum (nam, oculis fractis et mente prorsus perturbata, nihil videre neque intelligere videbatur; tamen quod tunc monebatur probe intelligebat) celeriter manibus sublatis, fascias quibus caput fuerat colligatum, et pileolum quo utebatur, abstulit disiecitque corde Deum adoraturus, quem luminibus cernere nequibat. Quod deinde ad obitum usque, qui meridie inter duodecimam et primam accidit, temporis, consumptum in iterata commemoratione suggestioneque sacratissimorum vocabulorum *Iesu et Mariae* maxima cum adstantium commiseratione; quos in tam gravi dolore unum illud solabatur, quod tam manifestis indiciis non nisi in coelestem patriam migraturus videbatur. Hoc illis cogitantibus, sine ulla commotione aut perturbatione pectoris vel faciei, veluti purpureus flos aratro succisus elanguescit; sic illa beatissima anima ex eorum oculis in coelum evolavit.

VII. Ita fulmen illud domus Austriacae subito exstinctum occidit. Hic finis invictissimi Principis, quem non Occidens tantum, sed Oriens etiam observabat; cuius res Granatensi bello in Hispania, maritimis expeditionibus contra Turcas, in Belgio contra rebelles gestae, summis ex omni memoria viris comparari merito possunt. Obiit aetatis anno XXXIII, in vili tugurio; natus in superiori Germania, ignotus aliquamdiu in Hispania, inter rusticorum pueros in pago educatus, tandem Carolo V Imperatore agnitus, Philippo Regi traditus, uti fratrem sacerdotiis beneficiisque Ecclesiasticis ornaret; a fratre splendide semper habitus, optimam de se spem praebuit; neque illam postea fefellit; nam fratri, quamdiu vixit, adeo fidus et obediens fuit, ut iis virtutibus, non ceteris modo Magnatibus,

sed ne filio quidem unico cederet. Missus ad Baeticum bellum, feliciter inde parta victoria, paulo post, foederatorum Principum consensu, classis totius Christianae summus Praefectus, haud longe ab Actio tam gravi vulnere Turcas navali praelio prostravit, quantum nec legimus, nec audivimus illos umquam accepisse. Deinde, Tuneto expugnato direptoque, in Europam ex Africa digressus, res maximas clarissimasque in Belgio gessit. Religionis pietatisque tota vita fuerat observantissimus, in eoque ceteros omnes superabat. Quatuor autem vel quinque ante mortem mensibus, iis virtutibus se ipsum vicit; quidquid enim a publicis negotiis otii dabatur, omnino in humanitatis, misericordiae et caritatis operibus impendebat, assidue milites aegros invisebat, afflictos et egenos consolabatur, nihil omittebat eorum quae ad sauciorum curationem pertinere putabat, ipsemet illis currus ceteraque necessaria procurabat; hoc unum frequentissime sacerdotibus, qui erant ad exercitum, inculcabat, darent operam ne quis militum, eorum etiam qui pestis contagio male habebant, sine Sacramentorum necessario viatico discederet. Ab illo etiam tempore quo in Namurcensem fuerat arcem ingressus, assidue Deum orabat, idemque ut alii facerent contendebat, quia nihil aliud possidebat quod divinae Maiestati offerret, quam se ipsum vitamque suam, iis Deus uti dignaretur ad Catholicae Romanae fidei defensionem, sibique constantem voluntatem largiretur, qua centies mori quam contra fidem illam vel levissime peccare, aut in eius offensionem minimam consentire mallet. Saepenumero dicere solebat, numquam se Patris sui Caroli V meminisse, quin de novo semper se defendendae tuendaeque Religionis Catholicae et Maiestatis Philippi Regis observandae voto ac professione astringeret. Biduo ante Gemblacensem victoriam generalissima vitae totius peccatorum confessione culpas suas expiavit; quod illi difficile non

fuit, quia consueverat singulis mensibus bis ut minimum peccata sua confiteri.

VIII. Eadem illa nocte, post generalem confessionem rite peractam, ultimam suam voluntatem Horantio nuncupavit, professus se nihil umquam de illa commutaturum. De tribus se sollicitum esse aiebat, anima, corpore, rebus sive familia. Animam se piorum precibus et Deo commendare; corpus (etsi non ignoret ad resurrectionem futuram non multum pertinere quo loco sacro corpus recondatur) cupere se tamen ut in patris sui Caroli V tumulo sepeliatur: hoc unum, si quid umquam de Rege bene meruerit, amplissimi praemii instar sibi futurum. De rebus nihil habere se proprium, nihil suum: omnes ad Regem pertinere; hunc ut suum, ita et suarum rerum esse verum Dominum; illius se suaque omnia fuisse semperque fore, non usu tantum, sed nexu quoque et mancipio; penes illum igitur esse debere liberam rerum omnium, qualescumque sint, dispositionem. Orbem, inquit, totum si possiderem, eumdem mihi heredem instituerem. Ille nunc fratris, filii, servi, mancipiique sui heres esto; ille mihi, si quid pecuniae ipsius in rem meam utilitatemque converti, ignoscat, postulo; ille domesticis aliisque creditoribus meis in solidum, quidquid id sit, quod nec scio nec memini, persolvet, sat scio. Hac spe fretus, quandocumque Deo placuerit hoc corporis ergastulo, lubens liberabor. Huius testamenti memoriam saepius postea eidem Horantio renovavit, potissimum in Philippivillensi obsidione, et ante Rymenantiam illam magnam velitationem; subiungens, testari neminem melius, neque cuiquam succedi ex testamento rectius posse, quam qui animam Deo, corpus patris tumulo, res obligationesque omnes illi heredi relinqueret, qui iisdem exsolvendis longe foret quam ipse testator magis idoneus.

IX. Mortui cadaver ex castris Tribunorum humeris Namurcum solemni pompa, toto exercitu et civitate collacrymante perlatum, ubi successor Alexander hoc ei monumentum posuit :

D. O. M. S.

« Serenissimo Principi IOANNI AUSTRIACO, Divi Caroli Imp. filio, post Mauros in Baetica rebellantes, subiugatos, Turcarum maximam classem apud Patras eo duce funditus fugatam deletamque ; cum in Belgio pro Rege ageret, in castris Bougranis, continuata febre, in ipso iuventutis flore, sublato; Avunculo amantissimo, Alexander Farnesius, Parmae Placentiaeque Princeps, huic in imperio successor, ex mandato Divi Philippi, Hispaniarum Indiarumque Regis potentissimi, hanc altaris tabulam coenotaphii loco P. C. M.D.LXXVIII. »

Huiusmodi epigraphen inveniet lector inter Mausolea Velleris Aurei. Quid porro factum cadaveri sit, describit Mirteus commentarios suos hic finiturus.

X. Mansit aliquamdiu in urbis basilica repositum corpus, insigne documentum fragilitatis humanae, donec Rex in Hispaniam iussit deferri. Deferendi cura Gabrieli Ninio, militum Tribuno et quondam Austriaci Stabulo-praefecto, data. Eius iussu corpore mortui retecto uti secaretur praepareturque, adstantibus veneni suspicio nata ex eo est, quod totum sinistrum latus, in quo cordis pars potior sita, foedo livore et nigredine coloratum erat; dextrum latus nativum pallorem retinebat. Mox ventris thoracisque involucris apertis, viscera et intestina universa exsecta sunt. Ea omnia doloris magnitudo adeo ambusserat, ut vel leviter contacta, statim veluti friabilia contrectantium digitis attererentur et in minimas particulas dissolverentur, cor ipsum maxime; unde certior

fides veneni quorumdam animos occupavit. Sic exenteratum corpus in varias partes secuerunt. Qua scapulae cum summo humero per anchorae-formem processum connectuntur, compage soluta, brachia a reliquo corpore separarunt; femoris caput, qua in coxendicis ossis acetabulum inditur, ligamentis sensim divisis ab ipso coxendicis osse, dissecuerunt; femora quoque a tibiis genuum sub rotulis, commissura incisa, diviserunt; singulasque partes separatas et relictum cum corporis trunco caput (cui serrato cranio cerebrum exemerant) fumo desiccarunt, eo consilio ut commodius in Hispaniam cadaver deferretur. Quia tamen arbitrabantur Regi gratum fore, si, quoad fieri poterat, Austriaci post obitum viventis aliqua species illi proponeretur; singulari artificio haec omnia ita pararunt, ut facile, quando luberet, divisae partes invicem coniungerentur. Nam ossa, quae olim naturalibus suis ligamentis cohaerebant, illa, qua parte prius connexa, postea divisa fuerant, nunc eadem parte perforata, aeneis filis, partim crassioribus, partim tenuioribus, ad fibularum parvarum modum connectebantur, scilicet tibiae, ossis tuber, femoris secti parti inferiori, femorum autem capita, coxendicum acetabulis; demum humeri scapulis. Ad hunc modum cadaver compactum, lineo thoraci et caligis lineis, cera duratis et semento aequaliter suffultis, cingebatur et coarctabatur, ut omnis illa membrorum fractorum concavitas repleretur, et cadaver vestibus istis nonnihil sustineretur; nam caligae ligulis sic thoraci colligabantur, ut tota corporis positio recta rigidaque efficeretur. Postea vestes aliae pretiosae armaque superinducebantur, innixum corpus per se consistebat, et viventis formam prae se ferebat. Ita, ut dixi, sectum cadaver tribus capsis veredariis equis impositum in Hispaniam perlatum, maiorem capsam in equi sui tergo ferente Ninio.

XI. Fuerunt in Austriaco singulares et heroicae, non solum pacis, sed et belli artes pene omnes. Zelus ardens, pietas

incredibilis erga Religionem, personas et res sacras, observantia erga Regem, benevolentia in milites, fides, liberalitas, humanitas, facilitas erga omnes, ingenium expeditissimum, eloquentia maior quam in viro militari qui litteras vix attigerat; labor in negotiis, fortitudo in periculis, tolerantia in ferendis rebus adversis, moderatio in prosperis, rara in agendo dexteritatis, in conficiendo celeritas, consilium in providendo, scientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas. Vitia, ut nonnulla, ita perexigua; quae, propter ingentes virtutes, vix deprehendebantur. Si quid ab illo in Belgicis negotiis peccatum, quorumdam familiarium, quibus nimium tribuebat, quique facilitate eius abutebantur, consiliis potius quam ipsius culpae adscribendum. Defunctum Europa tota et fere omnes Christiani desiderarunt; in Francia etiam haeretici, et plerique hostes Belgae planxerunt. Magnam eius morte respublica Christiana iacturam fecit; magno Turcae, Mauri, Britanni metu liberati. Fertur oblatam Irlandiae regni a Nobilitatis parte potissima coronam, et a Pontifice Max. investituram, sine Philippi Regis consensu accipere recusasse; eius voluntatem dum exspectat, vita decessisse; eapropter in solemni funeris pompa coronam praelatam fuisse cadaveri. Mihi in re paucis nota, neque satis adhuc matura, plura curiosius narranda non videntur; sed hoc tempore in Austriaci obsequiis conquiescendum; cui, quae seculi istius labes est et macula, cum vivo plerique inviderint, conati florem dignitatis et gloriae infringere, nunc mortuo Belgarum etiam animos aequiores futuros spero. Nam, cum mors invidiam exstinxerit, res eius gestae sempiterni nominis gloria magis quam nostro labore nitentur.

Huc usque Mirteus. Antverpiam redeo.

XII. « Die IV Octobris, Collegii Iesuitici supellectilem omnem (quae sane perexigua erat) sub hasta praeconis voce

publico in foro vendiderunt Antverpienses; erant enim nonnulli in vicinia, quibus Patres vitam et opes conservaverant eo tempore, quo Hispani Civitatem spoliabant, nonnulli, inquam, ex istis syngrapham protulerunt, subsignatam ab aliquo Patrum, in qua erat debitum ducentorum coronatorum. Cum ea apud Magistratum evincunt et vendunt supellectilem istam; Domus autem vacua venit in possessionem publicam multorum. In ea locum unum Tribuni militum habebant, in qua tractabant sua; alium Ministri (quos vocant) haereticorum; anterior aula, scholis subiecta, facta est, non dico spelunca latronum, sed officina pessimorum librorum; in eademque longo ordine pendebant tum Imagines tum libelli, tum sales et dicteria in Societatem totamque Religionem; atque haec accurate et spectabantur a plerisque et legebantur. »

XIII. Dum Antverpiae et alibi sub regimine Ordinum, Regi rebellium, ne dicam sub regimine Auriaci Principis, sic invalescit et insolescit haeresis, illorum vires, victori Austriaco opponendae, haud parum imminutae sunt, inquit Mirteus, deficiente ab ipsis Casimiro Palatino, qui paulo ante eis se coniunxerat, cum copiis ex ultima Germania, Silesia, Moravia, Bohemiaque collectis; quia Comiti Bossutio, castris Ordinum cum summa potestate praefecto, parere pertinaciter recusabat. Ita fiebat ut, labefacta militiae disciplina, contempto imperio, nihil militibus illis petulantius, nihil scelestius esset. De sola praeda solliciti, non amicis, non sociis, non notis parcere; sine discrimine viatores obvios occidere, vulnerare, vel ut minimum spoliare; suis quam hostibus plus nocere; agere rapinas, furta, caedes, stupra patrare....

Sic illis Antverpiam usque procurrentibus grassantibusque, MATTHIAS Archidux, civium querelis excitatus, egressus obviam est, precibus et auctoritate sua cohibiturus effrenes, effecturusque

ut ablata civibus restituerent. Verum principio sannis, mox conviciis minisque exceptus, parum abfuit quin violaretur. Saluti fuit quod furentium latronum manibus festino in urbem reditu se eripuit. Eo magis illum tunc plerique reditum in Germaniam cogitare dicebant, pertaesum Calvinistarum infimae plebis amentiam atque furorem, et Orangii tyrannidem, cuius ex praescripto cuncta gerebantur, addito ad speciem nomine suo. Sic, die xiii Octobris, necesse habuit hic Antverpiae approbare decretum Statuum, quo illi abrogatas volebant omnes sub Philippo Rege factas dispositiones in favorem novorum Episcopatuum, tamquam contra privilegia Belgii violente inductorum.

XIV. Ad eam quod spectat, « coeperunt hoc anno fortificationum Magistri per muros Civitatis infra supraque plantare ordines tiliarum, magno cum sumptu, ad ornatum ac munimentum, intendendo opus totum hac hieme perficere, si quidem possibile sit. »

Ita praefatur decretum per Scultetum, Consules, Scabinos et Consiliarios editum die xviii Decembris, quo severe cavetur ne quis, cuiuscumque conditionis aut status, praesumat ipsas arbores sic plantatas decorticare, incidere, aut laedere quomodocumque iactu lapidum aut baculorum, sub poena sex florenorum Carolinorum, et obligatione, pro unaquaque arbore sic offensa, alias duas emendi; ita ut parentes atque magistri teneantur luere quidquid eorum filii vel discipuli dereliquerint. Item ne funium limborumque textores ad easdem arbores tendant fila sua linea vel sericea, sub eadem poena. Cavetur etiam ne quis ad moenia seu valla ducat, aut ascendere ad pastum permittat quaecumque animalia, oves, capellas, porcos, vaccas, boves aut equos : alias pro singulis minoribus quidem sex, maioribus vero duodecim Carolinos pensurus, et ipsa animalia amissurus; eumque in finem designantur custodes,

qui illico animalia istic pascentia sistere et in suum commodum vertere possint; inhibendo ne quis impedire ausit, sed potius quilibet teneatur opem eis ad sui muneris executionem ferre. Item, ne quis ipsa valla ascendere audeat, ad herbas aliosve fructus ibi nascentes capiendos, sordes aliquas illuc inferre aut ventrem exonerare; in fossas circumductas iniicere baculos, saxa, lapides, aut in hieme conglaciatas illarum aquas conscendere.

Quae omnia ut accurate observentur, iubentur vigiles omnes et circuitores Civitatis diligenter ad ea intendere; facta ipsis et cuilibet eorum potestate animalia quaecumque, ibi deprehensa, detinendi, usque ad solutionem mulctae praestitutae; iis autem quos deprehenderint noxam aliquam inferre arboribus, supremam vestem auferendi, et, si quidem pueri fuerint, eos ducendi ad turrim Pistorum, ibi custodiendos donec a parentibus vel suis magistris redimantur. Denique mandatur omnino ut, qui circa eadem valla ad proprios usus erexerunt parietes, repagula vel asseres aliquos, quibus transitus liber impediatur, aut etiam circa planitiem castri, teneantur omnia intra triduum, ad praescriptum eorum qui munitionibus praefecti sunt, demoliri.

Invenio etiam apud Secretarios ex quodam Privilegiorum libro, quod Status Generales mandaverint Antverpiensibus, ut agros quosdam circa caput Flandriae inundatos, dictos BORGERSWEERT, id est *Civium insula*, novis aggeribus structis, vindicarent ab aqua, idque communibus Statuum sumptibus. Nunc, post toties perruptos reparatosque ea parte aggeres, nomen et locum frustra requiras; et vehementer ambigo utrum eiusmodi iussio fuerit umquam executioni mandata; cum in tota historia obsessae a Principe Farnesio Civitatis nulla fiat talis fundi mentio.

XV. Claudat hunc annum insigne beneficium Deiparae, inter

tot Religioni adversa Rosarii sui cultum confirmatum volentis, ab Hyacintho Choquetio, in libello de Sanctis Belgii Ordinis Praedicatorum, pag. 125, sic relatum :

« Anno M.D.LXXVIII, Rosarii Parthenici Praefectum agebat P. Henricus Puteanus. Eum accessit mulier quaedam, quae se daemoni devoverat, et infandi criminis syngraphum dederat; quae res cum plerosque alios viros pios, quos illa consuluerat; deterruisset, Henricus serio poenitentem in spem coelestis auxilii erexit, suasitque in sanctissimi Rosarii sodalitium nomen daret. Arripuit illa consilium, et sacra peccatorum exomologesi rite peracta, synaxim salutis accepit, tandemque sub finem Missae, quam P. Henricus faciebat, publicum reconciliationis divinae testimonium accepit; quam enim daemoni schedam dederat, ea ex aere delapsa est. »

FINIS TOMI TERTII.

INDEX RERUM

QUAE HOC TERTIO VOLUMINE CONTINENTUR.

